


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 77

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [2] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

p. 29. 30 p 38. 39. 40 47. 51. 52
p. 72


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [4] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [7] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

TRACTATUS JURIS PUBLICI DE VERA ET VARIA RATIONE STATUS Germaniæ Modernæ

AUTHORE
JOHANNE WOLFFGANGO TEXTORE, J. U. D. & in Celeberrimâ Noricorum Academiâ Professore Ordinario editus



ALTDORPHI
Typis & impensis Ioh. Henrici Schönnerstædt.

Prostat NORIBERGÆ,
Apud JOHAN. CRAMERUM, Bibliopol.
AN. clɔ IɔC LXVII.

24 G.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [10] - -

PUBLIC DOMAIN

Præfatio Authoris ad Lectorem.

Vulgatissimum est hodiè, Benevole Lector, opinari, Juris Publici peritiam ab usu Comitiorum unicè petendam, aut hinc certè ita excolendam, ut nisi qui interfuerit illis, nemo de isthâc materiâ sentire scribere, vel disserere, accurati quippiam sciat. Ego ut Comitialibus occupationibus suam haud denegandâ laudē censeo, ita sentētiæ isti receptiori, quâ juris publici cognitio, Comitiorum consultationibus præcisè mancipatur, calculum meum adjicere haud quaquā possum, idq; præsertim duplici de causâ, primò quia hi præcæteris liberum animum & ad publicam utilitatem undiq; æquabilem, hoc est nec Imperatoris partibus, nec Statuum juribus, hujusvé aut illius Collegii speciali præeminentiæ dignitati vel conditioni, amplius vel minus justo devinctum gerere posse videntur, quos nulla

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

publicorũ cura tangit, nullus functionis affectus, certæ assertioni obstringit. Deinde Leges Imperii fundamentales & acta Comitialia, ex quibus Publici juris prudentia, hauriendа venit, non his modò, qui in Comitiis agunt, sed aliis etiã patere palàm est, ut in illis juncto historiarum studio sese probè instruendi copiam sortiantur. Quid quod etiam ipsi Legati, munere suo fœliciter functuri non in Comitiis demùm jus publicum addiscant, sed ad Comitia antè edocti afferant? Sera enim utiq; & ridicula res foret, tunc publici juris capita exquirere, cùm agendum consultandumq; est, & pro communi utilitate vota ferẽda. Quinimò ne unius quidem hominis ætati tot Comitia contingunt, quot ad parandam istam empiricam prudentiam, si cætera potiora excluseris, desiderabuntur. Itaq; Jurisprudentia publica ex actis Conventuum Imperii, Recessibus aliisvé Legibus fundamentalibus velut ex fonte depromenda est, sic, ut ab accessu ejus propter Comitiorum insuetos usus, etiam alii haud intercludantur. Uti verò in Rebuspublicis, partim interna & magis essentialia, partim externa, quæ alia sc. Regna concernunt, inspicienda sunt; ita ratio Status pro duplici illo

respe-

respectu, induit non unum eundemq; vultum; nam quoad internam Reipublicæ conditionem, facilius est disserere de congruis Status remediis, quàm de his, quæ eidem extrinsecùs adveniunt, quò pertinent finitimorum bella, pax, fœdera &c. in quibus tanta sæpè invenitur varietas, ut vix videantur certis præceptis explicari posse.

Huc equidem omnium ferè Regum, Principum, Rerumq; publicarum actiones hodiè collimant, ne quem quamvé ex ipsis ultra proportionem, quatenus in viribus est, potentiâ sinant crescere. Unde pro rerum circumstantiis in varia fœdera coire solent, quæplerumq; multiformes prætextus contegunt, ac tamdiu perdurant, quamdiu aut necessitas defendendæ communis libertatis, aut ratio utilitatis certè magni hodiè æstimata, eadem apparuerit. At vero in hypothesi de his & similibus, exquisitiùs nunquam consultatur, quàm pro temporum exigentiâ, unicus enim casus, aut circumstantia saltem, totam belli, pacis fœderisvé rationem haud rarò immutat. Quapropter meo hoc Tractatu præcipuè ad priorem illam utpote certiorem rationis Status considerationem respexi, quâsc. Germania

noſtra intra ſe optimè vigeat, cætera attuli tantùm in hunc finem, ut quò periculoſior eſt externarum rerum in Orbe Moderno ad Germaniam facies, eò magis etiam neceſſaria appareat interna Reipublicæ ſalus & incolumitas. Atq; iſtâ intentione totum hunc qualemcunq; libellum ex vero amore Patriæ conſcripſi; Tu Benevole Lector, ſimili animo eundem perlege, & errores Typographicos in curſoriâ repetitione notatos, quos ad finem invenies, ſpecialiter vero caſuale iſtud erratum cap. 6. p. 114. lin. 17. & 18. commiſſum, ubi nomine moderni Hiſpaniæ Regis Philippus IV. intelligitur ſc. tunc, cùm caput illud conſcriberetur, adhuc in vivis conſtitutus, temporis brevitati aliisq; occupationibus remitte. Dabam Altdorfi 7. Cal. Mart. Anno 1667.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

CAPUT I.

De Ratione Status generatim.

RAtio Status vulgare hodiè nomen eſt, & in omnium ferè, etiam, qui vix limina Politices conſalutârunt, ore geritur; quotiescunque enim quippiam, ſub prætextu aliquo ita circumſpectè fit, ut ſimpliciores, primâ ſtatim fronte, ſcopum illius non animadvertant, toties per rationem ſtatus, hoc idem accidiſſe ex vulgari uſu ſermonis perhibent, adeò, ut acceptio vocis, non ad ea modò, quæ ſtatum Publicum concernunt, ſed & ad privatam vitam, negotiaque eorum, qui in Societate civili, verſipelles ſcitè agunt, modo loquendi abuſivo porrigatur.

Cæterũ quid ſit Ratio Status, res eſt apud

Politicos, non planè extra bivium posita, extantq; variorum definitiones variæ. Ludovicus Septalius, in eleganti Tractatu, quem de hac materiâ conscripsit, ferè per totum librum primum, differit de definitione rationis status, eamque post fusè relatas ab se ac refutatas aliorum opiniones, tandem definit capite octavo dicti lib. 1. pag. 34. quòd sit habitus intellectus Practici, qui dicatur Prudentia vel Sagacitas, per quem homines post consultationem, deliberant de mediis modisque, quibus introducere vel conservare possint, illam formam dominii, in quâ sunt constituti. Non inficior, etiam hanc definitionem, si ἀκειβίαν sequi liberet, habituram suos nævos. 1. quia sagacitas, est terminus indifferens ad habitum moraliter bonum vel vitiosum, adeoque non debet opponi Prudentiæ, sed potest de eâ prædicari; Ratio est, quoniam sagacitas nihil aliud significat, quàm perspicaciam intellectus, per quam facile animadvertimus, quid conducat ad certum finem, ponderatis circumstantiis; Quoniam igitur ex accidenti evenit, utrùm finis iste in genere mo-

re morum bonus sit vel malus, & planè extrinsecum quid est, respectu perspicaciæ intellectus, circa conducentia ad finem, propter hanc causam & Prudentiæ tribuitur sagacitas, & etiam astutiæ sive calliditati. II. quia consultatio pro ratione suâ formali est deliberatio de mediis. Ergo post consultationem propriè loquendo, de mediis nemo deliberat, sed eo ipso dum consultat, deliberat etiam de mediis, atque adeò minùs concinnè in illâ definitione asseritur; Homines post consultationem, deliberare de mediis, introducendi vel conservandi status. III. quia citatus Autor in *cap. 9. d. loc.* ipse fatetur, media conferentia ad salutem Imperii differre, imò sæpè contraria esse, illis quæ prosunt saluti Imperantis. Ergo hæc sub illis comprehendi nequeunt, adeoque utut Autor in *d. cap. 8. circa fin.* contrarium innuat, videntur in definitione, exprimenda fuisse nominatim.

His tamen, & si quæ sunt similia, non obstantibus, ex prædictâ definitione saltem copia suppetere potest, perveſtigendi naturam Rationis Status, generatim consideratæ, quatenus

nus instituto nostro satis est; Constat enim quòd propter rem sit in Politicis ad amussim & accuratissimè omnia definire velle, quinimò dicente Aristotele 1. *Eth. cap.* 3. tanta in unaquaque arte ac disciplinâ, desideranda est subtilitas, quantam natura ejus & ratio patitur, cùm igitur Prudentia civilis versetur circa maximè contingentia, sufficit, si proponat definitiones, naturam definiti populariter, sive ut ajunt, pingui Minervâ declarantes. Hinc itaque contrahendo anteriorem illam definitionem, licebit rationem status definire; quod sit Sagacitas in intellectu Practico, dirigendi media ad salutem Imperii & Imperantis; Dixi sagacitas in intellectu Practico, quia intellectus Practicus juxta prædicta est proprium Rationis Status subjectum, addidi; dirigendi media, quia immediatum objectum rationis status sunt varia stratagemata & maximæ Politicæ, pro re natâ ex arcanis Reipubl. emergentes, subjunxi; ad salutem Imperii & Imperantis, nam ea est meta & finis, ad quem Ratio Status collimat, & quidem in singulari tantùm numero

numero dixi; ad ſalutem Imperantis, quia in Statu Polyarchico plures illi, penes quos eſt ſumma rerum, habentur pro una perſona ficta, nemo enim illorum ab altero ſeorſim gaudet juribus Majeſtatis, ſed omnes pro indiviſo.

Ex quibus apparet 1. ad rationem ſtatus in genere non pertinere, ut ſubjectorum parentium provideat utilitati, nam quamvis illis rerum Publicarum ſpeciebus, quæ naturâ ſuâ bonæ ſunt, rectiſſimus iſte ſcopus ſit propoſitus, tamen ſunt aliæ etiam, quæ utilitatem Imperantis tamen reſpiciunt, ut Tyrannis & Oligarchia. Qui igitur imperat, ut Rex legitimus, per rationem ſtatus, eo ipſo, quo ſuam quærit ſalutem, etiam ſubditorum expetit ſalutem; qui vero ut Tyrannus, etiam cum ſuppreſſione ſubjectorum ſtatum ſuum ac utilitatem, nititur conſervare. Apparet 2. aliud eſſe ſtatum ſive Majeſtatem in Republica aliud rationem ſtatus: nam ratio ſtatus magis concernit adminiſtrationem ſive modũ regiminis, ad Majeſtatem ut ad finem congruè ordinatum, ex gr. cùm priſca illa Romanorum Respubl.

leg. Reg. in Monarchiam conversa esset, Augustus Cæsar , congrua media adhibuit, ut hunc statum tueretur, quippe Nobiles Romanos, prout quisque eminuit, ad honores promovit, militem donis, cives annonâ sibi devinxit, cunctorumque animos dulcedine otii permulsit, ac ne odia regii nominis incurreret, titulo quidem abstinuit , potestatem verò regiam, trahendo paulatim ad se jura Majestatis, reipsâ usurpavit atque obtinuit.

Apparet 3. non omnia Regum vel Principum actitata & arcana pertinere ad rationem status, sed ea tantùm, quæ ad hunc scopũ collimant, quemadmodum idem statum suũ ac regimen possint suffulcire; quòd si quid ex odio vel amore sibi proponant, quamvis dirigant arcana certa ac stratagemata, ad illud exsequendum, tamen propterea hæc talia media, sibi non vindicare titulum rationis status, cùm non propriè ad constabiliendam Rempublicam sed ad Principis vel Regis affectus ordinentur ; Ita v. gr. Julius secundus Pontifex, ex odio Gallici nominis, multa fecit, quæ propterea non merebantur

bantur dici vera arcana ſtatus, quia voluit tantùm genio contra Gallos indulgere, ac ſi conatibus ipſius non ſingulariter fortuna adfuiſſet, ſe & ſtatum ſuum, facilius potuiſſet præcipitare.

Cæterùm ratio ſtatus ad regimen dupliciter ordinatur, vel ut illud de novo introducat, vel ut cautè conſervet, multum enim hæc inter ſeſe differunt, ac toties aliquid introducendi ſtatus fuit optimum remedium, quod deinceps conſervationi ejus, nullatenus deſerviebat, v. gr. Piſiſtratus Athenienſium Tyrannus, pro ratione introducendæ Tyrannidis habuit odia ſenatus & favorem commiſerationemque ſtolidæ plebis, poſt partam autem potentiam, & cùm jam ſatellitio oppreſſiſſet libertatem, favor iſte popularis deſierat, ac vi apertâ ad exercitium Tyrannidis utendum fuit. Ita non utiq; coincidunt, introducendi ac conſervandi ſtatus remedia.

Porrò quemadmodum Rerumpublicarum formæ admodum variant, aliaque eſt Monarchica, in qua unus ſummæ poteſtati præſidet, alia Polyarchica, eaque vel Ariſtocratiæ nomen induit,

cùm sc. optimates summam rerum tenent, vel Democratiæ, quando nimirum Majestas est penes totum populum, ita negari nequit, quin exinde adhiberi oporteat, rationes status sæpè diversas, imò contrarias. Ex gr. in statu populari magna cautela est, ut conservetur libertas comitiorum, neve quis excludatur à jure voti, in statu Monarchico res planè est inversa, nec Comitiis ibi datur locus, nisi fortassis consiliorum gratiâ, quæ tamen vim decidendi simpliciter relinquunt regi, nec illum ullo modo ad majora astringunt, quo intuitu aliquando ad Parlamentum suum fertur dixisse, Galliarum Rex Henricus Quartus; Ego sum Rex; vos estis Parlamentum, sic volo, sic jubeo, quasi diceret; vos tantùm consiliarii mei estis, quicquid ergo inter vos deliberetis, si idem mihi displicet, in arbitrio est rejicere & aliud statuere.

Aristocratia medio se habet modo ac desiderat, ne vel in Oligarchiam degeneret, vel in Democratiã convertatur, ut omnes & soli vocentur ad comitia Optimates; ita certum est, ex parte formæ Reipublicæ, ob-

eæ, obſervandam eſſe quandoque aliam & aliam rationem ſtatus.

Verùm qui huic rei tenaciter nimis inhærent, ac certis ſuis præceptis, unamquãque Reip. ſpeciem circumſcribere ſatagunt, profectò enormiter falluntur ac lateres lavant; tantum enim abeſt, exinde ſaluti Reipublicæ ſufficienter conſuli, ut multoties ejusmodi vulgares regulæ, commodo ſtatus ſint neglectæ, quas ipſas, ſi obſervaſſet Imperans ſe & regimen præcipitare potuiſſet, ex gr. Politici pro maximâ regni communiter tradunt, non expedire Monarchiæ, ut Magiſtratus, præſertim magni, diu committantur eidem, ne ſc. ejusmodi Præfectus propter continuationem potentiæ res novas moliatur & contra Regem inſurgat; Tiberius Imperator hanc rationem Regii ſtatus non tantùm non attendit, ſed planè invertit, ſiquidem his, quos Provinciis Romanis præfecit, jurisdictionem plerumque prorogavit, imò aliorum locorum adjectione extendit; quòd ſi quis circumſtantias Reipublicæ Romanæ, prout ſe tunc tem-

poris habebat, accuratiùs consideret, animadvertet facilè, Tiberium prudentissimè hoc idem feciſſe, nam præerat Monarchiæ novæ, cujus faciem priſtinæ libertati odioſam multi abhorrebant, ideò non abs re providere ſibi debuit, ne qui auxilio poteſtatis, anſam rebellionis aſſumerent, ſed ſi per ſingulos annos Magiſtratus commutaſſet, vix evitare poruiſſet, quin viri antiquæ libertatis avidi ad Reipublicæ adminiſtrationem vocati fuiſſent; quapropter huic rei haud melius remedium quæri poterat, quàm ut Magiſtratus ab ipſo Tiberio ad nutum dependerent, ac deinceps illi, quos gerendo Magiſtratus, ſibi fidos devinctosque, is deprehendiſſet auctâ & prorogatâ jurisdictione, magis in officio permanerent, quàm alii novi dubiæ erga Imperantem fidei, accerſerentur; ita fit, ut ratio ſtatus quandoque ab axiomatibus ejusmodi Politicis faciat ſaltum; quod ipſum, cum non attenderit Cornelius Tacitus apud Trajanum Boccal. in Parnaſs. & illam Monarchici ſtatus maximam; videlicet, ſumma papaverum capita demetenda,

magis

magis cordi habuerit, quàm ingenium Lesbiorum, quos ea res ad rebellionem facilè movere poterat, brevi in exilium missus, ac regno excluſus refertur; quinimò toties contingere poteſt, ut quippiam certi alicujus Regis ſtatui deſerviat vel noceat, quod planè aliter ſe habet, ad ſtatum alterius regis, cujus rei tamen ex forma Reipublicæ nulla poteſt reddi ratio, ex gr. expone mihi cauſam diverſitatis, cur Regi Angliæ noceat, nimis fovere Epiſcopos, Regi verò Sueciæ, ſi non proſit, ſaltem nihil afferat intertrimenti? Sanè propria ratio ex forma regiminis deprominequit, uterque enim Rex eſt, & quidem aliquantum reſtrictæ poteſtatis, ſed tota cauſa eſſe videtur; quia Rex Angliæ habet ſub ſe clerum multosque Puritanos, & id furſuris plures ſectas, Epiſcopis admodum infenſas, quæ, dum violenter obtruditur Epiſcopalis autoritas, turbas in Regno excitare poſſunt; Rex Sueciæ hujusmodi homines non habet, quippe Sueci Epiſcopos ſuos minus deteſtantur, ſive igitur hic vel ille Rex ſolutiùs aut reſtrictiùs imperet, ad hanc maxi-

mam

mam nihil conferet, ſed ſe habebit per accidens, nec id ſanè mirum, cùm enim conſtituerimus, rationem ſtatus, ſagacitatem quandam eſſe intellectus Practici, ac pro diverſo ſcopo, Prudentiæ vel Aſtutiæ naturam induere, utique non id tantùm, quod ex parte formæ Reipublicæ obſervandum eſt, ſed cuncta ſingularia & circumſtantias emergentes, attentè invicem conſiderabit, ex illisque quid ſtatui pro re natâ conducat, circumſpectè noxia declinando, commoda proſequendo eliget, quippe quod ipſum Prudentiæ & Aſtutiæ maximè proprium eſt.

Ex quibus ſequitur, falli eos, qui vulgò putant, neminem de ratione ſtatus benè diſſerere poſſe, niſi qui intimis hujus vel illius Regis, aut Principis Conſiliis interſit; nam aliud longè eſt, arcana conſilia noſſe, quid nimirùm fiat, aut in intentione ſit, aliud ſcire conditionem Reipubl., ac fieri poteſt, ut illi rectiùs conſultarent de Republica, qui etiam ad conſilia ſecreta non adhibentur; è contra verò ſagacitatis Politicæ, deliquium ſæpè patiuntur etiam illi, qui arcanarum deliberationum fiunt participes;

ticipes; Unde hi quidem probabiliter judicare possunt, utrum v.g. pax vel bellum sit futurum, videlicet cum consiliis interfint, at an pax vel bellum sit ex re Reipublicæ dijudicare propterea non possunt, nisi sint habitu illo præditi, qui vocatur ratio status. Hæc cum ita sese habeant non erit operæ pretium, in generalibus moras nectere, & quid Monarchiæ Aristocratiæ vel Democratiæ, noceat aut conducat, verbosè perquirere, ratio status ad singularia maximè descendere debet; Et quidem, quid pro ratione status, diversis Rerumpublicarum formis in genere deserviat, alii dixerunt luculentiùs; instituti mei est, calamum ad Germaniam convertere, quoniamque paulò superiùs, breviter tetigi, aliam rationem esse status introducendi, aliam conservandi, de hac posteriori solâ, quippe prior ad Tyrañidē plerumq; cæterasq; Respubl. vitiosas pertinet, amore veritatis disseram. Quapropter quæstio eò redibit, quemadmodum is status, qui de præsenti in Germaniâ habetur, feliciter conservari & ab interitu vindicari possit; sive igitur summa Rerum

rum Germanicarum reſideat penes ſolum Cæſarem, ſive penes Status ſeorſim à Cæſare, ſive junctim penes utrosque, ſcopum meum tunc conſecutus videbor, ſi ea attulero, quæ efficere poſſunt, ut Cæſar ſit & maneat in illo ſuo faſtigio, ſive deinde Monarcham illum rectè dixeris, ſive minus, & viciſſim, ut non ſolùm Status Imperii, ſi & quatenus participant de juribus Majeſtatis, his ipſis etiam eatenùs re & illibatè, nec dicis gratiâ, gaudeant, ſed & ſubditis ſub Imperio ut juſto regimine, liceat liberè ac rectè vivere, quod priusquam aggredior, neceſſum eſt, de ſtatu Imperii moderno, deque circumſtantiis internis & externis, prout hoc noſtro tempore occurrere videbuntur, pauca præmittere.

CAPUT II.

De Statu Germaniæ intrinſeco, ejusq; Origine.

IMperator, Imperium, Status Imperii, ſunt vocabula hodiè in Germaniâ valdè uſitata; ſignificaverunt autem pro diver-

diversis Reipublicæ temporibus non omninò idem, nam Imperator apud veteres fuit Rex Monarchicâ aut certè non multum absimili potestate præditus, sicut hodiè sunt alii Reges exteri; Imperium autem nihil fuit aliud, quàm ejus Regnum, Status verò Imperii propriè non videntur fuisse, sed tantùm Proceres ac Præfecti Provinciarum, qui vel ad vitam, vel alioquin ad tempus rexerunt certas ditiones ab Imperatore commissas, ac proventus quoque Imperii, tunc pertinuerant ad ipsum Imperatorem omninò, aut profectò ex parte longè potissimâ. Talis fuit rerum status sub Carolo Magno & Posteris ejus, qui duraverunt circiter usque ad initium seculi à Christo nato decimi; Unde videmus, tum temporis diversos admodum fuisse Provinciarum Imperii Duces, ac Comites, & modò hanc, modò illam familiam, hunc vel illum titulum Ducis aut Comitis usurpâsse. Apparet autẽ hoc, quod dico, etiam exinde, quòd cùm Ludovicus Pius Imperator, olim decederet, tunc filii ejus inter se diviserint, tres illas potissimas Imperii ejus tempo-

temporis partes, nempe Germaniam, Italiam & Galliam, sic ut Italia cum eâ parte Germaniæ, quæ hodiè est Lotharingia, assignaretur Lothario, Germania verò Ludovico, & Gallia Carolo. Iste Ludovicus fuit Rex Germaniæ absque titulo Imperatoris, quem sibi sumpserat Lotharius primogenitus; Profectò igitur hæc tunc fuit conditio Germaniæ, ut ea esset regnum, Duces vero vel Comites ipsius regis Præfecti. Quanquam vero post Carolum illum, cognomine Calvum, Galliæ Regem, redierit in Germaniam, Imperatorium fastigium, status tamen adhuc fuit idem, & sic filii Procerum ejus temporis, v. g. Ducum aut Comitum, hujus vel illius Provinciæ aut Territorii, non fuerunt statim Duces, aut Comites, sed tunc demum, si ab Imperatore consimiliter præficiebantur.

Hæc talis rerum Germaniæ facies, quemadmodum conversa sit, seculorum successu, in illud, quod hodiè conspicimus, regimen, operæ pretium est, paucis edicere, sic enim fiet quæstio ist hæc de qualitate status Germanici, intrinsecâ, multò promptior ac facilior

lior. Cùm itaque in Ludovico IV. Imperatore desiisset Carolina stirps, eaque propter summa rerum ad Imperatorem novæ familiæ, nempe ad Conradum. I. Franconiæ Ducem perveniisset, cæpta est etiam verosimiliter, Imperatoria potestas novis legibus, & Capitulationum, ut sequior ætas vocavit, quasi cancellis circumscribi; Hîc mihi videtur, post Carolinos fuisse gradus, auctoritatis Ordinum constabiliendæ, fermè primus, ut etiam nonnulli Authores circa illa tempora conjectant, nam quanquam antea quoq; in eo peccatum esse dici possit, quòd Imperatores nimis magnas Provincias commiserint eidem diutiùs quàm ex præceptis Politicorum regendas, ut Ordines sive Proceres Imperii mox post Ludovicum Pium, cristas erexisse videri queant, ac etiam Carolum Crassum Imperatorem, solio dejecerint, tamen confidentiùs illud idem, exercere potuerunt tunc, cùm in Imperatoris sceptrum non nisi certis Legibus consenserunt.

Cæterùm remansit penes Imperatores, summa potestas, quanquam aliquate-

nus restricta, ideoque disposuerunt in præficiendis Provinciarum Rectoribus liberè; notum est secundò & non ignoro, quòd Ottoni I. Imperatori inter cæteros, iste error adscribatur, illum videlicet Episcopis contulisse Principatus, & sic januam quasi aperuisse, ut subsecuto tempore magis solveretur non modò Ecclesiastica disciplina, sed etiam per Imperium ab Episcopis multæ excitarentur turbæ.

Verùm enim verò defectus ille qualiscunque fuit, vulnus quidem afferre potuit Imperio Germaniæ, Statum verò illius non ita valuit convertere; sicut videmus rem compatatam esse in morbis, qui ægrotos sæpenumerò reddunt homines, non verò statim sunt lethales vel vitam auferunt. Sic itaque Status Imperii Regius adhuc vigebat, quanquam non ampliùs isto gtadu vigoris, qui extiterat tempore Caroli Magni; nam Imperatores præter potestatem illam conferendi Feuda Imperii liberam, præterque alia Majestatis jura, acceperunt etiam annuos proventus, unde se sustentare ac pericula Sceptro vel Imperio imminentia propulsare

sare possent, in eo tamen jam conspicua magis erat Ordinum auctoritas, quòd Feuda Imperii, jure quodam præcisè ad filios continuare debuerant, id quod antea secùs fuit.

Cæterùm Conradus II. Imperator, adjecit idem jus ad nepotes & posteros, occasione molestiarum itineris Romam suscepti sicut ejus rei jura feudalia I. F. I. expresè faciunt mentionem, ac historiæ desuper contestantur Conradum illum Imperatorem, cujus cit. loco jus Feudale meminit, fuisse ejus nominis Secundum, nam Conradus I. Imperator Romam non fuit profectus, uti nec Tertius aut Quartus, quorum cumprimis etiam tempore constat, in Feudis Imperii, jam diu obtinuisse successionem posterorum, at verò contextus Feudalis prædicti loci disertis verbis innuit, Conradum Imperatorem Romam fuisse profectum, videlicet ut modo consueto coronaretur, & eam fuisse potissimam causam, cur Feuda Imperii etiam ad nepotes in successione extenderit, quoniam Proceres propter labores itineris Romam simul suscepti, visi fuerint er-

ga Imperatorem ita meriti, ut etiam eorundem commissæ Præfecturæ ac reditus inde, jure delatæ functionis percepti in posteritatem protenderentur. Fuit ergò iste Imperator Conradus omninò hujus nominis Secundus, quippe quem certum est ex historiis solennem expeditionem suscepisse, ut Romæ à Pontifice coronaretur.

Post illa tempora jam magnam imminutionem accepit Status Imperatorius, sed tamen adhuc subsistere potuit aliquod fundamentis, [1.] quia Collatio Episcopatuum erat penes Cæsares, adeoq; multi Principatus Ecclesiastici subjacebant Imperatoriæ dispositioni; Deinde, quod ad seculares Principes attinet, quanquam successio inter illos obtinebat, tamen oportuit eos Imperatori sese devinctos exhibere & assistere: contra Imperii hostes, [3.] Imperator adhuc reliquos habuit, plures proventus nomine Imperii, partim ex Civitatibus Imperialibus, partim etiam ex Provinciis, in Feudum vel planè non concessis, vel concessis quidem, sed non omninò abdicativè, quoad

omnes

omnes fructus, ut ita Cæsar adhuc satis perciperet.

Hæc tria Imperatoriæ Majestatis reliqua fulcra, perierunt quoque progressu temporis, aut planè aut saltem eo gradu promptitudinis, quo tunc non ampliùs supersunt; nam jus Collaturæ Episcopatuum inter alia in controversiam venit, tempore Henrici IV. Imperatoris, & quamvis filius Henricus V. Imperator idem sibi iterũ armis assereret, & Pontificibus illud sub jurejurando extorqueret, pervicit tamen illorum conatus, ut cogeretur Cæsar eo jure cedere ac se abdicare. Secundò vinculum illud assistentiæ contra hostes Imperii, videtur hodienùm durare, sed inter nunc & tunc profectò est magna differentia, nam Feuda Imperialia tùm temporis percensebantur jure Feudali proprio, hodiè in multis sunt redacta in conditionem rerum allodialium, si sc. respicimus usũ & Praxin nostræ ætatis; dabo tantùm unicum exemplum hâc in re; In jure Feudali novimus cautum, ut Vasallus juvet Dominum Feudi contra ipsius hostes, quòd si deneget auxilia, jam commis-

sa est causa privationis, idem præcipuè olim obtinuit in Feudis Regalibus, unde Fridericus Barbarossa Imperator sub hâc eâdem causâ vel verâ vel apparente, Henricum Leonem, Saxoniæ & Bavariæ Ducatibus, in Comitiis Herbipoli habitis, exuit & in bannum declaravit, ac Rudolphus I. Habspurgicus, Ottocarum Bohemiæ Regem armis eò adegit, ut sibi Imperatori præstaret, ex more vetusto juramentum fidelitatis, cujus sanè præcipuum caput fuerat, aversio periculorum', pro viribus, & sic obstricti erant Proceres Imperii, sequi castra Imperatoris contra hostes, si secùs faciebant, periclitabantur de Feudis, Imperatores enim habuerunt eos reditus Imperii nomine, ut possent seditiosos in ordinem redigere, ac Feuda ista aliis conferre, qui eapropter tantò constantiùs Imperatoris partes tuebantur, hodiè verò, agitur punctus assistentiæ valdè leniter & persuasorio more, fortè propter communia pericula, unde non est infrequens, audiri in Comitiis vota planè & expressè denegantia auxilium, nemine tanquam in rem vetitam contra nitente,

nitente, cujus rei ratio est jam expositа, quoniam sc. Feuda hodiè sunt ad instar bonorum patrimonialium, paucis exceptis.

Cæterùm sicut Proceres Imperii efflagitaverant, successionem Feudorum Regalium, ita prospexerunt sibi certis judiciis, ne Imperator fortè per affectum, vel præter meritum cuiquam ex illis, posset hujusmodi Feuda dignitatem annexam habentia adimere vel abjudicare; Unde in tali casu, cum Imperatore simul judicaverunt pares Curiæ, hoc est, Vasalli ejusdem dignitatis, & ex his principiis enatum puto jus illud, quod vulgò nostro idiomate vocant das Fürsten-Recht/ quoniam judicia in causis Regalium Feudorum non videbantur ritè constituta, nisi adessent pares Curiæ, sicut inter cætera, pro hâc re adduci solent exempla Friderici I. Imperatoris cognomine Barbarossæ, qui ut modò retuli, in Comitiis Herbipolitanis, interventu Procerum Imperii Henricum Leonem excommunicavit, nec non Sigismundi, qui Ericum V. ex quo hodienum descendunt Duces

Saxo-Lauenburgenſes ob commiſſam Feloniam, non acceptæ inveſtituræ, Ducatu Saxoniæ exemit ac privatum declaravit, quem litem voluit Dux Ericus ad Pontificem trahere, interdum etiam ad Conſilium Baſilieenſe ejus temporis, ſed reſcripſit Imperator Sigismundus Epiſcopis illius Concilii, hanc cauſam eſſe ſecularem, nec niſi interventu parium Curiæ decidendam; Tale igitur jus Principum ſive **das Fürſten-Recht** non ſubſiſtit, in nudis terminis voti conſultivi, quo ſenſu Imperatores Romani veteres, etiam viros prudentes ſæpenumerò adhibuerunt, imò in ſanctionibus Legum, Univerſorum Senatorum conſenſum deſideraverunt, ut patet *ex l. humanum eſt C. de LL.* non, quòd ſic eſſet neceſſe, ſed quoniam Imperatores, vel in judiciis vel ferendis Legibus, ex conſilio maturo voluerunt procedere, interdum etiam ſpeciem libertatis videri relinquere, cùm nihilominùs, ſi ita Cæſari placuiſſet, cuncta deberent ad ejus nutum referri ut appareret *ex l. 1. ff. de Conſt. Princ. & l. fin. C. de ll. cum ſimil.*

His

His præciſis terminis inquam, non conſtrictum erat jus iſtud Principum, ſed revera pertinuit ad ſubſtantiam hujusmodi judicii, circa Feuda regalia formandi, & ſic fuit neceſſitatis. Enimverò non inficias ibo, principia hujus rei, ut & in aliis plerisque publicis fuiſſe leniora, nec ita Procerum ſuffragia ſemper indiſtinctè neceſſaria apparuiſſe, præſertim ſi de eo tempore loquimur, ubi Imperatores abſolutiùs imperaverunt, quin non rarò & quidem in eodem modò adducto exemplo Friderici Barbaroſſæ, videntur Cæſares quaſi per rationem ſtatus, ad judicia inſignium Feudorum, requiſiviſſe pares Curiæ, ut videlicet tantò juſtius judicaſſe exiſtimarentur, nec ita his, qui in ulcere rerum Germanicarum, plerumque gaviſi ſunt, habere manus, obvium foret excitandi ſeditiones ac incendia civilia, ſi non ſolùm ipſe Imperator, ſed & Ordines Imperii hanc vel illam ſententiam tuliſſe dicerentur. Nihilo-ſeciùs tamen vocatio illa parium Curiæ aut libero motu primùm, aut ex quibuscunque cauſis facta, progreſſu temporis

cœpit fieri necessaria, & sic Imperatoria Majestas magis magisque circumscribi.

Progredior nunc ad tertiũ membrum ante adductum, cui sc. antiquior Germaniæ Status superstructus fuerat, nempe ad perceptionem Proventuum Imperii, nam antiquitùs per electionem Imperatoriam, Personæ electæ, profectò non nudum jus Quiritium, sed magni reditus accesserant, partim ex Provinciis Imperii, partim ex contributionibus Ordinum, cumprimis Civitatum Imperialium, quas Imperatores pro re natâ vendiderunt, oppignorarunt vel redemerunt, partim ex Teloniis & compluribus Fisci compendiis; unde ferunt Fridericum Barbarossam, suo adhuc tempore usque ad sexaginta ut vocant, auri tonnas, ex reditibus Imperii nomine annuatim accepisse, & cùm Rudolphus I. peteret ab Ordinibus, ut se vivo vellent filium Regem creare, responderunt Status, se contentos esse uno, nec posse alere simul duos, quod profectò indicium est adhuc tempore Rudolphi I. Imperatores, suos habuisse ex Imperio reditus, quamvis fortè non tan-

tantos, quantos tempore vetuſtiori.

Ad ea igitur quæ dixi, acceſſit illud quoque ingens vitium, quod quæ reliqua eſſent Imperii, per Carolum Quartum Imperatorem, planè abalienarentur, in quorum numero multa Imperii jura per Italiam reliqua, quamvis antea etiam à nonnullis Cæſaribus omiſſa forent, ad Pontificem Romanum, plenè ſunt translata, Delphinatus verò de conſenſu Caroli Imperatoris, Philippo Valeſio Galliarum Regi ceſſus, & complura ex aliis cauſis, quarum prolixa commemoratio odium habere poſſet, coronæ Auguſtali adempta.

Propter hæc autem, neceſſariò inſequi debuit, intrinſeca quædam mutatio Status, nam Aquilis ſic penitiſſimè deplumatis, Imperator ex Imperio, nihil reliquum habere poterat; unde poteſtatem Imperatoriam in ſe collatam condecoris ſumptibus tueretur; Oportuit igitur eligi Imperatores non niſi illos, quorum reditus privatos, veroſimile erat, huic ferundo oneri fore pares, & ex his initiis Imperiale culmen, ab Alberto usque Primo

mo interruptum, in Alberto Secundo, ad Austriacam familiam rediit præ cæteris, subinde opibus crescentem, in qua etiam, continuatâ serie, hactenus permansit. Si quis igitur asserat, Conradum II. & Carolum IV. Imperatores ex his, quas retuli causis, plurimùm contulisse suis actionibus ad Statum subinde in præsentem faciem immutandum, meâ sententiâ haud aberraverit.

Postquam verò res Imperii, redierunt ad illas angustias, oportuit etiam Imperatores nova remedia quærere, quibus potestatem Imperatoriam privatis ipsorum Provinciis innixam, in cæteros Ducatus vel Comitatus adhuc quadantenus liceret exercere, cum primis verò necessarium illud fuit, apud priscos Imperatores de Domo Austriacâ, qui ad illum gradum potentiæ nondum fuerant evecti, nec accessione tot Regnorum accumulati, sicut accidit illorum posteris, & quidem Albertus II. Cæsar Hungariæ & Bohemiæ Regna quod gener esset Sigismundi, & Imperatoris ac simul Hungariæ & Bohemiæ Regis, jam suo tempore tenuit,

nuit, Fridericus verò III. Imperator, Frater Alberti II. confusissimum rerum Statum est expertus, maximè per seditiones Civium, ac Hungarorum irruptiones, qui Austriam devastabant, quod ipsum, cùm postea perpenderet Maximilianus I. Friderici III. filius, facilè animadvertit Ordinum Imperii assistentiam, tunc temporis sibi fore necessariam, sic ut per illam suas Provincias, sine quibus Imperatorium nomen inanis umbra relinqueretur, contra hostiles impetus defenderet; ad hoc autem obtinendum id modò supererat medium, ut Proceribus Imperii communicaret jura Majestatis, per expressam sanctionem Imperialem, sicut factum novimus in Comitiis Imperii de anno 1495. teste illo Recessu, ex quibus principiis passi sunt faciliùs Ordines, instituti Circulos ac Regimentum, ceu quidem constat hanc institutionem quinquennio post, nempe in Comitiis de anno 1500. contigisse, simili testimonio Recessus de eo anno.

Verùm Circuli ab initio sunt tantùm Statuti sex, postea tamen in Comitiis de

de anno 1512. additi adhuc quatuor, ut sic fierent numero decem, quorum singulorum membra, magis specificè ponuntur in R. Imp. de anno 1521. & 1522. Regimentum igitur & divisio Imperii per Circulos videntur primitùs respexisse ad hunc finem, quem dixi, sed in Carolo V. Imperatore, propter tantam potentiam jam cessaverat ratio Regimenti, ideoque illud fuit primò immutatum & in aliam formam redactum, ceu legere est ex Recessu Imp. de anno 1521. postea deficienti ac denegatâ magis magisque sustentatione penitus abolitum, duravit tamen Circulorum intentio ac Constitutio ad hodiernum usque diem, & sic est quæstio, de intrinseca natura Imperii Romano-Germanici, non prout olim illud sese habuit, sed prout hodiè conspicitur, hoc est, in illa sua divisione in Circulos, juribusque Majestatis, per leges fundamentales ad Proceres communicativè translatis.

Illa ipsa verò quæstio, qualis sit in Imperio Romano-Germanico Status, à multis variè est discussa; fuerunt enim qui dicerent, in Germania obtinere regimen

men Monarchicum, ac Cæſarem noſtrum, ſibi vindicare nomen veri Monarchæ, hanc opinionem foverunt plerique ex veteribus JCtis præſertim Italis, qui cùm animadverterent, in jure Juſtinianeo, per nomen Imperatorium deſignari ſummam & abſolutam Reipublicæ poteſtatem, hoc idem ad ſequiora quoque tempora & noſtros Imperatores Romano-Germanicos accommodaverunt; inter modernos, nominatioresque hujus ſententiæ Patronos, ferè anteſignanum agit, Theod. Reinkinck. *lib.* 1. *de Reg. ſec. & Eccl. el.* 2. *cap.* 2. *n.* 196. eandem quoque ſequitur, *Sprenger. in ſuâ Jurisp. publ. c.* 3. Pro qua etiam non neminem ſuppreſſo nomine refert *Herm. Conring. in elegantiſs. ad Lamp. Tract.* ſuper A. B *in not. lib.* 3. *c.* 3.

Fateor, ſi originem ſpectemus Imperii Romano-Germanici, Cæſaribus competiiſſe Monarchicam poteſtatem, aut certè multis modis, quàm nunc abſolutiorem, ceu patet exemplo Caroli Magni ac Primorum ſubſequentium Imperatorum; aſt verò jam à multis ſeculis Imperatoria poteſtas, conſuevit Legibus capi-

Capitulationum restringi, eaque propter relata etiam isthæc sententia communiore rectè sentientium calculo, jam fermè est explosa, videri præter cæteros possunt *Conring. loc cit.* ubi pulcherrimâ inductione ostendit, jura Majestatis non residere penes solum Imperatorem, adeoq; Statum Reipublicæ Romano-Germanicæ, propriè non posse dici Monarchicum; & *Hippol. à Lap. dissert. de Rat. Status Germ. part.* 1. *ferè per tot.* ubi eâdem fermè methodo singula Majestatis jura percurrit, ac simul ad argumenta Reinkingk. doctè respondet.

Mihi non est volupe, hanc rem ita fusiùs persequi ac ex variis Recessuum Imperii, Capitulationumque Cæsarearum formulis, longâ serie ostendere, quemadmodum Cæsar & Ordines Imperii in negotiis Publicis sese in vim contractus obligent, ut adeò Imperator, Monarcham in Republica agere, dici nequeat. Lubet tantùm afferre Recessum Imp. de anno 1495. *& art. 8. ex Instrum. Pac.* quæ loca hâc in re instar cæterorum esse possunt, & dilucidissimè ostendunt, Cæsarem

rem non posse legem ferre, explicare, abrogare, bellum indicere, pacem facere, fœdus ferire (nomine scil. Imperii) inconsultis nec consentientibus Statibus; quod si haberemus in Germaniâ Monarchiam, tali utique lege publicâ ne fundamentali, Regia potestas, non ita circumcisa ac restricta esse posset. Est igitur hodiè omninò extra dubium, Statum Imperii Romano-Germanici, non esse penes unum, sed Polyarchicum».

Alia igitur priori è diametro opposita est sententia, quæ statuit Statum in Germaniâ haberi Aristocraticum, quamvis Cæsar Ordinibus Imperii non nihil dignitate præfulgeat. Hanc opinionem amplexus est *Bodin. lib. 2. de Republ. cap. 6.* ubi ex professo illum propugnat *Hippol. à Lap. Dissert. de rat. Stat. Germ. part. 1. c. 2.* fatetur quidem se cum Bodino eâ in re non per omnia consentire, concedit tamen ipsum Statum Reipubl. nostræ per se esse Aristocraticum, adeoq; magnâ ex parte idem statuit; quod enim addit Hippol. temperatum esse Statum nostrum Monarchicâ administratione, puto vix ipsum Bodinum inficias iturum».

Quicquid ſit, ſententia ipſa ſic expoſita, longè diſcedit à rei veritate, eoque à Neotericis communibus ferè ſuffragiis, rejicitur, nec id ſanè injuriâ, ſi enim unus Cæſar, prout quidem plerique tradunt, tantum poteſt, quantum omnes ordines junctim, certè fieri nequit, ut Status noſter propriè loquendo Ariſtocraticus; nervus argumenti & imprimis probatio antecedentis in eo conſiſtit, qui ſine Cæſaris vel Legati ejus ratificatione, tametſi omnes Status conſentiant, Imperii nomine nihil poſſit decidi in Comitiis, & vice verſâ diſſentientibus Ordinibus, Imperator concludere nihil queat. Ergò poteſtate ut plurimùm exæquantur, & Imperator quaſi dimidium ſibi vindicat Majeſtatis alterum dimidium Ordines. Deinde ſi Respubl. Romano-Germanicâ eſſet vera ſpecies Ariſtocratiæ, Imperator noſter non ampliorem haberet poteſtatem, quàm Dux Venetorum apud ſuos, ſed hoc eſt utiq; falſum, quoniam Venetiis ſumma rerum exaſſe eſt apud Conſilium Magnum, nec Dux, niſi honoris prærogativam habet, ceu ex Contareno & aliis adducit *Arniſ. Tract. de Republ. c. 8. f. 188.* At verò

verò Imperatorem Romano-Germanicum, Comitiis interesse honoris tantùm gratiâ, aut ibidem, ut quodcunq; membrum considerari, nemo, nisi qui planè hospes est in Germaniâ, vel certè, quem alioquin sequior affectus habet, statuet. Tertiò ex omnibus ferè Recessuum Imperii clausulis constat, Imperatorem & Status convenisse inter se circa dispositionẽ hujus vel illius negotii, **haben wir uns mit Jhnen / und Sie sich hinwiederumb mit uns verglichen/ꝛc.** Ergò ut aliquid in Comitiis decidatur, requiritur consensus utriusque partis nimirùm Imperatoris & Statuum, qui junctim pro unâ Personâ habentur, adeoq; potestate sunt saltem in præcipuis æquales.

Nec movere quenquam, in transversum debent, quæ Hippol. à Lap. in d. Dissert. pro contrariâ sententiâ constabiliendâ, operosè in medium profert, nam primò quod dicit, si Cæsar uteretur exæquatâ Ordinibus potestate, fore, ut vel unius Status votum, accedente Imperatoris consensu, cætera vincat, facilem responsionem invenit; solet enim, quan-

tum quidem est ex parte Ordinum, conclusio per majora colligi, etiam ante ratificationem Cæsaris, quamvis per illam demum, ultimam Imperialis Decreti perfectionem accipiat; Itaq; cùm major numerus trahat minorem, si qui Status à majore parte dissenserint, etiam priusquàm Cæsaris placito offerantur Ordinum Decreta, reputantur pro consentientibus, adeoq;, quamvis Imperator, ad minoris partis sententiam accesserit, tamen manet æquilibrium, videlicet cùm minor illa pars, non suam ampliùs, sed majoris partis, à quâ victa est, sententiam amplexa videatur.

Quod 2. & 3. veteris regimenti & Cameræ Imperialis constitutionem attinet, nec ibi quidem acu rem tangit Hippol. Est enim omninò fallum prę suppositum, quondam regimenti, & hodiè Cameræ Assessores, repræsentare præcisè Status, Præsidem autem & Judicem, ipsum respicere Imperatorem, exclusis Statibus, quia utut hoc fortè quoad externam figuram sic videri queat, re ipsâ tamen Assessores illi, etiam singulatim considerati, vota sua

sua in Consilio dixerunt & hodienum dicunt, virtute jurisdictionis, non à Statibus seorsim, sed præsertim ab Imperatore concessæ, prout apparet ex Recess. Imp. de Anno 1500. Tit. **von den Zwantzigen / so zu der Kön. Majest. ꝛc.** ibi, **und sonderlich von uns vollkommenen Gewalt / Macht und Befehl haben sollen / den wir ihnen auch hiemit in Krafft dieses Brieffs geben / alle und jede unsere / als Römischen Königs / und deß Heil. Reichs Sachen / Recht / Fried / ꝛc. zu handeln / mit Fleiß zu betrachten / zu Rathschlagen / und endlich zu beschliessen / ꝛc.** cujusmodi textus ferè similiter reperitur in R. I. de An. 1532. §. **die Verordnete.** Imò si vel maximè admitteremus illam hypothesin, tamen non sequeretur, Imperatorem in Comitiis eodem necessariò jure gaudere respectu Statuum, quale Judex vel Præses ipsum repræsentans, in Regimento vel Camerâ habeat respectu commembrorum, potuit enim Imperator pro lubitu, æqualem vel minorem dedisse; unde illa res non infert necessitatem, ac si hoc ipsum arguit, Cæsarem non habere dimidium Majestatis, cur è contrario non efficit, ut ultra dimidium Majestatis

ſtatis participet, cùm hodiè, præter judicem Cameræ Præſides ac certos Aſſeſſores, judicium Aulicum ſolus conſtituere ſoleat. **Reichs-Hofr. Ordn.** Ferdin. III. tit. 1. §. **und dieweil** / ibi, **geſtalteſam wir auch keinen neuen Rath annehmen** / §. **wir wollen auch**/& §. **da auch im Namen**/&c. Quamvis hoc ipſum non ita ſimpliciter, extra controverſiam vel Statuum contradictionem poſitum appareat. Per idem, quod nempe Cæſar non præciſè per ſuum Legatum, ſed etiam per Deputatos Statuum Conſiliarios repræſentetur, & quod hi etiam ſinguli, virtute poteſtatis à toto Imperio dependentis, vota ſua proferant, reſpondetur quoq; ad quartum argumentum à conventu deputationis deductum.

Quod porrò & quinto loco Hippol. dicit, poſſe etiam abſente Imperatore quicquam decidi in Comitiis, & in eam rem affert textum ex R. I. de Anno 1500. tit. **das Regiment mag die 6. Churfürſtē**/&c. ubi ejusmodi caſus proponitur, ut ſi Imperator intra terminum præfixum non compareat, regimentum progredi ac decidere poſſit, non eſt tanti ponderis, ut Imperatoriæ poteſtati quicquã detrahat, quia

quia primò hæc talis conſtitutio, prout ex ejus tenore & intentione patet, loquitur tantùm de cauſis arduis & morem excludentibus, deinde etiam hoc caſu, Imperator adeſt, & adeſſe debet, ſaltem per ſuum Legatum, nempe regimenti Præſidem. Tertiò idem Hippol. fatetur, regimentum non amplius eſſe in uſu, ſed dudum & quidem inde à R. I. de A. 1530. in deſuetudinẽ veniſſe, quid igitur hinc arceſſit argumenta contra Imperatoriam poteſtatem? Nec exemplum Comitiorum Noribergenſium, quibus Anno 1524. Status Imperii, decretum contra Cæſaris voluntatem feciſſe dicuntur, hoc ipſum probat: nam falſum omninò eſt, Ordines Imperii Noribergæ feciſſe concluſum Imperiale contra voluntatem Cæſaris ac Decretum Wormatienſe, ſed quidam tantum ex illis contra hoc ipsũ obtulerunt ſua gravamina, propter quæ Legatus Imperatoris de conſenſu Electorum, cœterorumq; Statuum, decretum illud nonnihil mitigavit, nequaquàm verò penitùs abrogavit, ut paſſim apparet ex R. Norib. de prædicto An. & in ſpecie ex §. damit aber darnach/ ꝛc.

imò pone decretum Wormatiense in totum fuisse immutatum, tamen nondum haberes, Cæsarem huic abrogationi concessum suum necessariò accommodare debuisse, sed omninò feciſſet liberè; inprimis, cùm in d. Rec. ubique occurat, **und hat sich unser Stadthalter und Orator mit Churfürsten / Fürsten und Ständten verglichen**/quod sanè dici haud quaquam potuisset, si Cæsar ejusvé Legatus, liberum consensum, sine quo conventio subsistere nequit, circa qualemcunq; abrogationem non habuisset.

Ad sextum dico, non dari talem casum, ubi votum Imperatoris, tantum valeat in Comitiis, quantum quodcunq; votum certæ alicuius classis; ad exemplum subjectum, quod nempe in subscriptione Decretorum Imperialium, Curiæ Statuum pari votorum numero gaudeant in corrigendo, qui competebat in consultando ac decidendo, Imperatoris verò Legatus unico concluſivo voto, primò negari potest consequentia, nam correctio illa non eò tendit, ut Imperii Decreta substantialiter reformentur, sed tantùm,

ut

ut evidentiore ſenſu inclareſcant; quæ igitur eſt ratio, tantum cuiq; competere jurisin concludendo, quantum competit in illâ formatione Receſſus ac ſubſcriptione? Sic v. g. ex parte conſilii Principũ, Collegia Comitum, imò virtute transactionis Publicæ, poſt Receſſum de Anno 1654. omnes Deputati noviter aſſumpti, alternant, quoad illam Deputationem, non tamen alternant quoad jus voti in Comitiis, ſed habent illud ſeorſim. Ita quoque Principes, ut ſinguli in Conſilio Principum, & Urbes in Conſilio Urbium, vota ſua habent, nec tamen idem jus ipſis eſt omnibus & ſingulis, reſpectu illius deputationis. Ergo ab hâc non licet argumentari ad poteſtatem & jus in Comitiis. Deinde votum concluſivum Imperatoris virtualiter continet medietatem poteſtatis adhuc, ſicut in Comitiis, eo ipſo enim quo Statibus vel omnibus vel per majora conſentientibus, unius Imperatoris, vel Commiſſarii ejus, conſenſus aut diſſenſus, placita Ordinum vel perficere vel ſuſpendere poteſt; eo ipſo, inquam, ubiq; & etiam in exemplo propoſito colligitur,

ligitur, Cæsarem habere in Republ. Romano-Germanicâ vel exæquatam Statibus potestatem, vel aliquantò etiam eminentiorem. Denique & septimò ad id, quæ Imperator, majore Ordinum parte absente, cum cæteris decidere nihil possit, jam anticipando responsum est ad rationem primam; videlicet ex parte Statuum Imperii, minorem numerum à majore ttahi, sicut ergò in casu præsentiæ minor numerus dissentiens à majore habetur pro consentiente; ita per inversum quoq; in casu absentiæ majoris partis, neque minor numerus habetur præsens ad effectum decernendi, cujus rei promptior ratio reddi nequit, quàm quod ita longâ & immemoriali observantiâ obtinuerit, ceu apparet ex singulis ferè Recessuũ Imperii subscriptionibus. Invenitur quidem cautum in R. I. de Anno 1512. §. Es sollen auch die Churfürsten / ꝛc. und was dieselbe (sc. beruffene Stände) so erschienen sind / oder der mehrer Theil aus ihnen auff die Pflicht derhalben auffgericht / obberührter massen endlich berathschlagen und beschliessen werden / dem soll von allen Stän-

Ständen gefolgt/nachkommen und vollstreckt werden / ohne alle Wiederred und Wäigerung.

Sed hoc ipsum, prout contextus, arguit imprimis pertinere videtur ad negotium ibi propositum, quemadmodum, nempe bellum commodè geri possit, contra illum, qui vel vim infert Statibus Imperii, vel eosdem, privilegiave illorum violare, aut etiam à Regno Germaniæ avellere conatur, sc. pro circumstantiis ejus temporis, quòd autem valeat hæc talis dispositio, in omnibus simpliciter sive pro universali normâ, secundùm quã in Comitiis ex parte Ordinum per majora concludatur in literâ non apparet; Interim ex his quæ deduxi satis colligitur, Hippolithi argumenta, quibus contra communem sententiam probare nititur, quòd Imperator non gaudeat, exæquatâ Statibus potestate, sed minore, & quòd propterea Imperium Germaniæ modernum sit Aristocraticum, nihil amplius in Recessu habere, quinimò si vel maximè concederetur, Imperatorem cæteris Statibus junctim sumptis, haud quaquã potestate

testate esse æqualem, tamen adhuc Status inter se essent ac manerent, prout mox pluribus dicam, diversæ admodum conditionis, & sic nihilosecius relinqueretur, in Imperio hodiè haberi Statum, propriè loquendo nõ Aristocraticum, sed mixtũ.

Ob eam igitur causam & quoniam duæ illæ extremæ sententiæ, quæ partim, Monarchiam, partim Aristocratiam Reipubl. Romano-Germanicæ contribuunt, suas incurabiles habent difficultates, tertia extat media sanior ac receptior sententium classis, qui dicunt, in Germaniâ vigere Statum ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum; Huius sententiæ fundamenta, jam magnâ ex parte desumi possunt ex antè dictis, ac primò eadem probatur inductione hoc modo; inter omnes constat, & ipsa experientia testis est, Imperium Romano-Germanicum non incidere in speciem cujuscunq; Democratiæ, neque enim hodiè, prout erat ante Carolum Magnum, temporibus illis priscæ libertatis, totus populus ad Comitia vocatur, ac jure voti gaudet in publicis negotiis; ex altero autem capite, ostensum

ſum eſt, quod non habeamus Monarchiam vel Ariſtocratiam ſimplicem. Ergò à ſufficienti enumeratione partium relinquitur, quod Reſpubl. Germanorũ ſit ex Monarchiâ & Ariſtocratiâ mixta & contemperata. Deinde nihil concludi poteſt in Comitiis, niſi cùm Cæſar & Imperii Ordines conſenſerint & ſe in vim contractus obligent ; prout ante dictum eſt. Ergò Imperator & Status ſunt in negotiis Comitialibus exæquatæ poteſtatis, adeóq; Reſpubl. Germanica jure merito cenſeri debet mixta ;

Hujus argumenti vim, cùm animadvertat *Hippol. à Lap. diſſert. de Rat. Stat. p.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 5. admodùm operoſus eſt, quemadmodum conventionem iſtam inter Imperatorem & Status, eò detorqueat, ne æqualitatem poteſtatis inducere videatur ; Excipit igitur primò, illam fieri dicis tantum gratiâ, ad eum ſcil. modum, quo LL. Regni Poloniæ, per conventionem ferri dicuntur, aut quo antiquitùs Respubl. Romana in ferendis LL. uſa fuit, dum nimirum Conſul interrogavit & materiam Legis propoſuit, populus

lus autem decidit atque conſtituit, ac ſi omninò prædicta inter Cæſarem & Ordines conventio, exæquationem poteſtatis, reipſâ importet, atq; coarguat, fore, ut Status non conjunctim, ſed ſingulatim intelligi & Imperatori opponi debant.

Verum enim verò hæc & ſimilia ſtudio extenuandæ Cæſareæ Majeſtatis prolata, contra omnium, non Receſſuum modò Imperii, ſed & Comitiorum fidem pugnant, in quibus uti notũ eſt, nihil planè concludi poteſt, niſi de conſenſu Cæſaris; Hinc etiam in caſu Diſſenſus Replicæ illæ duplicæ, &c. inter Imperatorem ex uno & Status ex altero latere, quæ ſanè nequaquàm admitterentur, ſi Cæſar in Comitiis conſideraretur, ut quodcunque membrum, ſive, cum qualicunque prærogativâ. Demonſtrat hoc ipſum imprimis textus ille ex R. I. de Anno 1500. tit. Von dem Zwantzigen / ſo zu der Königl. Maj. ꝛc. ubi Cæſar Conſiliariis regimenti, præcipuam poteſtatem dedit, publica negotia Imperii conſultandi, ac etiam decidendi, quod profectò non potuiſſet, nec Status Imperii, quippe qui Receſſui iſti ſub-

ſubſcripſerunt, in præjudicium ſui, inſeri eadem paſſuri fuerant, ſi Imperator dicis tantum gratiâ, in publicis conventionibus intercederet. Prætereà ſi clauſula iſta conventionis omnibus ferè Imperii Receſſibus ſubnexa, tantùm in ſpeciem ita fieret, ac ordines Imperii in Oppoſitione ad Cæſarem, ſeorſim tantum ac ſingulatim conſideraretur Status Catholici junctim nunquam profeſſi eſſent, ſe Cæſareæ diſpoſitioni, nihil quicquam derogare poſſe, quod tamen expreſsè fecerunt in Receſs. Imp. de Anuo 1545. §. **Und wir Churfürſten/ꝛc.** ibi. **Wir die Ständ der alten Religion nicht willigen/ und doch Ihr Majeſt. darinn nicht Maß noch Ordnung geben könten.**

Tandem conſtat, Ordinum placita offerri ſolere, Cæſari ejusvé Commiſſario, ad ratihabitionem non viritim, ſed curiatim, adeòq; falſum eſt, in prædictâ conventione, Status ſeorſim, & quaſi individualiter acceptos Cæſari opponi, ſed utique accipi debebunt junctim & pro unicâ Perſonâ fictâ, quæ deinde ſe cum Imperatore tanquam alterâ parte contrahen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [61] - 47
PUBLIC DOMAIN

trahente, ad conventionem Imperii obligat. Ergò Status Imperii noſtri moderni eſt mixtus. Apparet idem ex eo quoque, quod Status etiam inter ſe conſiderati inæqualis ad modùm exiſtant conditionis, potentiæ ac dignitatis, nam Collegium Electorale, ſolum eligit Imperatorem ut patet, deinde etiam Comitia non indicuntur, niſi de conſenſu Electorum, cùm tamen cœteri Principes ac Imperii Ordines deſuper non requirantur, ſed tantum ſtatuto jam die ad locum comitiorum vocentur. *Cap. mod. Imp. art.* 17.

Quarto Electores ſinguli habent jus præſentandi Aſſeſſorem Cameræ, quod ipſum nemo Principum ſeorſim habet, ſed ſolum nomine totius circuli idem competit, Caſſier-Gricht-Ordn. p. 1. tit. 1. Quintò Cæſar non poteſt impertiri nova vertigalium privilegia, vel etiam vetera extendere, irrequiſitis ſeu diſſentientibus Electoribus, ad quam tamen conceſſionem, nullius Principis deſiderat conſenſum. *Capit. moderni Imperat. art.* 21. *& ſeq.* Sextò, Electores gaudent publicâ ac fundamentali Lege Imperii nempe

A. B.

A.B. c. 8. & 11. Privilegiis de non appellandò ſimpliciter, licet non ignotum ſit, aliquos eadem, haud ad uſum duxiſſe; cœteri autem Ordines, pauciſſimis exceptis, hujusmodi Privilegium aut omninò non habent, aut reſtrictum ad certas cauſas vel ſummas, & quæ talia plura ſunt, ex quibus Electoralis ſublimitas, præ reliquis Imperii membris evidentisſimè conſpicitur atque refulget.

Quòd ſi conſideremus Imperii Principes & Comites inter ſe, profectò etiam magna apparet diſparitas, quam in primis inde videre licet, quia Principes Imperii, pro ſe quisq; ſeorſim voti jus uſurpant in Comitiis, ex adverſo Comites omnes ratione quatuor Collegiorum ſuorum, nempe Wetteravici, Suevici, Franconici, & Weſtphalici, quatuor tantùm vota exercent, adeoque ſunt inferioris authoritatis, quàm Principes. Quod attinet Civitates Imperii, feruntur illæ duplicis voti jus habere. Cæterùm ſi verum eſt, quod vulgò aſſeritur, & paulò ante etiam innui, nimirum Ordinum Placita curiatim proponi ſolere juxta tres Claſſes, Ele-

ctorum, Principum ac Civitatum, ſanè Urbium Collegium, quamvis dignitate plurimum cedat, poteſtate tamen reipsâ, & ſi uſum reſpicias, videtur eſſe majori, quàm ut duobus tantùm votis gaudere, rectè dicatur, quamvis enim mos iſte per Curias, ſive Claſſes exponendi invicem Statuum Placita extrinſecus modò ſic invaluerit, adeoq; potius, prout infrà quoq; dicam regulariter numeranda ſint vota, tamen non eſt planè nullius momenti, quoad exercitium voti ſeparatam conſtituere Claſſem.

Quandoquidem igitur Urbes Imperiales ſolæ & absque conſortio aliorum Ordinum Claſſem conſtituunt, in Comitiis; Principes verò ſimul cum Comitibus atq; Prælatis, apparet ſanè, authoritatem Comitialem Civitatum, nulli magis quàm conſilio Principum, inprimis verò Comitibus ac Prælatis, qui cùm tot ſint, tamen ratione Collegiorum tantùm particularium, jus voti ſortiuntur, conſiderandam eſſe; Quæ cùm ita ſeſe habeant, omnes illos diſcurſus, quos de quæſtione; an Urbes voto conſultivo vel deciſivo gaude-

gaudeant, antehâc admodùm agitatos Instrum. Pac. art. 6. sustulit, omninò vanos fuisse oportet, nam Urbes Imperiales eo ipso, quo peculiarem ac tertiam Ordinem Imperii Classem, jam ex multo tempore citra controversiam obtinuerunt, nõ possunt non etiam jus voti decisivi in effectu exercuisse, cujus rei exemplum habere licet ex Comitiis, An. 1641. in quibus cùm superiora Electorum ac Principum Collegia ad centum viginti collectas vulgò Römer Monat/ sententiam suam dirigerent Civitatum Curia per se restitit, nec induci potuit, ut ultra sexaginta promitterent; itaq; Comitia illa fuerunt rupta; quòd si tum temporis & anteà, Civitates solùm consultandi gratiâ, accessissent ad Comitia, certè non fuissent Status, sed tantùm subditæ, & idcircò nec potuissent Statuum decreta, circa positionem quanti contribuendi, reipsã declinare, quod tamen est factum. Loquor autem de Civitatibus hâc vice pro Statu præsenti; quin enim antiqua origo voti decisivi promanaverit, primùm ac pedetentim ex usu vocandi Civitates

ad Comitia, non est, cur adeò repugnemus.

At enim dices, liberum esse Ordinibus Imperii in puncto collectarum pro lubitu, quantum aliquod, sive summam ponere, nec eâ in re majora valere; Respondeo unum vel aliud votum ex Curiâ Principum etiam in hac eâdem materiâ difficiliùs viciſſet, si tanto consensui volupe fuisset adversari, cujus rei testimonium vel ex præsentibus Comitiis, depromere licet, nam quanquam multi promiserint collectas numero minores, attamen nec obstante quidem expressâ reservatione, quod per majora nemini præjudicaretur, Rationalis Cæsareus ex ratione pluralitatis votorũ 50. popoſcit plerumq; indifferenter, adeoque patet inde, nihilosecius valdè difficile relinqui, si Praxin respicias, per illam regulam vincere majora, ad hunc effectum, ut minùs contribuere liceat. Verùm redeo ad id, unde exorsus eram, constat ex hactenùs dictis Imperium Romano-Germanicum esse ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum, duplici præsertim ratione, quia nimirum Imperator,

rator, si non magis, saltem ex æquo cum Statibus participat jura Majestatis; deinde quia Status ad se invicem considerati, admodùm inæqualiter Politicæ potestatis sunt compotes, quæ ipsa in Republ. simplici, cujuscunque formæ obtinere neutiquam possunt.

Porrò quænam forma simplex, Monarchica nimirum vel Aristocratica, in Republ. nostrâ præponderet, altera & consequens ex prioribus quæstio est; & quidem si Jura Imperatoris Statuum Juribus prævaleant, Monarchia, sin contra, Aristocratia prædominabitur; nam quâ ex parte Cæsar Reipubl. præest, Monarchiam, quâ verò ex parte Status, Aristocratiam sapere, aut certè huic vel illi Reipubl. speciei vicinior esse videtur. Quoniam igirur, ut suprà tetigi, Cæsar judicium Aulicum, prætereà etiam Judicem & præsides Cameræ cum certis Assessoribus, solus constituit, aut saltem est in ejus rei exercitio. Reichs-Hoffr.-Ordn. Ferd. III. §. Und dieweil. §. Wir wollen auch / & §. Da auch im Nahmen. Cammer-G.-Ord. p. 1. tit. 1. similiter Regimenti Consiliariis,

potissimum facultatem concessit, Publica Imperii negotia peragendi, Recess. Imp. de An. 1500. tit. von den Zwantzigen Majest. ꝛc. so zu der Königl. Majest. Tertiò certa quædam negotia graviora, quæ præsertim Feuda Imperii concernunt, jurisdictioni Cameræ exempta, quasi in signum superioritatis ac præeminentiæ, suæ decisioni specialiter quanquam sensu, de quo infrà, non modò reservavit, Cammer-Gr. Ordn. p. 1. tit. 4. sed quod plus est permittentibus Ordinibus, etiam sine paribus Curiæ exercuit, ut testantur passim præjudicia. Quartò, quia omnia Feuda Imperii recognoscuntur ab Imperatore, non verò à Statibus simul sumptis, ut per se notum est. Quintò, quia Statuum Privilegia dependent, ac profluunt ab Imperatore. Rec. Imp. de An. 1654. §. Und stehet diesem nächst / ꝛc. Sextò, quia omnes Processus in supremis Imperii tribunalibus, Aulâ sc. & Camerâ, sub nomine & sigillo Imperatoris expediuntur. Propter hæc inquam & id genus alia, haud immeritò, quisquam existimaverit, in Republ. Romano-Germanicâ,

câ, aliquantum præponderare Monarchiam, quamvis prærogativa illa, per Jura Statuum, inprimis Electorum restricta, eoq; præsertim, si usum spectes, in multis obscurior videatur.

Quicquid sit, non placet, circa nomina, an nempe Respubl. nostra Monarchico-Aristocratica, an contra rectiùs Aristocratico-Monarchica vocetur, scrupulosè immorari, sufficiat ostendisse, quòd Status Regiminis Germanici reverà & intrinsecè sit mixtus, quodq; Imperator ratione negotiorum Publicorum, quę in Comitiis Imperii occurrunt, dimidium, alterum verò dimidium Ordines, sibi vindicent, prætereà quòd Imperator certis quibusdam reservatis ac juribus, Ordines etiam simul sumptos antevertat, & quòd hic vicissim inter se, potestatis & dignitatis participatione admodùm existant inæquales. Quapropter quæstio nostra eò redit, per quænam media, Imperatoria illa præeminentia, Ordinumq; Jura ac Privilegia, tùm inter se, tùm ad Exteros habito respectu, simul verè & quidem commodo Universæ Germaniæ,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [69] - 55
PUBLIC DOMAIN

hoc est etiam illorum, qui propriè sunt subditi, quippe ad quos utiq; redundare ac referri debent artes boni regiminis, conservari & ubiq; in suum vigorem asseri ac restitui possint, quod priusquàm fiat, necessum est, alia nonnulla in antecessum considerare. Sit igitur

CAPUT III.

De Conditionibus internis Imperii, per Circulos divisi.

QUod Scipio Major apud *Liv. lib.* 28. asperis illis belli Punici secundi temporibus, de Romanâ Republ. gloriatus est, hisce verbis; *cùm à Sociis deserti essemus, nostris viribus & Romano milite stetimus*, liceret quoque de Imperio Romano-Germanico dicere, quòd nempe nullis planè sociis suffultum, suis tamen viribus & Germano milite stare possit, si modò alia esset Reipublicæ & rerum gerendarum facies; Nam adhuc hodiè plures supersunt Imperii Principes, qui vel soli justum exercitum alere possunt, ejus-

ejusq; rei in bellis non ita priſcis, teſtimonium dederunt; e. gr. Elector Brandenburgicus nupero Polonico bello copias satis numeroſas ſuſtentavit, ſic etiam ante annos non ita multos, dum Mavors in Germaniam noſtram telum excuſſit, Elector Palatinus, Saxo, & Bavarus, nec non Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes, item Landgravius Haſſiæ, Dux Lotharingiæ, Saxo Vinarienſis, Marchio Durlacenſis, & alii ſuis exercitibus freti fuerunt; ita ante pauca tempora Dux Würtenbergiæ militarem delectum in ſuo Territorio egit, ſatis numeroſum, præter hos, tot Eccleſiaſtici, tot alii ſeculares Principes, tot Comites, & Imperii Civitates, non contemnendum militem ſubminiſtrare, aut certè aliis ſupplementa addere poſſunt.

Quæ cùm ita ſeſe habeant, mirari ſubit, cur igitur militia Germanorum hodiè adeò frigeat, ut v.gr. ad proximum bellum Turcicum quantumvis periculoſum nomine Imperii tam lentè noſtra contraxerimus auxilia. Huius rei, cùm fortaſſis plura ſuppetant, expeditius ac

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [71] - 57
PUBLIC DOMAIN

verius responsum expromere non possum, quàm quòd Ordines Imperii privatim sint potentes, Respubl. autem admodùm debilis ; Status enim singuli suos habent subditos ac Territoria , quorum ratione, uti quidem Carolus Quintus eos vocâsse fertur, sunt quasi Reges, ac etiam dignitates suas & officia Ducum, Comitum, &c. tanquam aliquid inseparabiliter annexum, hæreditario jure gerunt; Per contrarium verò Imperator quatenus Imperator, hodiè nihil ferè ampliùs possidet, sed quicquid tenent moderni Cæsares de Domo Austriacâ, hoc omne pertinet ad ipsorum patrimonium privatum. Quòd si igitur bellum ingruit, aut alia Reipubl. necessitas sumptus exposcit, auxilia non cóëunt æquali celeritate, & alii sua conferunt lentè, alii promptius, aliquando etiã, pro lubitu ratione Territoriorum contribuitur, pro lubitu, hodiè, cras vel perendiè, aut milites mittuntur, aut pecuniæ. Quod ipsum, ne fieret, non tantùm nullâ sufficienti cautelâ provisum est, sed Status Imperii omninò Privilegii instar ducunt, & expressè pro jure, tum,

tum aliâs, tum præsentibus Comitiis sibi reservarunt, nec circa materiam contributionum, ad majora astringantur.

Quamvis autem infirmiores vel quicunq; Status, per majora fortè locupletiorum vota, haud immeritò, sibi præjudicari nolint, scil. ut loquuntur nostro idiomate; **damit einer dem andern nicht in Beutel votiren möge**/ tamen Publicæ saluti, inde pro circumstantiis ex asse non consulitur, quandoquidem sic fieri potest, ut Respubl. aliud & plus exigat, aliud & minus detur, sive, ut hostis interim Urbes expugnet, Provincias Imperii pervastet, & ingentibus spoliis onustus abeat, dum nos contrahendo milite occupati sumus, quod non ideò dictum velim, quasi aliqui Ordines, majoribus votis, Constatuũ in puncto collectarum stringi debeant, sed assero tantùm, pro præsenti rerum facie, difficile esse, hoc negotium ita contemperare, ut hinc quidem publicæ libertati, illinc necessitati, satis videatur provisum. At verò, inquies, annon prospectum est huic rei per Processus Fiscales; solet enim ac jubetur Fiscalis

scalis Cameræ, ad pœnam banni, vel pecuniariam, loco ejus introductam, in casu moræ procedere, ceu passim contestantur Recessus Imperii. R. A. de An. 1542. §. Damit auch solcher Ordnung R. A. de Anno 1557. §. und sol der Käis. Cammer Procurator, R. A. de Anno 70. §. Es sollen auch Cammerrichter. Recess. Imp. de An. 76. §. dieweil dann in dieser. Recess. Imp. de Anno 82. §. damit dann unser Fiscal. Recess. Imp. de Anno 94. §. dawider auch solchen widersetzigen. Recess. Deput. de An. 1600. §. da aber einiger Stand & alibi &c. Respondeo huic necessitati nequaquam inde consuli; nam Processus fiscales etsi comparatione aliorum nonnihil celerius ad finem decurrere videantur, tamen non rarò & ipsi suâ distinentur morâ; fatentur illud, Recess. Imp. de Anno 76. §. Weiters nachdem & Recess. Imp. de An. 98. §. und als wir hierbey / ac tametsi in citatis locis, toties cautum sit; Es soll der Procurator Fisci, mit der declaration pœnæ schleunig verfahren, tamen hæc res non ubique habuit effectum, sed semper ferè, cùm nova Comitia fuerunt, Recessibus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [74] - 60
PUBLIC DOMAIN

bus inserta est mentio restantium adhuc veterum collectarum, & nonnulli Status Imperii sustinuerunt potiùs super hac re Processus Fiscales, quàm ut contributiones istas pro ratâ solverent, uti indicat d. R. de Anno 98. §. und weilen zeithero.

Quinimò, si vel maximè Procurator Fisci, ad sententiam & finem usque Processus deproperet, quis tandem parere solet; equidē est aliquando, ut victa contumacia rei judicatæ cedat ac satisfaciat; inde in d. §. Weiters nachdem. d. R. de Anno 76. mentio fit aliquorum, qui tantisper solvere detrectaverint, dum per fiscales Processus eò adacti fuerint; attamen vicissim accidit, ut condemnati nihilominùs obstinato animo reluctentur, quin aliqui, ne quidem fulmine banni, permolescunt, sicut exempla, nisi odiosiora forent, vetera & recentia fortassis, allegari possent. Esto autem rariùs hoc tale quippiam contingere, ut nimirùm eô pertinaciæ procedatur, certè illud frequens est, ut etiam contra Processus fiscales, & quidem notoriè injunctas contributiones, solutiones intermittantur;

tantur; Si igitur pro tenore Receſſuum Imperii & Reipubl. exigentiâ, ſtatim ferretur declaratoria pœnæ, jam plures opinor fore, qui in pœnam declarati reniterentur; dum autem mitiore viâ ac lentiùs ad has extremitates proceditur, Respublica interim ex morâ damnum accipit, ac manibus noſtris, commoda occaſio elabitur; Utrovis igitur modo maturatio collectarum tentetur, habebit præſens adminiſtratio ſuos obices; jam quia pecunia eſt nervus belli, unde ſc. ſuſtentatio exercitus deſumi debet, quis non videt, quemadmodum, rebus ita ſtantibus, Imperium Romano-Germanicum ad bella ſeſe habeat.

Et quidem hoc ipſum ulterius hinc perſpicere licebit; Ut exactio contributionum ad uſus Reipublicæ ritè converti poſſit, prærequiritur, notum eſſe, quantum quisq; Status debeat, alioquin enim, qui fiet, ut Respublica hiſce collationibus firmiter inniti queat? Jam verò nihil incertiùs eſt hac ipsâ quæſtione, quippe quæ provenit ex imperfectione Matriculæ. Unde ſæpe accidit, ut tot vel tot repromittan-

mittantur indictæ, nihilominùs tamen ignoretur, quantum sit repromissum. Ad quærendum igitur huic rei remedium, ac incertitudinem Matricularem removendam, aliquoties in Comitiis de anno 1548. & 1566. agitata fuit quæstio de emendatione Matriculæ, sed res isthæc semper est suspensa. Novissimè R. J. de anno 1654. ejus quoque mentionem injecit; sed remissivè ad alium conventum. De hinc præsentibus hisce Comitiis, rursus occurrit punctus ille moderationis Matriculæ, verùm non satis tempestivè motum fuisse judicavit, sublimissimũ Electorale Collegium, sc. intuitu defensionis Imperii contra Turcam antea deliberandæ ac suscipiendæ.

Porrò videtur quæstio illa de moderatione Matriculæ, quadantenùs esse præjudicialis; nam hinc inde in Recessibus Imp. animadvertere licet, indigitari collectas Turcicas, nomine **einer freywilligen Hilff oder Steuer.** Deinde Ordines Imperii, reipsâ hoc sequuntur, nec solùm quæstionem quanti, sed etiam, an contribuendum sit, arbitrio suo reservatam volunt,

volunt, ceu conteſtatur experientia, v. gr. haud ita pridem Statuum nonnulli, ab onere contributionum ſe excuſaverunt, alii etiam plus, alii minus promiſerunt, quod ſi licet, nihil cauſæ eſt, cur tanto animorum ardore, præſertim nuper, ubi Turca propè cervicibus noſtris imminuit, punctus-moderationis Matriculæ, ad ſcopum contribuendi, decidendus pertractetur, nam ita Statibus illis, qui ſe gravatos antiquâ Matriculâ conqueruntur, ſponſione pauciorum collectarum, ſibi proſpicere liberum manet, cui bono igitur adeò urgent moderationem Matriculæ? Si enim ſumma moderata aſtringit Status, ut exigente Republicâ tantùm, præcisè ſolvant, jam collecta deſinit eſſe ein freywillige Steuer oder Hilff; ſin non aſtringit, præter rem eſt, ut dixi, conſilia ad moderandam Matriculam operosè conferre; utrovis verò modo res iſthæc ſeſe habeat, Publicæ ſaluti ſatis conſultum non erit, quia ſi vel maximè Ordines Imperii, Matriculam quantumvis moderatam ratione quanti Publicè comprobarent, opinior tamen, nunquam eò adactum

ctum iri, ut deinceps, num hoc vel illud negotium incidens, contributiones, ac quotuplices requirat, sese planè ad arbitrium alienum Lege Publicâ devinciant, quippe satagunt quandoque, quemadmodum pecuniæ illæ convertantur, an ad Reipublicæ usus, vel in quem finem? Ita fit, ut etiam casu factæ moderationis, certi esse non possimus, quantumquisque Status contribuere debeat.

Cæterùm si qui Ordines jam repromiserunt certum collectarum numerũ, horum ex alio capite non immeritò interest, moderamine justo taxari Matriculam, ne ex eâ re damnum sentiant, unde ad nuperum bellum Turcicum, aliqui Status, Triplum non nisi moderatum præstare voluerunt, absolutè autem & quoad collectas certo numero nondum repromissas, aliter non refert, nisi fortassis ad externam ostentationem, ut nimirum plures indictas, eò minore pecuniâ exsolvere possint. Ex quibus apparet, nos vivere hodiè in tali Republica quæ pro his circumstantiis certo militum numero difficulter, vix verò ac ne vix quidem tempestivè coëat contra

hoſtes, quæque parcos ac difficiles præbeat, alendis exercitibus ſumptus.

Porrò, cùm Ordines Imperii in ſuis Territoriis, quaſi Regiam exerceant poteſtatem, oportuit certum vinculum eſſe unionis, quo inter ſe in mutuâ concordiâ conſervarentur, niſi enim hoc ita eſſet, ſed jura, ſub pugnaci enſe jacerent, aliud nihil expectare poſſemus, quàm cruenta bella; hinc igitur antiquitùs, cùm adhuc licuit diffidari, **da die Bevehdungen und das Fauſtrecht noch gegolten**, ad exitium usque Reipublicæ funeſta inter ſe geſſerunt bella Imperii Ordines, qualia fuerunt v. gr. tempore Friderici Barbaroſſæ inter Henricum Saxoniæ Ducem & alios Principes, ſimiliter tempore Wenceslai, inter Principes ac Civitates, & alias ſæpè, equidem jam regnante Carolo Quarto, nonnihil reſtringi cœpta eſt libertas illa diffidandi, dum non, niſi ex causâ juſtâ, ac per tres dies naturales, diffidatione notificata, hoc ipſum permiſſum eſt, A. B. *c.* 17.

Cæterùm, quia vel iniquiſſimæ cauſæ, facilè quæritur prætextus, ſaluti ac utilitati Publicæ eo ipſo non fuerat conſultũ.

Propte-

Propterea Maximilianus Primus, introduxit Pacem Publicam, quâ pœnâ banni feriebat, qui quem cujusvé subditos, armis coadunatisque hominibus invasissent; Hæc Lex de pace publicâ, toties deinde in Recessibus Imperii reiterata ac renovata est, prout passim videre licet, statutâ pœnâ pecuniariâ, nimirum 2000. Marcarum auri, æquivalente, in Ord. des Landfridens tit. wie der Landfried ꝛc. Fateor bonam esse intentionem Legis, eamque à multis, pro præcipuo haberi ligamine ejus, quæ super est inter Ordines Imperii, concordiæ; veruntamen, an scopus iste, in hâc Reipublicæ facie, ita ex asse obtentus fuerit nec ne; haud difficulter cognoscere possumus ex historiis, quæ sanè luculentius perhibent testimonium, toties contrà peccatum esse, neq; opus est, ut longinqua accersamus exempla, multorum instar suppetit Germaniæ bellum ultimum quo vires nostræ in mutuam exarserunt perniciem, ipse autem, adhuc hodiè judicanum omnes potentiores negotia præsertim majoris momenti, gladiis potiùs, quàm jure dirimere

gaudeant? Quòd si Pax Publica, reipsâ internæ concordiæ immobile fulcrum esset, omnia secùs quàm armis agi conveniret, nec licentia tantùm, sed inprimis potestas armorum, quatenus ad Reipubl. detrimentum vergit, coërcita foret.

Desuper accessit indè à temporibus reformatæ religionis, novus discordiarum fomes, nempe fidei diversitas, quâ Statuum animi adeò ab invicem abalienantur, ut interdum vix majori hostium, quàm ipsorummet inter se odio, flagrare posse videantur; Hinc enatum bellum Schmalcaldicum, & alia, quin etiam recentissimum Germaniæ bellum, quamvis initio aliam causam habuerit, quadantenus tamen, nempe respectu fœderis Lipsiaci, religionis intuitu gestum est. Equidem jam olim primò per Pactum Passavense, de Anno 1552. deinde Publicâ Imperii Lege de Anno 1555. nempe Pace Religiosâ, de remedio quæri cœptum est, cautumque in vim Pragmaticæ sanctionis, ne quis Status Imperii, alteri ejusvé subditis aut ditionibus religionis Catholicæ vel Lutheranæ nomine, sub pœna pacis profanæ violatæ, bellum moveat.

veat. At enim anteà isthæc Religionis pax, si verum fateri volumus, magis formidine mutuæ potentiæ, quàm amore commodi Publici, hactenus observata esse videtur; cum enim hoc eodem seculo circiter annum vigesimum nonum atque trigesimum Ferdinandus Secundus Imperator, ubique ferè repressis adversariis, victrices circumtulisset aquilas, quos non Episcopatus, quæ non Monasteria, aliaque id genus Protestantium bona, Catholici variis prætextibus, aut occupabant, aut saltem sibi restitui desiderabant; Ex quo verò post prælium Lipsiense, & aliquot secunda prælia, Suecus cum unitis Protestantibus prævaluit, ne hinc quidem cum Catholicis melius actum fuit, ac deinceps variante fortunâ, aut hinc aut illinc Pax religiosa jacuit sepulta. Fortassis verò dicetur, per ea quæ infrâ capite insequenti tango, bellum hoc non fuisse, usquequaque religionis intuitu gestum; regero, verum hoc esse inprimis quoad exteros, sed Status Imperii magnâ ex parte, funesto illo religionis odio in se mutuò accensi fuerunt.

Tandem Instrumentum Pacis, Amnistiam universalem, quâ adhuc hodiè, Deo dante, fruimur, comprehensis etiam in Pace Religiosâ Reformatis sive Calvinianis reduxit, statuitque specialiter in Ecclesiasticis, qui Status initio Anni millesimi, sexcentesimi vigesimi quarti, ex his bonis quippiam possedit vel quasi, uti quoque in posterum ita possideat.

Cæterùm ne sic quidem alio, quàm verborum munimine gaudemus; Literæ sunt optimæ, sed si non observentur, propter faciles prætextus, multa disputatio est, ut ostendatur, difficiliùs sæpè bellum, ut transgressores cogantur. Utique igitur vinculum concordiæ in Republicâ nostrâ, sive Politica sive Ecclesiastica spectes, dependet à fragili admodùm fundamento, nimirùm à voluntate Ordinum, quamvis enim adversus violatores Pacis Publicæ profanæ & religiosæ in Camerâ decernantur, Processus citationum ad vid. se incidisse in pœnas earundem, tamen perlongæ sunt litium ambages, ac si vel maximè per sententiam tandem obtineas, deficiens excutio haud ra-

rò fru-

rò fruſtrabitur effectum, ceu quotidiana docet experientia.

Ac uti melius appareat, quemadmodum ſe habeat, Imperium noſtrum Romano-Germanicum, paucis quoque percurram adminiſtrationem Juſtitiæ; Duo ſunt hodiè apud nos ſuprema Imperii Tribunalia, Aula nimirùm & Camera Cæſarea, quibus ex Inſtrumento Pacis, non concurrens modò, ſc. & alioquin exercita jurisdictio, ſed idem etiam Proceſſus judiciarius eſſe debet; utriusque hujus judicii Aſſeſſores ſequi tenentur. Conſtitutiones Imperii ac jus commune, ſc. in Libris Juſtinianeis expreſſum, eſt etiam non modicæ autoritatis jus Canonicum, ſimiliter reſpiciuntur conſuetudines, jura Feudalia, Statutaria, & id genus alia, quibus deſuper accedunt infiniti propè veterum ac modernorum Jureconſultorum Codices, Conſilia, Deciſiones, Commentarii, ac neſcio quæ alia nomina. His ipſis limpidiſſimi Juſtitiæ fontes adeò obducuntur, ut hodiè vix ſuperſit ullus juris articulus, qui non in utramque partem ſuos invenerit Patro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [85] - 71
PUBLIC DOMAIN

nos ; dehinc fæpè circa ipfas juris quæ-ftiones admodùm variant Aſſeſſores, prout videre eſt apud Klockium, Gylmannum, Fabricium & alios. Itaque cùm habeamus jus vagum, perplexum, ambiguum, mirari non debemus, ſi talis quoq; ſit noſtra Juſtitia; ſed eſto, omnes judices ubivis Germaniæ, inter tot involucra, ſatis oculatos eſſe, qui æquitatis tramites per devia illa conſectentur, profectò alterum vitium eſt, quòd nimiis ſubtilitatibus in jure dicundo laboratur, propè enim reditum eſt hodiè ad antiquas illas impetrandarum actionum formulas, dubitareque liceat, an qui olim ex præſcripto Prætoris recitaverunt ſuas actiones, an verò moderna ætas in Proceſſibus curioſiorem ſe exhibeat, v. g. qui ſupplicat pro Mandato S. clauſula debet ſimul petere annexam citationem ad docendum de paritione vel vid. ſe declarari in pœnam, quod ſi omittit, non decernitur mandatum; *Mem. viſit. de Anno* 80. §. da auch einig Mandat. Idem eſt in cauſis Simplicis Querelæ, nam Proceſſus vigore R. Imp. Noviſſimi non decernitur, niſi nomi-

nominatim petitâ citatione; Quinimò hodiè unâ peti debet præfixio Legalis termini *Sctum Cam. de data* 13. *Decembris* 1659.

Verùm hæc & alia similia utique ex officio à judice fieri possent, qui eo ipso, quo contra adversarium extrahitur mandatum, sive condemnatoria ferri petitur, etiam quoad antecedentia & connexa Juris tacitè implorari, censendus esset; In causis provocationum adhuc rigidiores ac periculosiores habemus subtilitates, nimirùm v. gr. circa fatalia, documentum requisitionis actorum, instrumentum Appellationis, juramentum &c. quæque ejusmodi plura sunt, ob quorum neglectum, v. gr. in singulis ferè sententiarum Cameralium Publicationibus, non devolutorias vel desertorias exaudire licet frequentius. Præter hæc verò, judicia Imperii variis declinantur, Causidicorum artibus atque strophis, e. g. in Recessu Imp. de An. 1654. §. *In welchem* termin &c. cautum est, uti lapso in causis mandatorum termino Paritionis per sententiam præfixo, immediatè ad declaratoriam

ratoriam pœnæ, procedatur, hactenus de Praxi ferè quotidianum fuit, tali casu petere novum terminum; quos abusus, quanquam recentiore *Scto* tolli placuerit, tamen in puncto Mandati de exequendo, etiam citius decreti, fermè hæretur, ut antè in Paritoriis; sic etiam vigore dicti Recessus §. Zum achten/ Prorogationes Prorogationum non sunt concedendæ; si quis verò Praxin respiciat, multoties contrarium accidit, idemque in cæteris pluribus.

Hoc ipsum autem omnium deterrimũ est, quod si quis magno labore & sumptibus ad finem jam perduxerit processum, demùm Executionis defectum ac longissimas remoras perpeti cogatur, habemus enim executionem ferè exoratam, à Principibus Directoribus Circulorum, qui si executionem suspendant, jam suspensa est etiam victoria partis, novo Processu, nempe medium, quo Principes Circulares ad exequendum adigas, non est, nisi Mandatum de exequendo, cujus minas illi ipsi haud rarò suspendunt, propter potentiam vel quem alium respectum

ctum Partis Exequendæ; itaq; si Processum sustinere, quàm imperata facere maluerint, jacent nostri Processus, ac noviter agendum est contra futuros Executores; sic fit, ut apud nos Germanos, lis ex lite ad immortalitatem usque exoriatur, rariq́ue admodùm sint, quorum vita exitum actionis superat.

Equidem ipsa decisio interdum ad multos annos extrahitur, sed rariùs causa attribui potest ipsi judicio, quin subest plerumque ratio peculiaris, veluti in declarationibus pœnarum; nam quod non subitò & strictissimè processum fuerit ad declarationem pœnæ; hinc evenit, quia sententiæ istæ tanto magis despicatui haberentur, quò frequentiùs fierent, non subsecutâ executione. Ergò ex uno latere defectus executionis, ex altero, autoritas judicii tot genuit antehac Paritorias; ac talis quidem moderna est conditio Summorum Tribunalium.

Quòd si inspicere libeat punctum Justitiæ, cum restrictione ad certam Imperii Provinciam, sive Territorium, executio quidem est multò paratior, quippe

quæ

quæ fit jure ac poteſtate Magiſtratus'; cùm enim Principes & Status Imperii, non tantùm jurisdictionem, in ſuis Territoriis, ſed etiam facultatem exequendi teneant, dummodò mandaverint, Executio eſt multò facilior, quàm ſi Imperii judicia eam demandâſſent; Aſt verò cæteræ quoque difficultates & incommoda, non modò magnâ ex parte in particularibus ejusmodi Dicaſteriis occurrunt, ſed alii etiam adſunt impediendæ juſtitiæ obices, veluti Privilegia de non appellando, de non evocando, electionis fori, & alia, his ipſis enim efficitur, ut multi læſi, jus ſuum ad nullum ſuperiorem judicem deferre poſſint, adeoque neceſſum habeant, illo cadere; unde confitetur Receſs. Imp. de An. 1654. §. Weilen auch der Ständ privelegia &c. hæc talia priveligia tendere in præjudicium jurisdictionis Imperii, adeoque innuit, eadem obſtare, quò minùs ad Imperii Tribunalia confugere liceat. Ex quibus omnibus, proh dolor! ſatis conſtat, juſtitiam hodiè in Germaniâ habere laſſas manus, quæque ejus rei ſit cauſa & ratio.

Pergo

Pergo tandem ad mores noſtros & vitæ cultum ; ab antiquo Germania dedit operam bellis, hodiè luxu diffluit, inani quâdam exterorũ æmulatione capta, ab antiquo noſtro veſtitu, eoque parco contenti fuimus, hodiè propemodum ruſticitatis ſpeciem præ ſe fert, quisquis patrio apud nos habitu incedit, & ex omni Ordine ac conditione hominum irrupit malum iſtud ſi proportionem facultatum ſpectes, cui ſalubriter quidem in primis quoad veſtitum luxurioſum, jam multoties remedium ac modum præſcripſerunt Imperii Conſtitutiones, ſtatueruntque quousque diverſæ conditionis hominibus, veſtes precioſas geſtare liceat, nominatim in Ord. Pol. de Anno 1530. 1548. & 1577. Sed bonarum Legum alterum requiſitum eſt, ut ſtrictè cuſtodiantur, ac ut transgreſſores, debitâ pœnâ inevitabiliter coërceantur ; jam reſpiciamus ad præſentem Statum, nihil minùs invenire licebit, quâm victum & amictum prædictis Conſtitutionibus conformem ; cauſa autem hujus rei eſt, quòd cum negligatur vindicta & inſpectio

Legum

Legum, nec in transgressores animadverti soleat, inferiores quoque ac subditi Imperii detrectaverint eam observantiã.

Quæ cùm ita sese habeant, mirum non est, si deinde sumptus ad bellum vel alios Reipublicæ usus fiant parciores; addi potest, quòd Imperium nostrũ nullis gaudeat navigiis Publicis, unde nervi rerum gerendarum parentur sed pauca quædam ad civitatum præsertim Hanseaticarum, vel aliorũ quorundam Ordinũ privatũ comodũ exerceantur. Itaq; quia nihil suppetit, unde necessarios sumptus Respublica depromat, præter Provincias Imperii, hæ autem divisæ existunt in varios dominos, qui de privatâ suâ pecuniâ, reditibusvé Ordinariis, non tenentur aliquid in Publicũ contribuere; inde potissimùm onus redundat in subditos, è quibus non pauci, pecunias suas solent luxu in sumere. Tale igitur, breviter repetendo hactenus dicta, Germanicum est Imperium, Status Concordiæ nullo satis stabili vinculo colligati, haud facilè militem cõtrahunt, aluntvé; justitia est longis ambagibus tædiosa & sæpiùs sine effectu;

Luxus

Luxus impunè dominatur opesq́; , è quibus Reipublicæ ſumptus deſumi debent, nemine coërcente imminuit atq́ue deglutit, & hæc quidem de conditionibus præſentis noſtri Status, pro ratione inſtituti paucis allata ſunto.

CAPUT IIII.

De Circumſtantiis Externis noſtri Imperii.

IN conſiderandis Rebuspublicis non id tantùm inſpici debet, quod ad intra poteſt contingere, ſed omninò etiam id, quod illis ipſis imminet ab Exteris; duæ enim hæ noſcuntur Publici Regiminis converſiones, aut potius converſionum cauſæ, ſi illud ipſum intra ſe, per luxum, vel ſeditionem conquaſſetur, aut ſi extra ab hoſtibus longinquis vel vicinis ſupprimatur. Dehinc itaq́; dicendum eſt etiam de Germaniâ noſtrâ, quemadmodum ſeſe ſc. res Imperii Germanici, ad exteros habeant circumquaq́ue; Eſt igitur nobis Turca verſus Orientem, Galli verſus Occiden-

cidentem, versus Meridiem, Pontifex & Italiæ Principes ac Civitates, versus denique Septentrionem Sueci ac Dani &c. Hi sanè omnes Reges, Principes aut Populi, manus sæpè habent in Germaniæ rebus, aut certè Germanis, qui adhuc bono Publico & communi utilitati, benè cupiunt, satis causæ est, ut credant sibi esse prospiciendum.

Utitur autem Turca, nam ab Oriente incipiam, non aliâ ratione Status potiori, quàm acinace, nec potest momentum in eo ponere, quòd velit nonnullis Germanorum potestatibus persuadere, ut ad se accedant, & ab Imperatore ac Imperio deficiant, unde apertâ vi, rem agere necessum habet, causa verò ejus rei duplex est, primum, quia fovet religionem Mahometicam nobis admodùm adversam, deinde quia imperat herili modo, ideoque Ordinum Imperii vel Christianorum Principum, ad ipsum ultrò nemo descisit, noverunt enim non esse spem similis Regiminis, vel conservandi sui Territorii, sed commune jugum imponi omnibus, si vel maximè quis deficeret.

Hæc

Hæc duo igitur, Religio & Libertas, induere ſolent Germanis juncta contra Turcam arma, quod idem profectò eſt, in cæteris Chriſtianis Principibus, his tantummodò exceptis, qui propter vicinitatem non poſſunt ſe ab illorum onere ſubtrahere, & propterea vel inviti parent ac Turcicum jugum agnoſcunt, ut videntur facere Moldaviæ & Walachiæ Principes; nonnullis etiam accedit alia ratio, quoniam ſc. ad majorem dignitatem, ſunt evecti per Turcas, ut contigit Abaffi, moderno Tranſylvaniæ Principi, extra hos, ſi qui cum Turcis ſentiant, purgamenta potius hominum, quàm Chriſtiani ſunt, ac vocari merentur, quin etiam tunc, ſi tale quid contingat, illi audebunt qui ſunt exteri, & propterea in magnorum Principum Aulis coguntur degere, quòd non habeant, unde alioquin ſumptus parent ſuis oſtentationibus, à cujus generis hominibus nupero quoque Turcico bello dicitur non fuiſſe immunis noſtra Germania, cæteri verò minoris conditionis, ut gregarii milites, quandoq; noſcuntur ad Turcas defeciſſe, ſed exempla ea ſunt

rariora ac inprimis evenerunt, propter necessitatem, quòd nimirum milites destituerentur necessariis vitæ subsidiis. In summâ, quando Turca proficere quicquam vult, Gladio & armis proficit, sed in ipsâ susceptione negotii, interdum etiam gaudet exterorum proditione.

Mitto nunc Turcas & ad contrariam plagam me converto, nimirum ad Galliam. Ac quidem Galliæ Regem quod attinet, non est incognitum, jam ab antiquo fuisse Imperii æmulum, ceu patet exemplo Franciſci Primi Galliarum Regis, qui ut Carolo Quinto Aquilas præriperet, nulli nunquam pepercit operæ, & aliquos etiam ex Electoribus, in suas jam pertraxerat partes, quin ejus rei adeò fuit avidus, ut teste Guicciardino, saltem alternationem, illamque sententiam, Imperium ut prænobilem ac pulchram puellam, à pluribus posse successivè amari Carolo V. persuadere niteretur; Quanquam verò, qui ab eo usq; tempore successerunt Galliarum Reges, Imperii habenas tanto ardore non videntur quæsiisse, tamen ab illius partibus, datâ occasione

sione non abstinuerunt, imò affectus suos ad ulteriores Germaniæ progressus, ipsis factis non potuerunt celare, cujus rei, cùm plura fortè adferri possent testimonia, sola Philippopolis ad Rhenum sita sufficit, in eo fortalitio, cum pleno jure id retinere non liceret, reservavit sibi, ac vigore Instrumenti Pacis obtinuit Gallia, saltem jus præsidii, quid ita? Nempe ut transitum in Germaniam liberum ac perpetuum haberent Galli supra Brisacum, infra Philippopolin tenentes; subfuisse etiam prætereà potest ista ratio, ut decem Alsatiæ Urbes, tantò firmius in Ordinem redigerent, quarum querelæ etiam præsentibus Comitiis satis sunt declaratæ.

Si jam quæras, quemadmodum Germania, vel quo animo ad Gallum affecta sit, respondeo esse scissam, & illas quidem artes habent Galli, ut cùm omninum animos, ob varias causas nequeant ad se pertrahere, Germaniam saltem dividant, illorumque, quorum possunt, usurpent favorem, cumprimis verò Electoralis benevolentia captari solet à Gallis; Ideoque Electori contra minores

Status ac præsertim hanc vel illam Urbem Imperialem assistet Gallia, sed contra sui similem, hoc est, contra alium Electorem, vel magnæ considerationis Principem, non ita parata afferet auxilia; Ratio differentiæ est, quoniam necessum foret, alterum Electorem offendi, si uni contra alterum jungerentur Gallica arma, at verò hanc vel illam Urbem Imperialem, parùm curant Galli, quin potiùs eorundem parùm interest, ad hujus vel illius Principis Territorium vel potestatem, de alieno quid accedere, cum sibi sc. majorẽ faciant favorem, dixi verò, auxilia allatũ iri non ita parata, in casu versantis utrinque paris considerationis, quoniam alię causę subesse possunt, cur Galli unum Electorem vel Principem juvent contra alium, ac inprimis conjunctio Domus Austriacæ, hucusque potuit permovere, ut ab isthâc Maximâ certis casibus declinaret Galliæ Regnum, veluti novimus, adversus Maximilianum Bavariæ Ducem, in armis stetisse Gallos, fortè ob hanc potissimam causam, quòd Austriacis ac Ferdinando II. & III. Imperatoribus esset

eſſet devinctiſſimus. Cæterùm meum propoſitum non eſt redarguere Gallos vel exteras nationes, ſed tantùm eò collimo, Germaniam habere prægnantes cauſas, ut ſibi ab illis caveat, ſive vetera & ea, quæ pridem Imperio erepta ab exteris adhuc tenentur, ſive modernas actiones inſpicere libeat, quòd ſi quis nihilo ſeciùs in contrariam inclinet ſententiam, ac credat, quò magis exteri, in rebus Germaniæ creſcant autoritate & potentiâ, hoc magis libertatem fore tutam, quærat tantùm v. gr. Alſatiæ Nobiles, ac decem illius Provinciæ Civitates, ſub utro liberius vivere liceat, ſub Imperatore & Imperio, an ſub Galliæ Regno?

Quod porrò Italiam concernit, notum eſt, quanta bella ab antiquo trans Alpes in Germaniam convolarint, quæ magnâ ex parte inter ipſos Germaniæ Principes, contra Imperatorem fuerunt per Pontifices excitata, ſicut teſtantur Exempla Henrici IV. & V. Friderici I. & II. Ludovici V. & aliorum Imperatorum, qui certè propter hujusmodi ſeditiones, habuerunt Imperii ſui tempora valdè turbulen-

bulenta: causa autem fuit, quòd Pontificalem vulgò attributam magnitudinem, non viderentur adorare, vel se ad nutum eidem obsequiosos exhibere, sicut quidem constat ab antiquo requisivisse Pontifices.

Hodiè ab ejusmodi ausibus Pontificiis, jam inde à tempore reformatæ Religionis, corona Imperialis est tuta & immunis, neque audent Pontifices ampliùs ut olim, Imperatorem anathematis fulmine ferire, & hoc medio ipsius Statum conjicere in periculum; profectò Innocentius Decimus Pontifex, ejus qui nunc Pontificatum obtinet, immediatus Antecessor nihil libentius vidisset, quàm ut acta Pacis Germanicæ retractaret, quoniam malè ipsum habuerat ad Protestantes per compositionem Pacis, adjici plures Episcopatus ac bona Ecclesiastica, veruntamen non fuit conatus, Imperatorem vel quenquam alium à parte Catholicorum Regem vel Principem, banno percellere, sed tantùm Paci contradixit; quòd si Pontificis autoritas in Germania fuisset aut adhuc esset ut olim, non dubi-

bito,

bito, sub pœna anathematis omnibus interdicturum fuisse, ut à Pace desisterent; ratio autem ejus rei est, quoniam in Imperio, Secularium Principum pars longè potior est Evangelicæ Religionis, & verò legere licet, etiam priscis illis temporibus, cùm Pontifices remedium banni contra Imperatores frequenter exercuerunt, nihilominùs multos sæpe fuisse ex Imperii Principibus & Statibus, qui in fide Imperatoris persisterent, si igitur hodiè tale aliquid tentaret, Apostolica sedes, nihil emitteret nisi vana verborum fulmina, quæ magis cederent in contemptum.

Hoc verò adhuc supereſt hodiè, quod dolere meritò debet Germania, videlicet tot Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias &c. per Imperium, cujus etiam partem faciunt multò maximam, conferri à Capitulis, sic, ut Imperator præter Jus Primariarum Precum, hoc in passu nihil fermè reliquum habeat. Notum verò est, jus collaturæ competiisse primùm ipsis Imperatoribus, & quidem à Carolo Magno usque ad Henricum III. Imperatorem, Henrico IV. primùm

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [101] - 87
PUBLIC DOMAIN

in controversiam vocari, ab ejus infensissimo hoste Gregorio VII. Pontifice, inde præter alias quoque causas orta sunt cruenta bella, Henricus V. iterum Pontificibus hoc jus eripuerat, & Sanctum Patrem eò compulerat, ut jurejurando illud ab se abdicaret, sed qui est vel putat, se jurejurando non obstrictum; iterum ad se jus istud traxit, quod etiã Imperator, nisi sceptrũ&coronam in periculũ vellet conjicere, tandem invitus cessit. Ex illo igitur tempore multa ac magna cura est iis, qui Germaniam divisam cupiunt, qualis huic vel isti Episcopatui præficiatur Princeps; hunc Capitularium animis incidente negotio Electionis, ad sui studium inflectendis, variæ deserviunt artes. Accedit Romani Pontificis confirmatio, qui sanè nisi quem sibi devinctum fore crediderit, haud confirmabit. At enim quàm hoc ipsum quadret Publicæ utilitati, non difficulter dijudicare poterunt, quosquos præconceptus Religionis affectus, nullo Imperiiac Publici Regiminis livore, imbuitatque corrupit.

Progredior ad cæteram Italiam, quæ consistit in Principatibus, cujusmodi sunt Man-

Mantuanus, Florentinus, Parmenſis &c. & Urbibus ſeu Rebuspublicis ut eſt Veneta, Genuenſis, & Lucenſis &c. Hi & ſimiles Principes ac Urbes pleræque Italiæ, pertinuerunt quondam ad Imperium, ut per ſe patet, ſed poſt Fridericum II. mox videtur ab Imperatoribus Germaniæ, non magna cura data eſſe Italiæ rebus, & quanquam ſequiori ætate nonnulli Cæſares intraverint Italiam, eo animo, ut collapſam Imperii autoritatem, in priſtinum vigorem vindicarent, tamen ſolus Carolus V. devicto & capto ad Papiam Galliarum Rege, ita fortunatus fuit, ut totam Italiam, pro lubitu ferè poſſet in Ordinem redigere, cæteri Imperatores, aut morte fuerunt prævenți, aut alia obſtacula experti ſunt, quò minùs ea, quæ Imperio ſucceſſu temporis ablata erant, plenè poſſent recuperare ac reſtituere. Interim adhuc feruntur eſſe in Italia, qui in Imperatorem & mitius Imperium animis ſint propenſi, aliqui etiam adhuc Imperatorem recognoſcunt de præſenti, ut Dux Mantuanus & alii. Proinde Principatus ac Urbes Italiæ ad Germaniam ſic

referuntur, ne verendum sit, ut ab ipsis multum damni accipiatur, exceptis fortè Venetis, respectu ditionum Austriacarum, quæ ipsis sunt conterminæ, atque adeò res tota eò deveniet, sicut etiam Capitulationibus Cæsareis inseri solet, ut ea quæ ad Imperium per Italiam jure pertinent, depulsis violentis & injustis possessoribus, tandem aliquando apto tempore, armis recipiantur.

Restat Septentrionalis plaga, quâ ex parte dixi ad Germaniam referri Danos, Suecos; hæ nationes, ut constat, sua habent separata Regna, certis tamen respectibus, Status sunt Imperii, quinimò Daniæ Regnum, ab antiquo legimus, per Imperatores aliquoties in Ordinem redactum, hodiè verò ratione certarum possessionum velut ratione Slesvici recognoscitur à Dano Imperium, at Sueci non pertinuerunt ad Imperiũ antiquitùs, sed perhibentur Poloniæ Regno juncti, postquam verò motus Germaniæ exorti & cumprimis Ferdinandeo Edicto, compulsi sunt Protestantes Ordines ut sibi caput eligerent belli, Succus Rex Gustavus

vus Adolphus, inter veteres ſanè nulli facilè virtute ſecundus, cum copiis in Germaniam pervenit & ab eo tempore per octodecim ferè ac quot excurrit annos, videre licuit per Germaniam Suecica ſigna, usque dum tandem confectâ pace, nonnullas Imperii partes, in Feudum obtineret iſtud Regnum, quo factum eſt, ut hodiè Sueciæ Rex, reſpectu illarum poſſeſſionum, quas per Inſtrumentũ Pacis accepit, Status ſit ac Princeps Imperii; coacti etiam fuerunt Ordines Germanici exſolvere Suecis pecunias pro Militiæ ſumptibus, vulgò die Schwediſche ſatisfactions Gelder, cui quidem oneri non Catholici modò ſunt obſtricti, ſed etiam Status Proteſtantes, quamvis anteà crederent, ſcopum belli principalem, fuiſſe Religonis defenſionem, reſipſa autem docuit illam belli gerendi intentionem, quæ Gloriosiſſimo attribuitur Regi Guſtavo Adolpho, non per æquè fuiſſe, circa tempora Pacis, quin facilè inducti ſunt Sueci per Receſſum Noribergenſem, ut Executoribus Circularibus ad cogendas pecunias illas, ut vocant ſatisfactionis, in ſubſidium promitterent copias.

Quid

Quid igitur expectas Germania boni ab Exteris quaqua versus tandem temet conferas? non nego quidem pro circumstantiis temporum culpari non posse hos vel illos Imperii Principes aut Ordines, si justæ defensionis gratiâ, externis armis sese communiant, sed dolendum est potius, Statum Publicum sic se habere, vel retrò habuisse, ut ad periculosum modò istud remedium, confugere interdum necessitas cogat, quæ profectò præcipua causa fuit, ut præteritis annis multi Ordines Exteris Regibus vel Rebuspublicis sese associarent, unde Serenissimi Duces Luneburgenses Electori Saxoniæ antehac responderant, se non ita à Suecicis armis citra periculum divelli posse, sed propter æquiores Pacis conditiones unâ bellum gerere, videlicet ut suæ aliorumq; unitorum tantò magis prospiciant securitati, cui etiam rei conformiter Legati Luneburgenses in Comitiis Imperii de Anno 1641. dixerunt Serenissimum sc. Principem ipsorum non cæco impetu Suecos petiturum, **Ihr Herr der Hertzog würde nicht blind auf die Schweden drein**

schlagen/

ſchlagen/quia nempe mirum non eſt, ut quisque Principum cupiat Statum ſuum ſalvum & ſartum tectum, ac eo quidem intuitu, pro præſenti rerum facie Ordines Imperii, in fœdera ſolent Exterorum concedere, quod jus jam à multo tempore exercuerunt, ac in Inſtrumento Pacis etiam diſertè ſibi reſervârunt.

Cæterùm fœdera illa concernere tantum ſolent hunc vel illum Imperii Principem, omnium verò ſive totius Reipublicæ nomine vix extat ſocietas, ſanè verò haud abs re eſt, nec parvum momentum habet, ſi qua Respublica fidelibus nititur ſociis, cujusmodi deprædicantur apud Tacitum, à Voculâ, priſcæ Reipublicæ Romanæ Socii, quòd ſc. ſæpè Regiones ſuas devaſtari, ac urbes exſcindi potius paſſi fuerint, quàm fidem datam deficiendo fallerent. Quanquam enim, ut ad nos redeam, Germania ſatis virium habitura videretur, certis mediis inductis, tamen vivimus in facie rerum præſenti, ubi neſcio, an juſta & cauta fœdera Imperii nomine declinanda dici debeant, ſed ita eſt, ut Germania de præſentibus maximè

moveatur, ac solita fuerit, externam assistentiam implorare, cùm Hannibal jam esset ad portas, sic imminente Turca An. 1567. Pontifex, Rex Hispaniæ & alii, de subsidiis belli sunt sollicitati, veluti testis est Recess. Imp. de prædicto Anno. §. So dann auch & §. Auf daß dann. id quod etiam in nupero bello Turcico, necessitas tandem extorsit, nec id sanè prærer rem, quandoquidem Gallica auxilia quacunq; intentione missa, inter alias copias, in prælio ad Sanctum Gotthardum, insigne momentum attulisse dicuntur ad victoriam, quanti verò interfuerit vicisse tunc temporis Christianos Exercitus, nemo ignorat; in summâ conjunctio cum Exteris, quando cautè ab eo fit vel illis, penes quem vel quos sunt gubernacula rerum, non utilis modò, sed interdum, usq; dum vehementia hostilis retundatur, haberi potest propè necessaria, unde Imperii Proceres proximo, quod præteriit, bello Turcico, Augustissimũ qui nunc rerum potitur, Imperatorem nostrum de mittendis ad Exteros Reges, hoc nomine Legationibus, instanter admodùm sollicitaverunt,

verunt, nec prius quàm peterentur hujusmodi auxiliares copiæ, deſtiterunt.

Cum quibus verò Regibus aut Gentibus, ſive etiam quousque fœdera inſtituere, ex re Imperii ſit, tractatio eſt ultra præſentis inſtituti metam poſita. Cæterùm Imperii Ordinibus, ut dictum eſt, & inter ſe, varia intercedunt pacta ac fœdera, quibus pro circumſtantiis ſibi quisque proſpicere ſolet, quale eſt v. gr. Fœdus Hanſeaticum, olim usque ad formidinem præpotens, ſed hodiè magnâ ex parte debilitatum, & id genus alia. At verò, quoniam evenire poſſet, ut in perniciem Reipublicæ aliqui Status, ſeu inter ſe, ſeu cum Exterioribus, fœdera & ut vocant, ligas ferirent, ideò Inſtrumentũ Pacis Cæſareo-Suecicum *art.* 8. ubi quidem hanc poteſtatem, quamvis ante etiam Ordinibus conſuetam, ipſis conceſſit, expreſſam quoque ejusmodi addidit reſtrictionem, ne fœdera Statuum, contra Imperatorem & Imperium tenderent Pacemvé ejus Publicam, vel Transactionem Inſtrumenti Pacis, fiantque ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio

eſt

est obstrictus; quibus verbis, Statibus non tantùm, ne adversus Caput, sed etiam, ne contra Membra Imperii seorsim considerata, h.e. contra se mutuò fœdus feriant, interdictum est, nam fieri potuisset, ut quis Statuum Imperii contra alterum Imperii Statum, fœdus iniisset sive cum Extero, sive cum Tertio quodam Imperii Membro, unicè propter simultates ac differentias privatas; hoc igitur casu ejusmodi pactum vel liga, nec fuisset contra Imperatorem, nec directè contra Imperium, tamen quia collimaret contra Pacem Publicam Imperii & etiam contra Instrumentum Pacis, quorum vigore non licet bellum gerere adversus Ordines Imperii, neque potuisset hac lege subsistere.

Verum enim verò, quia res est periculosi ac difficilis exempli, occurrente aliquo casu determinare, quod fœdus, quâ de causâ in perniciem Imperatoris, vel Imperii, sive etiam contra Instrumentum Pacis tendat, edisserere vel decidere, sanè prædictæ fœderibus restringendis excogitatæ clausulæ, non carent suis scrupulis,

pulis,ac ſi verum fateri volumus, facilè in nervum Reipublicæ erupturis defectibus; ſed mittam illud,ponamq́ue,aut illicita fœdera,contra cautelas Inſtrumenti Pacis,nulla unquam excogitatum iri, excogitarivé poſſe, aut ſi habeantur, ilicò ſemper ac ſine ullâ inficiatione, patere, profectò ne ſic quidem ſatis erit conſultum Publicæ utilitati, ſi enim unus vel alter ex Imperii Ordinibus, fœdus ineat contra Exterum,Imperiũ eo ipſo periclitatur,quia ſi damnum ex fœdere ſentiat, redundabit idem in Rempublicam quæ tota patitur in ſuis partibus,tantoq́ue magis, quantò hodiè ratione priſtini ſui decoris, eadem eſt anguſtior.

At verò dices, rarius dari poſſe ejusmodi caſum aliquem, ubi Status Imperii hodiè exerceant jura fœderum, ſi enim inſpiciamus Inſtrumentum Pacis Cæſareo-Suecicum *art.* 16. *§. hac pacificatione* & *§. ex parte vero &c.* vix ullus Rex, Princeps, vel Respublica in toto Chriſtiano orbe reſtat, qui quævè Transactione iſthac pacifica non comprehendatur; quoniam igitur dictum Inſtrumentum Pacis non eſt ſimplex pa-

ctum, sed etiam in vim Pragmaticæ sanctionis Imperii valet, uti apparet ex *cit. art.* 16. *§. pro majori* &c. certè dixeris, licentiam illam ineundi ligas, ut vocant, ex parte Statuum, admodùm esse coangustatam, aut, deficiente objecto, in effectu propè sublatam; Respondeo non esse absre, si quis sentiat, in eo ipso, contineri aliquam rationem Status Imperatoriæ domus, dum enim omnes socios suos, Germanicâ pacificatione complexi sunt, jam tutos se præstiterunt, ab Ordinum fœderibus offensivis, deinde quia verosimile erat, etiam Suecos & Gallos plures ex suis sociis exterisque eadem Transactione comprehensuros, ita per indirectum, fœdera Statuum offensiva ad tenuitatem, admodùm sunt redacta, quamvis enim generaliter vel inter se, vel cum externis Regibus aut Rebuspublicis convenirent, ut contra quem quisque bellum moveret, eundem etiam alter hostem agnosceret, non liceret tamen illis, si modò hostis ille inter Reges, Principes vel Respublicas pacificatione illâ Germanicâ comprehensos vel comprehensas numerare-

meraretur, quippe Pragmaticâ Sanctione Instrumenti Pacis præpeditis, dum ad manus ventum esset, fœderi particulari convento satisfacere, bellumvé commune inferre, adeoque cum hac ratione Statibus Imperii vix relinqui videantur in effectu, jura illa fœderum, parùm causæ superesse credideris, cur quis in illam sententiam, quod nempe eadem Reipublicæ Romano-Germanicæ, perquàm noxia esse possint, transeat, atque condescendat.

Nihilominùs, quoniam aliud genus fœderum restat, nempe defensivum, qualia fœdera, non obstante, quod Instrumentum Pacis totum ferè Christianum mundum contineat, ipsum jus Gentium, vim vi repellendam esse dictitans, constabilit atque sancit, & verò etiam hâc ratione contingere de facili potest, uti pangens ejusmodi, ut vocant, ligam, damnum patiatur, adeoque suâ clade Rempublicam ipsam afficiat, manet omninò, quod suprà dixi, hujuscemodi conventiones, non usquequaque in Publicum vergere emolumentum. Deinde Turcas, Tartaros & alios barbaros cum suis

assectis, non comprehendi pacificatione nostrâ, plusquàm manifestum est; quod si itaque jure societatis offensivæ vel defensivæ, contra hostales hostes, Rex aliquis vel Respublica extera, Imperii Principem vel alium Ordinem deposcat ad commilitium, sanè quoad Provinciam illam Imperii, in discrimen Respublica hoc ipso adduci poterit, eoque revera Societates illæ Ordinum Imperii, quod totum præsertim hodiè facilè periclitatur, in singulis suis partibus, commodo Publico non admodùm deserviunt. Nec hoc ipso diffiteor, fœdera Statuum, sæpè etiam bonum finem, intentionemque Reipublicæ utilem habere, cujusmodi est v. gr. Societas illa defensiva Imperii, ante aliquot annos Francofurti inita, vulgò die Aliance zwischen verschiedenen Churfürsten und Ständen des Reichs / adjunxerunt se etiam Sueci & Galli, an simili animo ac fine, sit penes arbitrium judicantis; interim negari non debet, ex fœdere, quod dicimus, copias in subsidium Imperatori & Imperio, nupero bello Turcico missas, quæ non minùs necessariæ

fuerunt

fuerunt quàm utiles; sic sæpe fit, ut quippiam sit proficuum Reipublicæ pro conditione certi temporis, quod tamen, absolutè loquendo, eidem non admodùm convenit, v. gr. ex hausto tempore belli Punici secundi ærario, contribuerunt Romani sumptus belli ex privatis patrimoniis, eaque res inter illas angustias, & necessaria fuit & utilis; jam verò, si Rempublicam in se spectes, non est dubium, quin collationes istæ privatorum, multis modis nocere possint; simile quid accidit fœderibus, si quæ extant, nostræ ætatis, quoniam enim, ut antè ostendi, Respublicâ nostra Germanica in se debilis est, parumque spei inde affulget, tuendi se adversus hostes, hinc Cives Imperii, in Societatis jura coëunt, seque ad varios eventus, pactâ armorum unione muniunt; quæ res, quoniam Ordines Imperii invicem quasi divellit, ac suo modo, quoad reliquos nempe, ultra quam par est, conjungit, non simpliciter, sed tantùm habito respectu temporis, commodum affert, inprimis tunc, cùm præpotens hostis, uti nuper Imperio Turca, imminet ac minatur.

Cæterùm, quia hoc loco, de conditionibus externis moderni Status egi, non est abs re, bellum Turcicum, specialius attingere, ac Turca quidem virtute exercituum suorum parum, celeritate multum, negligentiâ verò nostrâ ac tarditate, amplius imò plerumque plurimum fortunæ, pacis ac belli copiam, utrum libuerit, semper ferè in manu habuit, non enim utique prohibere possumus, ne bellum moveat, sed cum illatum est, non debemus esse pro arbitrio hostis, tam parati, tamque ad pacem faciles; Ludibrio propè Germanos habent Turcæ, ac pacem, ut libet, ineunt, vel ad pinguiorem conditionem differunt, unde Ibraim Bassa respondit, Er müsse Canischa und dieselbe Gräntz / seinem Großmächtigen Herrn vorhero einnehmen / alsdann auf seinem Abzug möge man vom Frieden handeln / Recess. Imp. Anno 1603. §. und demnach quæ verba profectò præ se ferunt satis apertam illusionem. Sanè animus constans, quique malæ etiam fortunæ non statim diffidat, in illo requiritur, qui eventum belli prosperum expectare vult

vult; ob eamque causam Romana quondam constantia, plerumque fractis tandem hostibus triumphavit; Sic cùm Cajus Terentius Varro Consul Romanus, ad Cannas funestâ illâ clade fusus victusque esset, gratias reportavit, quod superstites ex fugâ collegisset, eoque de Republica nec dum desperâsset; simile constantiæ exemplum Annibalem, victrici exercitu ipsam urbem, jam propè obsidentem, admodùm malè habuit, quod hujus ejusdem agri, quem ipse insidente exercitu tenebat, Romæ inveniri potuerit emptor & quæ plura sunt, priscæ virtutis specimina.

Hodiè apud nos alia longè existunt præcordia, nam cùm hostis modò conditiones pacis offert, vel acceptat, non enormiter iniquas, statim animi ad pacem inclinant, quæ res efficit, ut Turca plerumque belli ferat præmia, quoniam enim expeditis promptisque rem gerit copiis, sæpius Germanica subsidia antevertit, ac ut in proverbio est, Saguntum interim expugnat, dum Romæ consultatur, deinde cùm animadvertit, jam robo-

ra Germanicorum exercituum contracta, seque majore imposterùm sumptu, quàm fructu, bella continuaturum, à pace, ita tamen, ut caro satis pretio eam sæpe vendat, non solet esse alienus; hinc fit, ut belli impensæ ac Cæsaris vel Imperii contributiones reipsâ Turcæ non noceant sed is jam ante erepta, in signum quasi victoriæ auferat, Patrimoniumque Imperatoris sensim per partes imminuat; Nec audiendi sunt, qui per rationem Status rectè facturos putant Ordines, si Regni Hungarici non magnâ capiantur curâ, eò, quòd sic domus Austriacæ potentia ad mediocritatem redigatur, utrum enim præstat, Cæsarem nostrum habere vicinæ Hungariæ Regem, an Turcam hostem infensissimum, quietem Germaniæ stabiliorem, an vicinis Turcarum irruptionibus dubiam? Porrò modernus ut vocant, Vezier Bassa magnus, his technis, pactorum adiecit observantiam, nec Turcicæ feritati, nec suomet, quali esse fertur, ingenio aliàs suetam, nempe ut facilius ad deditionem permoveantur subjugandi, quę res brevi haud parvos ei dedit progressus.

Deni-

Deniqúe prætereundum non eſt, Rempublicam Romano-Germanicam hodiè patere etiam exteris Regibus, ſic, ut nonnulli habeant jus voti in Comitiis, reſpectu certi ducatus, ſicut Sueci reſpectu Pomeraniæ, & reſpectu Bremenſis Epiſcopatus, Rex Hiſpaniæ ratione Comitatus Burgundiæ, & alii: Verùm quia inde fit, ut Provinciæ Imperii cum tempore pedetentim ad exteros perveniant, dum nempe potentiores ejusmodi Status, regimen illud ſuum Monarchicum, in terras Imperri ſibi concreditas introducere nituntur, non expedit Reipublicæ exteriores Reges vel Duces præſertim potentiores, conceſsâ certa Imperii portione, inter Ordines aſciſcere; Quod ad Sueços attinet, Pacis amor efflagitavit, ut in Feudum ipſis Imperii illæ, quas tenent, cederentur Provinciæ;

Verùm ut dixi, res illa ſimpliciter loquendo, non eſt bona, ſed magis Reipublicæ detrimentoſa, ideoq; videtur placuiſſe in Conſtitutione Pacis Germanicæ, non in ſe, ſed ut minùs mala belli tàm funeſti continuatione, cùm enim tales Im-

perii Status Publicis interſint Comitiis, adeoque regiminis etiam ex parte ſint participes, quis non videt acta Comitialia & Publica Conſilia, quantum eſt ex parte hujusmodi membrorum, unicè inflexum iri ad rationem privati commodi, ſive ad id, quod expedit Regnis eorundem vel ditionibus externis? Unde fit, ut deinde in arbitrio ponatur, externorum Regum vel Ducum, an & quantum contribuere velint, in negotio aſſiſtentiæ Turcicæ; & propterea iidem poſſint vires Imperii pro re natâ ſuis votis imminuere, ſic ſi contra Galliæ Regem, pro decem Alſatiæ civitatibus, in Comitiis deliberandum eſſet, Sueci fortè eſſent alieni & in Gallum jure fœderis propenſi, idemque in cæteris. Per inverſum ſunt Imperii Ordines, qui ab exteris Regibus Feuda accipiunt, cujusmodi exempla ſunt in Sereniſs. Electore Brandenb., qui Boruſſiam antehac in Feudum tenuit à Poloniæ Rege, nunc autem poſſidet eam jure allodiali; ſimiliter in Duce Holſatiæ, qui Sleſvicum feudi titulo recognoſcit à Daniæ Rege, ſic Lotharingus

in

in nonnullis recognoscit Gallum. Quòd autem hæc res non sit Imperio utilis, sed noxia, apparere potest facilè; quia sic tale Feudum efficit, ut Ordines Imperii sint extero alicui, fœdere fidelitatis devincti, cujus deinde conatus, si quid moliatur. Publicæ utilitati adversum propensiùs utique promovebuntur; nec satisfacit, si tale feudum fortè intelligatur, salvo jùramento priore & fidelitate erga Imperium, sive etiam, si Princeps talis, vel Status Imperii, dicatur repræsentare duplicem personam; unam ratione bonorum Imperii, & secundùm hanc, neminem recognoscere superiorem, præter Imperatorem & Imperium, alteram ratione Feudorum ab extero Rege concessorum; nam contrà est, quòd emergente bello, vel aliis difficultatibus, propter quas avertendas, vasallo ipsi periculum attrahi potest, cessat nec attenditur, duplex iste respectus, quippe hostes non distinguunt, quæ bona, cujusque Status, ab Imperio, vel exterorum aliquo Rege, dependeant, & concessa sint, sed prosequuntur suum adversarium jure belli. Non igitur

igitur expedit Reipublicæ Ordines Imperii, possidere bona præter Imperio subjecta, eaque recognescere in feudum ab exteris.

Ac talem quidem delineavi hactenus breviter, tum intra se, tum extra Germaniam nostram, itaq; quæstio eò redit, quemadmodùm Respublica nostra mixta, quæ in se debilis admodùm est, potentes verò cives, nec firmo satis inter se vinculo unionis junctos, non paratam justitiam, nullaque ferè fœdera habet universalia quam præterea vicini, pro viribus carpunt & lacerant, in quâ Cives & membra ipsa, fœdera ineunt, ac diversis modis infactiones dividi facilè possunt, quemadmodùm inquam hæc talis Respublica nostra, ad Majestatis Imperatoriæ, & Statuum Imperii, ac etiam subditorum, salutem atque commodum administrari, gubernariq́ue possit, sanè de eo omnis labor & operæ pretium, erit disquirere; Addam verò his, quæ dicta sunt, nonnullos ulteriores discursus de Austriacis, Hispanicis, nec non Hungariæ ac Bohemiæ Rebus, quatenus

ad

ad hunc locum referuntur, inde de Ratione Status disseram, ad præsentem inprimis Regiminis modum applicabili, ac porrò transcendam ad nonnullas vulgatiores disquisitiones veluti, an Ratio Status apud Germanos ponenda sit, in concordiâ Imperatoris & Ordinum? similiter, quod & quamobrem præter impietatem, etiam nocentissimum existat, tentare velle, juxta mentem Hippolyth. à Lap. domus Austriacæ extinctionem, an & cur novi Imperatoris electio, non sit in rem Germaniæ, & quæ id genus alia occurrere videbuntur, quæ si determinavero, deinde, Deo dante, veras & genuinas, Imperii Romano-Germanici, Rationes Status, breviter explicare atque depromere aggrediar.

CAPUT V.

Quales casus Germaniæ imminean t ab extinctione Austriacæ Domus, sive respectu Germanicæ, sive respectu Hispanicæ Lineæ.

COnceperam caput hoc de obitu Philippi Quarti Hispaniarum Regis deque

deque casibus probabiliter ex omnimodâ deceſſione ſtirpis Regiæ emerſuris; interea dum iſthæc ſcribo, ecce mors illa in facto contigit, adeoque ſtylum nonnihil immutare oportuit, paſſa eſt etiam familia Auſtriaca, alia deſuper funeſta vulnera perbrevi, veluti mortem, Ferd. III. Imp. Leopoldi Archiducis, Caroli Joſephi, nec non Franciſci Caroli Tyrolenſis nuper defuncti, atque adeò Auguſtiſſima illa domus profectò ad tantam eſt redacta paucitatem, ut Hiſtoriæ hujus rei nullibi faciant ſimilem mentionem, nam ex parte Lineæ Germanicæ, ſolus adhuc ſupereſt Glorioſiſſimus Imperator noſter Leopoldus; Ex parte verò Hiſpanicæ Lineæ, ſolus ipſe parvulus ſeu infans Regius, Carolus ejus nominis ſecundus. Pendet igitur res Auſtriaca à duobus ad ſummum capitibus, quorum utrumvis occidat, Germania ſuberabundè habet, quod conſideret, ſatis quod præcaveat! Obſecro enim, ſi fata acerba Leopoldum Imperatorem ſine poſteritate maſculâ, quandocunque eriperent, quales non in Statu præſentium temporum ſimili,

mili, circa Cæsaream Electionem gigne-rentur discordiarum fomites? sive ad quam tandem Imperii Illustrissimam Familiam, exterumvé Regem aut Prin-cipem, perferre possent Electores, decus Augustalis Coronæ, sine ingentibus bellis ac sanguinis humani effusione quàm lar-gissimâ?

Verùm quoniam hæc res ex argú-mentis istis, quæ infra cap. 10. occurrunt, fusius deducitur, hoc in loco primum il-lum casum prætermitto, ac confero me tantum ad Hispaniæ res, illumque earum eventum, quo Carolina stirps superstite Ferdinandeâ extincta foret, nam si Ferdi-nandea quoque sive Germanica Linea Austriacæ Familiæ, desisset esse, conse-querentur pro hac rerum facie illa mala, quæ jam circa priorem casum tetigi, & in relato capite prolixius pertracto. Notum verò est res Hispanicas per se ad Germa-niam non pertinere, nihilominùs, quia Li-nea Germanica Archiducum Austriæ, ex unâ parte, successionem & fortassis jure, in illud Regnum habere potest, ex alterâ verò, Galliarum Rex, in diversas illius di-

tiones

tiones, consuetas procul dubio movebit prætensiones, ex quâ re diversæ mutationes in Germaniæ Imperium facilè redundare videntur, inde ad hunc locum, ubi de circumstantiis externis Reipublicæ Romano-Germanicæ differo, haud immeritò tractatio isthæc, fuit relata.

Constat autem, Principes Austriacos, amplissimis suis possessionibus partem multò maximam per connubia fuisse consequutos, è quibus inprimis, magna accessio facta est, per matrimonium Philippi primi cum Johannâ Ferdinandi ultimi Arragoniæ Regis filiâ, Regnorum paternorum, ex testamento hærede unicâ, initum, & quamvis Dux ille Philippus, ante Patrem & Socerum obiret, tamen cùm duos filios, Carolum & Ferdinandum, eorum nominum Quintum & Primũ Imperatores posteà factos, reliquerit, devoluta fuerunt ad posteritatem ipsius tanta Hispaniarum Regna; Verùm cùm Carolus esset primogenitus eoque obtineret Regni prædicti successionem, voluit Maximilianus Avus ejus Paternus, suas orientales Provincias in Ferdinan-

dinandum transferre, sed suasu ejus temporis Episcopi Sedunensis, ex ratione, ut potentia conjuncta maneret, Carolo reliquit. Sic igitur Carolus fuit valdè potens, nam tenuit Regna Hispaniarum, & etiam Orientales Austriacorum Provincias, exceptâ Hungariâ & Bohemiâ, quæ Ferdinando ex connubio Annæ Uladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiæ obvenerunt. Postquam autem experientia docuit, non posse tot Regna ac ditiones commodè ab uno regi ac teneri, præsertim, quod Hispani, suum Regem secum in illo Regno esse vellent; inde oportuit potentiam istam dividere, ob eamque causam Ferdinandus, cessione Caroli fratris, consecutus est Orientales illas Austriacorum Provincias, nempe Austriam, Moraviam, Silesiam &c. dehinc igitur natæ sunt, Austriacæ domus duæ Lineæ; Carolina, quæ Hispanias cum Regnis appertinentibus hactenus possidet, & Ferdinandea, quæ cum decore Imperii, Provincias illas Germaniæ Orientales hucusque tenuit; illa vulgò inde dici solet Hispanica, hæc verò Germanica,

unaque, deficiente alterâ, videtur habere jus ſucceſſionis.

Ex adverſo Galliarum Rex, non eò tantùm Auſtriacis, ad obtinendas Hiſpanias, ſeſe in hunc eventum parem dicere poteſt, quod æquè habeat proximi Hiſpaniæ Regis filiam in matrimouio, & quidem natu majorem. Quantumvis enim ab eâ renunciatum ſit ſucceſſioni Regnorum, iſthæc tamen renunciatio intelligi poteſt de caſu, quo legitimus hæres maſculus ſuperſit, ex Lineâ illâ Hiſpanicâ, an verò etiam complectatur Ferdinandeam Lineam, quæ ex deductis diſtincta planè eſt, dubito, utrum Galli conceſſerint. Deinde, ſi reſpicias maternam cognationem, Galliarum Rex æquè eſt moderni Hiſpaniæ Regis ex ſorore filius, ac Imperator Leopoldus, adeoque eatenus ſunt in pari gradu, propter quam paritatem, defendent Galli, magis reſpiciendam eſſe illam cognationem maternam, quàm neceſſitudinem Carolinæ & Ferdinandeæ Lineæ reſpectu tam remotæ originis paternæ, præprimis, cùm ex hâc poſteriori nemo unquam gubernacula Regni Hiſpania-

ſpaniarum ſuo nomine noſcatur tenuiſſe & ſimili exemplo excluſis remotioribus agnatis, ſumma Hiſpanicarum rerum videatur primò, ad Auſtriacos perveniſſe. Deniq́ue præter hæc omnia, ſunt Gallis, in certas Hiſpanici Regni partes, nominatim in Regnum Neapolitanum, antiquæ prætenſiones, & quidem antiquiores multò, quàm ad Auſtriacam Domum, Hiſpaniæ poſſeſſio delata fuerit, dicunt enim Renatum Regiæ Gallorum ſtirpis Principem, à Johannâ Neapolitanâ Reginâ, Caroli Dyrracheni filiâ & etiam ejus proavum ab alterâ aliquâ ejus nominis Reginâ, fuiſſe adoptatos, hunc verò Renatum, Ludovico XI. Galliarum Regi, per teſtamentum reliquiſſe omnia bona, adeoq́ue ſucceſſionem Regni Neapolitani ſibi inde deberi.

Fateor hoc argumentum, aliquantò levius videri, quod Franciſcus I. Galliarum Rex inter alios Pacis cum Carolo V. initæ articulos, ſucceſſioni Regni Neapolitani debuerit renunciare, ſed tamen idem ille Franciſcus Rex non multò poſt Regnum illud denuò iterum invaſit

vasit de facto, ex quâ re obstinatum Gallorum propositum, ad occupandum istud Regnum, licet animadvertere, nec enim rarò accidit, ut hujusmodi tam arduæ controversiæ, inter magnos Reges vel Principes gladio magis, quàm jure velint dirimi. Et ex his quidem seu causis seu prætextibus, verosimile est, Austriacos inter & Gallos utrinque ad arma provolatum iri, si quando decessione Carolinæ stirpis, Hispaniæ vacaverint.

Utra verò pars, justiùs hoc casu prætendat succedendi jus, non est difficile intellectu, ex his, quæ hactenus adduxi; cùm enim Austriaci, in omnibus ferè quæ Galli adhuc hodiè afferre possunt, pares sint, & præterea superiores in eo, quod mascula origo cum Hispaniæ Regibus eadem ac idem communis Pater vel stipes Philippus Primus Austriacus existat, sanè si de jure quæstio sit, ad Germanicam Austriacæ domus Lineam, deficiente Hispaniâ, successio potiùs, quàm ad Gallos pertinere videtur; Quod enim regeritur, ex istâ paternâ necessitudine non deferri jus succedendi, inde refelli potest, quod

Regna

Regna Hiſpaniarum relicta fuerint Johannæ illi Arrogoniæ per Teſtamentum, adeoque devoluta ad filios & ad Carolum quidem propter Majoratum ipſo actu, ad Ferdinandum verò ſub expectativâ, vel in caſum vacantiæ; Cùm igitur Linea Auſtriacæ domus Germanica, & ex eâ Glorioſiſſimus Imperator noſter Leopoldus, per Legitima Stemmata ac deſcenſum, à Ferdinando usque illam obtineat expectativam, non poteſt dici, Regiam maſculinam ſtirpem, in Hiſpaniâ, extinctâ unâ Lineâ defeciſſe, ſed devolvetur corona ad alteram, nihilominùs, quæ in jure deſunt, inter tantos Principes & ſuper tantâ re, enſe ſolent ſuppleri.

Addo Burgund. Provincias, in quibus adhuc evidentior ratio videtur eſſe, cur Germanica Auſtriac. Linea, Hiſpanicæ in caſum planiſſimæ deceſſionis, ſuccedat, nam Ducatus Burgundicus, Maximiliano I. Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri Tritavo, per matrimonium Mariæ Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiæ acceſſit dotis titulo, & ſic Auſtriacis Germanicæ Lineæ, haud dubiè jus quæſitum eſt, quip-

pe cum aliquis ex ascendentibus, Burgundiam, reipsâ tenuerit, id quod in Belgicis terris consequenter, præ cæteris Hispaniarum Regnis, Ferdinandeæ Austriacorum Lineæ peculiare est. Unde in Inst. Pac. Cæsareo-Gallico §. & ut ei sincerior, 3. Circulus Burgund., adhuc hodiè, habetur pro membro Imperii & sic Galliæ Rex, propter istam pacificationem, eò minus juris prætendere poterit; Interim ob relatas, similesvé causas alias, probabile reputari potest, (utinam non sit!) bellum aliquando fore.

Expendam verò nunc casus illos', quid hinc ad Germaniam redundet; nam Austriaci vel vincent, & Regnum Hispaniæ obtinebunt totum, vel partem, vel nihil; si totum, potentia Austriaca, vel potius Imperatoria fieret nimia, quod ipsum Germaniæ libertati, quæ tali casu quasi titubat, non est bonum, ut patet Caroli Quinti & aliis recentioribus exemplis; ratio est, quia Status Reipubl. Romano-Germanicæ exposcit, ut omnia sint in proportionali æquilibrio; si autem Cæsar

sar per comparationem ad Ordines Imperii, nimiâ, præsertim externâ potentiâ sit suffultus, proportionale illud æquilibrium solvitur, ac Cæsar reipsâ magis absolutus dominus, quàm Caput Reipublicæ esse videbitur. Quòd si nihil de Provinciis Hispaniæ consequerentur Austriaci, vel potiùs Imperator noster, quippe ad quem, successio propriè pertineret, verosimile foret, Gallos prævalere, adeoque illorum potentiam, quæ nunc propè est, finitimis Germaniæ Provinciis, tantò fieri formidabiliorem; ratio probabilitatis est, quoniam neutra pars in tantâ re sponte cedet jure suo, aut vero, aut prætenso; itaque si nihil acquiret, signum erit, alteram partem prævaluisse, adeoq; viribus hinc fuisse auctam.

Restat secundus casus, qui videtur cæteris aliquantò tolerabilior, ubi nimirum deficientibus Carolinis vacantia Hispaniarum Regna scinderentur, & huic quidem hæc, illi altera portio accederet, qui sanè casus, fortassis, eò faciliùs contingere posset, quoniam Provinciæ Hispanicæ non sunt conjunctæ, sed magnis invicem

cem intervallis distant, cujus generis Regna, si quando vacaverint, promptiùs à diversis possunt occupari divisim. Quicquid sit, ne iste quidem casus, si eveniret, esset nobis utilis, ob duas causas: I. quia ista ditio vel Provincia, quæ accederet Imperatori; externa esset, nec Germaniæ incorporata; jam autem Imperatoriam potentiam niti externis viribus, non est bonum Germaniæ, ut infrà quoque deducetur. II. Regna Hispaniarum sunt amplissima, & propterea Austriæ etiam in casu illo scissionis fine dubio, haud parva accederent augmenta; Taceo, quod durante bello inter Austriacos & Gallos, difficile sit, non implicari Germaniam, præsertim cùm hinc & illinc animi ordinum ad assistendum prompti, quique ex privatis causis res novas amarent, fortè haud deessent.

Neque est, ut dicas Carolum Quintum Imperatorem & Franciscum Primum Galliarum Regem, jam gessisse bella de Regno Neapolitano, Ducatu Mediolanensi &c. ac nihilosecius, Germaniam inde haud fuisse conturbatam; nam contra animadvertendum est, circum-

circumstantias ejus temporis fuisse longè diversas, quoniam sc. Carolus Quintus ante erat Rex Hispaniarum, quàm Imperator Romano-Germanicus, ideoque delato insuper ad eum Imperio, ac tot Orientalibus illis Austriacorum Provinciis, fuit potentissimus & potuit facilius bellum, quorsum voluit, sive minori aut Hispaniæ aut Germaniæ incommodo trahere, quæ res nunc temporis foret inversa, & Gallorum arbitrio magis supposita, deinde habuit Carolus tempore incœpti belli jam tunc militem in Italiâ, ac circum loca illa, de quibus controversia vigebat, habuit etiam paratas copias Gallus, propterea que in Italia gestum est primò bellum, & victi tandem ad Papiam Galli; nostra si respicias tempora, aliter se habent, quin verosimile videtur, Gallos alibi impressionem facturos, ut quondam Ducatum Oenipontanum per Italiam oppugnarunt, quo tantò securiùs, occupaturi Neapolitanum Regnum, nemine repellente, progredi possint.

Ac ex hactenus quidem dictis appareret, quod & quamobrem Germaniæ quibusvis

busvis casibus, periculosius sit & magè noxium, si quando stirps Carolina, quæ nunc Hispaniarum potitur, penitùs decesserit; Quoniam igitur Philippus Quartus Hispaniæ Rex, nuper defunctus legitimum Filium successorem Regni unicum tantùm eumque, ut aliqui dicunt, complexione naturæ debilem, reliquit, certè impendent Germaniæ illi casus, de quibus hactenus disserui, dum defuncto jam Rege Hispaniarũ filioli infirmi morte Regnum illud vacaret, ob eamque causam, congruis remediis, de quibus paulò inferiùs, veluti communi consilio Status Imperii, milite limitaneo perpetuo, ærario &c. ne noceant, poterunt præcaveri atque averti; Sed volupe est, priusquàm de his rebus dicam, nonnullas Rationes Status, *ab Hippol. à Lap.* traditas, quarum aliæ sperandæ magis, quàm optandæ, aliæ verò, Reipublicæ Romano-Germanicæ, per quàm videntur periculosæ, huc allegare, & quam vim veritatis habeant, aut Imperio quadrent, breviter expendere, prius tamen de Hungariæ ac Bohemiæ rebus, ut & de Ratione Status pro præsenti,

& se-

& seclusis illis, quæ modò nomina vi remediis, paucis differam.

CAPUT VI.

Quatenus Res Hungariæ & Bohemiæ ad Germaniam pertineant?

SÆpius contingit, ut Germania nostra vocetur in auxilium Hungariæ, cùm eidem bellum imminet Turcicum, quâ materiâ refertos etiã videmus, quotquot à longissimo tempore, paucis exceptis, extant Imperii Recessus; sed an hoc ipsum ritè fiat & in rem Germaniæ, discussum est à variis variè, & quidem multis videtur, quoniam Hungariæ Regnum planè separatũ est, & Imperator noster, ratione ejus sive in quantum est Rex Hungariæ, nec capitis Imperii Romano-Germanici, nec membri alicujus locum obtinet, nihil quicquam commercii Germanis esse debere cum Hungariâ, sive pacem eadem habeat sive bellum. Illud certum est, non ligari Status Imperii, directâ aliquâ & positivâ Lege, ut ad bella Hungarica, auxiliares mittant copias, quanquam enim Impe-

Imperii Ordines singuli, sua recognoscant, ab Imperio Feuda, eorundemque etiam intuitu, obsequium & fidelitatem debeant, tamen vinculum istud se non debet extendere, extra respectum Imperatoris, vel Res Imperii, præsertim si totum non consentiat. Interim verum est, nostram rem agi, vicinus cùm ardeat Ucalegon, atque adeò rectè facere, Ordines Imperii, cùm sub suâ cautelâ assistunt Cæsareæ Majestati in bellis Hungariæ contra Turcam, propriæ salutis ac defensionis gratiâ; errat enim, qui putat, Turcam, si quod semper absit, Hungariam penitùs expugnasset, tunc demum in confinibus Germaniæ quieturum esse, aut, qui mavult, infensissimum Christiani nominis hostem, quàm Imperatorem licet sub respectu Regis Hungariæ, nobis esse vicinum.

Et ex his quidem possumus colligere duo, nempe. I. Imperatorem in quantum est Rex Hungariæ, posse bellum indicere aut pacem facere cum Turcis', quamvis etiam Imperii Ordines non consenserint, idque nullo planè modo præjudicat

dicat Instrumento Pacis, ubi dispositum invenimus, hæc & id genus alia, non perfici solius Cæsaris consensu, sed requiri desuper, ut Imperii Status idem velint, quandoquidem expressè additur, Nomine publico & super negociis ipsius Imperii. Ergo Instrumentum Pacis non obstat, quò minùs Cæsar, in quantum est Rex Hungariæ, possit bellum aut pacem facere cum Turcis aliisvé Regni hostibus, etiam sine consensu Procerũ Germaniæ; alterum, quod hinc consequitur, est Status Imperii Romano-Germanici, hâc tali pace, seorsim ab Imperatore in personâ Regis Hungariæ factâ, non teneri, sed hostes nihilosecius, pro Reipublicæ exigentiâ posse bello persequi, videlicet cùm gesta Regis Hungariæ nullo pacto constringant ordines, quæ verò Imperator peragit ut Imperator, eadem debent communi consensu Comitiali perfici, ut per se patet.

Verùm aliud super est, consideratu hic loci haud indignum; nempe Regnum Hungariæ in se est electivum, quoniam verò aut quæritur in eo inductio successionis, aut saltem fama & vulgaris rumor,

ita

ita obtinuit ; inde interrogari potest, utrùm hæc res etiam ad Germaniam, si non directè, saltem obliquè & per consequentiam spectet ? Cujus quidem quæstionis solutio, exinde desumi posse videtur ; valde probabile est, quousque domus Austriacæ, amplissimæ possessiones, in hâc familiâ conjunctæ manebunt, etiam Imperiale fastigium, in eâdem continuatum iri ; jam verò non est remedium aptius, ad conservandam posteritati potentiam, quàm maximarum possessionum successio ; quoniam in his, quæ per electionem deferuntur, multa sæpe existit contentio & incertitudo, fieriqúe facile potest, ut alius electione præferatur, & hac parte virium posteri mutilentur ; at in successione secùs sese habet, ob eamque causam Germaniæ si liberrima expetitur electio Cæsarea hactenus interest, ditiones domus Austriacæ, non omnes teneri, jure successionis, quoniam si hoc ita sit, & tot tantæque opes in unâ familiâ, aut planè unâ personâ, concurrant, profectò electio Imperatoria, in effectu vix censeri potest liberi voti, sed illa familia

vel

vel persona, tum propter formidinem potentiæ tum propter amplitudinem, Augustali decori congruam, præ cæteris in eligendo respicietur; Sed de his satis.

Porrò Bohemiæ Regnum videtur longè conjunctius Germaniæ, quoniam Rex Bohemiæ non simpliciter se habet in Germanicis rebus, ut Rex Hungariæ, sed est Imperii Elector, veruntamen ad Comitia Imperii extra negotium electionis Cæsareæ non citatur, ob eamque causam nec reputatur in numero Statuum, id quod sanè mirum videri possit, aliquem esse Electorem Imperii, nec tamen Statum, ac vulgò quidem Publici Juris scriptores, hoc ita esse dicunt, causam verò, quamobrem speciale illud in Regno Bohemiæ obtineat, ut mihi quidem videtur, non exprimunt, res autem ita sese habet; facta est Bohemia Vectigalis Imperio, jam inde à temporibus Henrici Aucupis, sed tantùm usa fuit titulo Ducatus; postea Henricus Quintus Imperator, primum concessit Bohemiæ Ducibus Regium nomen, nihilosecius tamen non licet legere, Reges Bohemiæ à Comitiis Imperii fuisse exemptos, nisi fortassis de facto

conti-

contigit, ſicut inter illius temporis turbas, interdum etiam alii Ordines Publica neglexerunt nec Conventus Imperii viſitârunt; poſteà cùm Privilegiis amplioribus à Carolo Quarto Imperatore concumularentur, Reges Bohemiæ, maximè verò, ubi ad familiam Auſtriacam ſequiori tempore Regnum iſtud continuò pertinere cœpit, jam non comparent illi Reges, nec citantur ad Comitia Germanica, quaſi ſingulari quodam jure præmuniti.

Verum enim verò, inſigne aliquod arcanum Politicum, ex hoc elicere, facilè fuerit; nam ad conſervandum in eâdem familâ Imperialis faſtigii decus, præcipuum fundamentum eſt, ut Imperator teneat latiſſimas poſſeſſiones, quatenus tamen fieri poteſt, quàm minimum dependentes ab Imperio: Ratio eſt, quia cùm Imperium ad Imperatorem nihil defert terrarum, & is quaſi proprio jure ditiones tenet, præpotentes, quibus dignitatem ad ſe perlatam tueri valet, profectò eligitur is, qui illam habet potentiam, quæ ad tantum munus requiritur; Si enim Imperator quatenus Imperator, & non ut Sta-

tus

tus aliquis Imperii, vel planè exterus, amplioribus & potentoribus gauderet possessionibus, ipse resisteret Sceptri sui æmulis, & propterea à Electio Cæsarea esset liberior, multoque minùs sibi promittere posset electus Imperator, hoc fastigium in suâ familiâ & posteritate, perduraturum; quia si eo fatis functo, aliena familiâ præferretur, aut etiâ ipse vivus, Imperiali solio, sicut accidit Carolo Crasso, Friderico Barbarossæ, Ludovico Quinto, Wenceslao & aliis, deponeretur, jam ea, quæ pertinebant ad Imperatorem, quatenus est Imperator, unâ adimuntur, ac is suis viribus debebit, defendere coronam, adeoque transmissuro ad posteros Cæsareum culmen tutius est, niti propriâ potentiâ ab Imperio quàm minimum dependente.

Ast verò Bohemiæ Regnum, hoc melius consequi non potuit, nec concinniori medio ad Statum independentiæ deduci, quàm si ad Comitia Germanica non vocaretur Rex iste, eoque ipso subtraheretur numero Ordinum Imperii; Qui itaque in Germaniâ nostrâ Majesta-

tem Imperatoriam vel prærogativam, ad ſe delatam, non ipſe modò & ſibi, diu conſervare cupit, ſed eandem etiam ad poſteros transmittere ſatagit, nihil habere antiquius debet, quàm ut potentiam ſibi paret, Regnaq́; vel poſſeſſiones in ſuâ illâ familiâ conſtabiliat, quæ per ſe, aut planè non pertineant ad Imperium, aut ſecundùm quid tantùm, ſive ab initio ſic ſe habuerint, ſive ex poſt facto talem qualitatem acceperint; & hinc etiam eſſe puto, quod Feuda Imperatori aperta, haud libenter ab Imperio, permittantur denuò in alium conferri; econtrà verò ab Imperatore, eadem concedi ſoleant facilè, longè autem difficiliùs obtineri queant feuda de patrimonio, Cæſaris vel terris, quæ ad Imperatorem ſpectant jure proprio, unde Hiſpani ægerrimè tulerunt, ac pro errato Politico habuerunt, cùm ab Imp. quondam, Ducatus Würtenberg. de privato Auſtriacorũ patrimonio dimitteretur, ac priſtinæ Imp. imedietati redderetur, ratio autẽ hujus rei eſt, quia prioris generis feuda, ad Cæſaream poſteritatem non tranſeunt, per ſucceſſionem, ſed quate-

quatenus penes illam manet, Auguſtale culmen; Ideoque exiſtente caſu, quo alius in Cæſarem Romanum eligeretur, quàm qui foret de ſtirpe præcedentis Imperatoris, jam profectò feuda illa antè aperta augerent, contra priorem familiam Imperatoriam, potentiam novi Cæſaris, ad quem jure Imperialis Majeſtatis pertinere incepiſſent; per inverſum, ſi Patrimonalia Cæſaris bona in Feudum concedantur, eo ipſo poſteritatis Cæſareæ vires imminuuntur, adeoque Ordines Imperii, hæc & ſimilia bona, coronæ Auguſtali reſervata & unita volunt; Cæſar verò quicunque ad progeniem ſuam, habenas Imperii transmittere ſtudet, vult contrarium; & eò collimat, ut conceſſione hujusmodi bonorum, ſibi & familiæ ſuæ, Principem aliquem, vel Comitem conciliet, quavis occaſione devinctiorem.

Verùm redeo ad id, unde modò ſum digreſſus; nempe dixi, Bohemiam ſecundùm quid pertinere ad Rempublicam Romano Germanicam, ſc. in negotio Electionis Cæſareæ, quod quidem per ſe notum eſt, & rationem etiam utilitatis,

tatis, quâ ad posteros summa rerum perveniat, haud obscuram habet, quòd nimirum vigore A. B. licitum sit Electorem aliquem cum cæteris, se ipsum in Regem Romanum eligere, suoque voto ad se directo, junctis aliis majora, ut vocant, in collegio Electorali constituere; congruum igitur erat, aut certè nil in commodi afferebat, Bohemiæ retineri jus voti Electoralis; sed illud magis mirere, cur Bohemia, quoad contributiones, sive indictiones auxiliares, hodienum subdita permanserit Imperio Romano-Germanico? Respondeo; bella Germanorum, quotquot ultra hominum ferè memoriam habuimus, vel sunt civilia & intestina, cujusmodi speciem tulit acerrimum illud nostræ memoriæ Germanicum bellum, vel unius alicujus aut paucorum Statuum, Germaniæ, cum extero Rege aliquo, aut Republica ceu non ita multis annis retrò, Elector Brandenburgicus, modò, adversus Polonos, modò adversus Suecos, similiter Dux Holsatiæ, contra Danos, in armis steterunt; in his bellorum generibus, quippe cùm privatim geran-

gerantur, Publico nomine nihil contribui debet, nec indictiones illæ, vulgò Römer Monath/propriè habent locum, aut si exiguntur, certè ad illam partem conferentur, cum quâ facit Imperator.

Est tertiũ genus belli apud Germanos, quo depugnant contra Barbaros, Turcas, Tartaros &c. in hoc solent Germanicorũ Ordinum subsidia, sæpe etiam exterorum Christianorum Regum, copiæ auxiliares, confluere, ad defendendam Hungariam, & propulsandum finibus nostris, hostiles impetus; jam verò Bohemia & Hungaria [de Christianâ loquor] subsunt eidem domino, adeoque auxilia belli Bohemica, ejusque Regni contributiones, ipso effectu principaliter tendunt, & cautè directa fuerunt ad defensionem Hungariæ, cumprimis eo tempore, pro Bohemia adhuc nuperi, in modum Regni Electivi tenebatur, ita, ut quamvis alius de facto vel jure, sceptrum Bohemicum nactus fuisset, tamen obligatus maneret, ad succurendum bellis Hungaricis contra Turcam.

Hodiè verò ex quo Bohemia successio-

nis qualitatem obtinuit, vel etiam ex quo eam introductum iri, ſpes fuit, probabile videtur, non certo indictionum numero, Bohemiam ſua promiſſuram, aut præſtituram, auxilia, ſed planè indeterminatè, & pro neceſſitate temporum rerumque circumſtantiis. Si quisitaque ſecundùm hæc dicat, Bohemiæ, Regnum, cum Germania, extra ſcopum defendendæ Hungariæ, vel relinquendæ poſteris Cæſareæ coronæ, reverà vix quicquam conjunctionis habere, meo judicio haud aberraverit, partim quia ex deductis Rex Bohemiæ, Comitiis Imperii Germanici non intereſt, nec ut aliud aliquod membrum, de negotiis Publicis, veluti Legum & juſtitiæ, pacis & belli, fœderum, matriculæ &c. unâ conſultat vel concludit, in tantum, ut ne particularibus quidem Electorum conventibus, extra negotium electionis Cæſareæ ſeſe immiſceat, partim etiam, quia Regni Bohemiæ ſubditi nullibi poſſunt in Imperio conveniri, ſed tantùm in foro Bohemico; quod ſi ſententia ibi in ſummo dicaſterio, feratur, cuipiam adverſa, remedium provocationis ad

nis ad Imperii Tribunalia non habet, adeoque Regnum Bohemiæ est Legibus Germaniæ, pauciſſimis exceptis, reverà ſolutum;

Sed objicies, hæc talia, de non appellando, non evocando &c. Privilegia, Bohemiæ Regi, ejusque ſubditis conceſſa, potiùs à contrario coarguere ſuperioritatem quandam ex parte concedentis, & adeò Imperatorem Romano-Germanicum, adhuc hodiè oportere recognoſci à Rege Bohemiæ, etiamſi concurrat cum eo in eandem perſonam, rem enim ſe habituram ut in exemplo Caroli Quinti Cæſaris, qui in perſonâ Imperatoris ſibi ſub reſpectu Ducis Auſtriæ ſolebat aliquid injungere ac demandare; cujusmodi qualitatem hodienum remanere, poſſeque Imperatorem noſtrum ſibi ipſi ut Regi Bohemiæ mandatum dare vel aliquid interdicere; Reſpondeo Privilegia ab Imperatore Regi Bohemiæ conceſſa, extant in Aureâ Bullâ, & adeò pertinent ad Leges Imperii Germanici fundamentales; quod autem Privilegium ita ſeſe habet, arguit quidem, illum qui dedit, habuiſſe in illum,

lum, cui dedit, potestatem aliquam & jus superius; Cæterùm hac ipsâ concessione istud à se tacitè abdicâsse, perinde est enim, si Imperator in modum irrevocabilis Privilegii, aliquid alicui tribuit, atque si diceret, hoc jus, quod antea non habebas, sive etiam, quod mihi competierat, inposterum tibi largior ita, ut mihi amplius non sit competiturum.

Quapropter Privilegia illa de non appellando, non evocando, cum similibus eò pertinent, ne quis Imperatorum subsequentium, tametsi, vel maximè velit, in causâ, possit appellationem suscipere aut quomodo inter Bohemos judex esse, nisi per accidens, quatenus nimirum in eandem personam Romana corona & Bohemica concurrunt. Tenentur igitur, omnes Cæsares, ex vi suæ Legis Regiæ, ut Bohemiæ Regnum, relinquant liberum, nec causas ejus ad se pertrahant; quòd si tale aliquid contingat, ut, exemplo Ducis Austriæ, Imperator de se ipso, sub respectu Regis Bohemiæ, cognitionem judicialem vel extra judicialem habere velit, quanquam talem facti speciem

ciem, haud temerè Leges in Bohemicis rebus proditam, profectò, videtur dicis tantùm gratiâ & nominetenùs fieri, quis enim crederet, Sempronium super controversiâ agri Titiani, impetitum, à se eodem, quamvis sub alio respectu ritè citari, aut judicari posse, omnes sanè putarent, judicium hoc non subsistere; quinimò si, ut exemplum retineam, Carolus Archidux Austriæ, debito super quo lis est, voluisset satisfacere non tantisper moratus fuisset, dum à Carolo Imperatore citaretur ac fortè condemnaretur, nam in causâ injustâ, contra Carolum Archiducem, meritò Actor obtinuisset, in æquiori verò sibiipsi idem, propter susceptionem Processus, expectationemque sententiæ, renueret parere. Ideoque hujusmodi judicia, ubi v. g. sub respectu Regis Bohemiæ, Imperator coram seipso ut Imperatore impetitur, sunt absque dubio frustranea;

Sic igitur sese habent Hungariæ & Bohemiæ Regna, ut Imperio Romano-Germanico, partim planè nõ, partim nomine magis, quàm re subsint; quod ad cæ-

teras possessiones Cæsareas attinet, illæ quidem sunt Germaniæ incorporatæ, ut Austria, Silesia, Moravia &c. Verum tantis Privilegiis accumulatæ, ut à multis dicantur, etiam Electorum ac Electoratuum Imperii Privilegia longè excedere; jam quoniam hujusmodi Privilegia, non respiciunt Imperatorem, in quantum est Imperator, sed ab ipsis, sunt concessa, Archiducibus Austriæ, Silesiæ &c. ob eam causam similiter cedunt in rem Cæsarum privatam, præsertim, quia hæc talia Privilegia solent ac debent deinde inseri Capitulationibus Cæsareis, de quâ re dicam paulò inferiùs; Et ex his quidem patet, Terras patrimoniales, Cæsaris, hodiè esse triplicis generis, partim planè exteras ac separatas ab Imperio Germaniæ, partim aliquatenus tantùm, ad illud pertinentes, nec tamen incorporatas, sed propter insignia privilegia, verbo magis, quàm re subjectas.

CAPUT

CAPUT VII.

De Ratione Status Cæsareâ respectu Ordinum in communi & in specie pro re præsenti.

PRæter ea, quæ proximè exposui, complura & diversa admodùm sunt, quæ non eò collimant, quemadmodum Imperator decus Augustale familiæ suæ ac posteritati relinquat, sed ad rationem boni regiminis tendunt, quatenus sc. Imperium sive ab ipso Cæsare, sive ab ejus posteris ritè gubernetur. Consistere verò videtur, totum hoc, vel certè potiori ex parte, in conciliando sibi favore & reverentiâ Statuum Imperii, tanquam in duobus supremis capitibus; Quem enim Imperatorem ordines Imperii, prosequuntur favore, & ut Patrem Patriæ amant, ac præterea metum ejus habent reverentialem, illumque ut Regem suum legitimum reverâ suspiciunt ac venerantur, is non modò [loquor autem politicè] tranquilliora & à bellis civilibus tutiora habebit regiminis sui tempora, sed & assistentiam Ordinum conjunctio-

junctiorem foris experietur, eoque Majestatem suam, etiam contra exteros, defendere poterit satis feliciter, nam dubium nullum est, quin Germaniæ vires aut totæ aut majori saltem ex parte unitæ, abundè sustinere valeant, quemvis Regem, Principem vel Rempublicam totius Christiani Orbis; à Barbaris verò opinor nec ipsi cæteri, si ita fatis labefactaremur, quantum in se esset, Germaniam paterentur supprimi, videlicet quum exinde, quantum suis rebus afferretur periculi, satis haberent cognitum atque perfectum.

Omninò igitur ut dixi, ad hos duos fines quàm maximè respicere debet Imperator, ut Ordinum Imperii animis, has salutares herbas inserat, sui sc. favorem ac metum reverentialem. Verum hæc generalia modò sunt, quæ de fine dicuntur, in eo autem omnis labor ac difficultas sita videtur, quibus mediis ad hunc talem scopum collimare liceat; ac Ordinum quidem Imperii; diversa est potentia, dignitas & auctoritas, aliæque domus illustriores magis, aliæ minùs propendent

dent ad Imperatorem ; ob eamque cau-
ſam remedia inducentia favorem & me-
tum reverentialem apud Ordines, probè
ſunt non modò pro circumſtantiis tem-
porum dirigenda, ſed etiam congruâ pro-
portione ſic adhibenda & contemperan-
da, ne hi Status, qui benè cupiunt Impera-
tori ſequiorem affectum concipiant, aut
hi, quorum animos alioqui livor habet,
ex alienatis planè fiant abalienatiſſimi;
Itaque, ut ad rem perveniam, ſummo-
perè cavendum eſt, ne Statuum Regali-
bus dignitatibus, Præeminentiis vel Pri-
vilegiis contravenire vel illis aliquid de-
cerpere videatur Imperator ; ex nullâ
enim re bilem ipſis magis movere poteſt,
quàm ſi propter actiones Cæſaris putent,
ſuam libertatem, religionem vel jura
ſuppreſſum iri ; hæc certè res cauſam de-
dit, cur Imperii Ordines proteſtantes,
contra Edictum Ferdinand. II. Impera-
toris, quo Monaſteria reposcebantur, ſeſe
unirent ac Sueco accederent ; & cur Mau-
ritius Saxoniæ Dux, Carolo Quinto Im-
peratori, anteà conjunctiſſimus, ſubitò
arma arriperet contra ipſum, quod nimi-
rum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [155] - 141
PUBLIC DOMAIN

rum, cum Imperatorem Evangelicis ac præsertim Patrueli suo captivo, Johanni Friderico Electori, inexorabilem tunc temporis cerneret, suspicari cœperit, nec se quidem, concesso ab Imperatore Electoratu, constanter potiturum, ob eamque causam prævenire idem statuit, seseque vi & armis, quibus tunc pollebat, ne fortassis alioquin imparatus invaderetur, defendere ac præmunire.

Verùm quia sunt in Imperio certæ familiæ, quæ jam inveteratas allegant, offensæ ac simultatum causas, sic tamen, ut eas sine acerbiori alterius familiæ aut lineæ odio tollere haud sit obvium, idcircò, sollicitè saltem in id incumbendum est, ne hi tales Principes vel Status Imperii, ulterius aliquid ab Imperatore pati debeant adversum, sed ut vicissim Cæsar illis exhibeat, datâ occasione gratiam, præferent enim Imperatoriam gratiam, periculosis motibus, quod verosimile sit, ipsos sese impares statuere, qui novis beneficiis Imperatori devincti, eoque nec justissimâ causâ subnixi, ipsum aggrediantur bello, aut si omninò id tentent,

tent, parùm tamen reipsâ profecturos esse; non enim sunt similia, ubi per te ipsum non sufficis, inchoare bellum, ex privatâ causâ, præsertim injustâ vel non satis revelante, aut bellum inferre ex causâ communi, Religionis vel libertatis defendendæ &c. tametsi præcisè Tuis viribus te tutari nequeas, nam prioris generis bella, authores coguntur sustinere soli, quia nemo facilè, sese immiscere illis vult, aut malorum inde profluentium facere participem, uti docet exemplum Johannis Friderici Secundi Saxoniæ Ducis, cum quo certè nemo uno ac altero fortè excepto communia subire voluit belli pericula, quod videretur suscepisse perduelliũ defensionem ex odio, propter ademptũ Patri Electoratum; At si plurium Imperii Statuum communis sors ab exitu belli, notoriè aut valdè apparenter pendet auxilia haud incerta sibi promittere potest, qui bellum, quamvis solus non sufficiens, incipit, sicut cæteri Evangelici Principes & Status, adversus Carolum Quintum Imperatorem probabiliter juvissent Mauritium Saxoniæ Ducem, nisi

bellum

bellum per pactum Passavienſe, citiùs adinveniſſet finem.

Propter hanc itaque cauſam, non eſt verendum, eos qui in Imperatorem vel Cæſaream familiam livorem & ſimultatem antiquam habent, nova facilè moliri auſuros, ſi modò Cæſar ſeipſis, ubi occaſio ſit, exhibeat gratioſum; ac præterea ſedulò caveat, ne noviter offendantur; Econtrà verò, quos ſibi Imperatoria Majeſtas, beneficiis delinivit, quique noſcuntur in Cæſarem Cæſaream que familiam procliviores eſſe, ſatis fuerit, in Statu illo propter quem Imperatori favent, conſervare, vel ſaltem nihil cauſæ, ultrò offerre, ut inde deturbentur, ac de cætero proſpicere, ne enormis aliqua læſio, ipſis per Imperatorem obveniat, communem enim nec prægrandem, quamvis ſentiant, [abſit verò, ut ſtatuam etiam hanc inferendam,] perferent tamen nec prævalere eam apud ſe, anteriori Imperatoris gratiæ & indultis patientur; ſic enim comparatum eſt in humanis rebus, ut offenſa mens quasvis, etiam leviores odii ulterioris cauſas, arripiat atque exaggeret, mens verò

verò prius devincta, æquius easdem toleret, & minores aut non sat prægnantes ad iraſcendum reputet; fateor quidem, hoc idem interdum paſſum fuiſſe inſtantiam, ut quis nimirum anterioris Principalis beneficii immemor malum pro bono retulerit, ſicut Henrico Quarto Imperatori fecit Rudolphus Sueviæ Dux & Comes de Rheinfelden, quem Imperator ipſe promoverat ad illum gradum potentiæ, & etiam filiam ei in matrimonium collocaverat; tamen his non obſtantibus à Cæſare Rudolphus iſte defecit; Verùm hæc talia exempla aut rariùs contingunt, aut certè magnam aliquam cauſam habent veram vel apparentem ſaltem, & de quibus verum eſt, quòd etiam beneficiis cumulati, ac in Ampliſſimo Statu conſtituti, tamen haud perſiſtant in fidelitate Imperatoris, illi profectòſi tanta beneficia non accepiſſent, adhuc pronius & facilius multò prolapſi eſſent in defectionem, ſicut etiam eundem illum Rudolphum, Imperatoriæ Majeſtatis ab eaque exhibitæ gratiæ memoria, diu dubium tenuit, ac deficiendi propoſito, remoram

injecit, dum tandem, instigationi Pontificis & illorum qui Imperatori erant adversi cederet.

Omninò igitur, cæteris paribus, verum manet, læsos ab Imperatore Status, ulterioris offensæ omnem exaggerare modum, eos verò, qui se beneficiis devinctos meminisse possunt, non statim asperiora contra Imperatorem consilia sequi, quamvis sese putent, ab eo quatenus læsos, sive etiam aliam immutandi animi causam prætendere possent. Secundum remedium conciliandi favoris Statuum, est, ut Imperator omnibus distribuat justitiam ex æquo, nec sese patiatur ab hâc normâ dimoveri, ubi enim non est exercitium justitiæ, nec quis jus suum Imperatoris patrocinio consequi potest, ibi etiam vix possunt, quin radices agant, odium ac livor in Imperatorem; aut enim credunt Status, Imperatorem noluisse ipsis jus dicere aut eidem defuisse vires, ut justitiæ effectum suspenderet, propter potentiam adversarii litigantis; quorum utrumque haud obscurum habet odium.

odium. Sed dices, opinor, si Imperator omnibus ubiqúe Statibus jus diceret, pro cujusqúe causæ meritis, difficilimè evitare posset, ne eo ipso nonnullorum etiam potentiorum in Imperio incurreret invidiam; sunt enim aliquæ domus illustriores, quibus magnum onus debitorum incumbit, hæ certè ex rigido justitiæ cursu videntur offendi, vicissim alii potentiores Status, possident diversa, de quibus fortassis alii conqueri, seu etiam ad libertatem & immedietatem provocare possent; hoc tale aliquid, quantumvis ad justitiam causæ, si Cæsar determinaret, credo præpotentibus possessoribus moveret bilem, atq; adeò æquali per omnia justitiæ administratione, magis invidiam Ordinum, quàm favorem & benevolentiam, sibi pareret; Respondeo in his & similibus casibus Cæsarem tutum fore à Statuum odiis, per remedia metus reverentialis mox tradenda, præsertim etiam non admodùm curare debere, quòd talis livor sit paucorum, & unius saltem vel alterius, qui certè non auderent Imperatorem, præsertim Majestaticâ gravitate

condecenter ornatum, pluriumque benevolentiâ ſuffultum aggredi, aut adverſus illum deterius quid moliri;

Cæterùm hac in re haud abſq; moderatione tamen procedendum eſt, nam in his cauſis, quæ noviter emergunt, minùs habere poteſt prætextum, qui ſequiorem cauſam fovet quàm in his, ubi munimine antiquiſſimæ poſſeſſionis ſuam injuſtitiam valet contegere; cùm enim recenter potentior aliquis, alterum deturbat poſſeſſione, aut etiam ut mediatum ſibi ſubjicere vult, plures ſunt conſcii iniquitatis, eoque etiam minùs ſibi is confidet, ac facilius Imperatori obtemperabit; at ſi per conniventiam longiſſimum tempus effluxit, quodcunque etiam poſſeſſionis ſuæ vel prætenſionis initium habuerit, fortius defendet, & ſibi credet injuriam fieri, ſi abjudicetur. Quapropter in illo cauſarum genere, parciùs indulgendum eſt, ſemperque cavendum, ut adverſus eos, qui fortaſſis injuſtè agunt in Imperio adminiſtretur juſtitia ex æquo, licet fortè aliquod exinde Imperatori evenire poſſet particulare odium; ſi

um; si enim eò ventum est, cum Majestate Cæsarea, ut propter affectum potentiorum, quasi per Rationem Status nequeat, æquabiliter justiam exercere, profectò non ampliùs vivimus in sancto illo Romano Imperio, sed in Tyrannide Oligarchica!

At verò in causis jam per multos annos antiquitatis, bonâ conscientiâ & prudenter suspendi potest decisio, ne turbæ inde cooriantur, præsertim cùm plerumque eas nemo urgeat, eoque tantò ægriùs ferant potentiores, si illas, nemine instante, Imperator quasi recoquat ac reassumat ex officio. Adhibenda autem est hæc insuper cautela, ut non extet in illa justitiæ administratione, quodcunque exemplum, ubi Imperator, quod in uno vel condemnando vel absolvendo pronunciat in altero simili, recenter idem non fecerit, quia si qui etiam sciant, sibi justè hoc vel illud fuisse abjudicatum, ultimò tamen paribus exemplis moventur, & quod apud alios connivendo accidit, id si sibi etiam non contingat, putant fieri injuriam, eoque in Cæsarem jus dicentem,

malum concipiunt affectum. Porrò tertium remedium conciliandi amoris Statuum in eo mihi positum videtur, ut Imperator Status Imperii, quantum res vel occasio patitur, consiliis & Aulæ etiam suæ adhibeat, aut certè ubique potiores æstimet, quàm Principes quoscunque extraneos.

Quâ ex re incredibile est, quàm benè velle Imperatori pergant Ordines, si se vicissim pro cujusque dignitate observari, & consueto cultu æstimari animadvertant, quod sanè propterea accidit, quoniam nostra hæc tempora maximè respiciunt ad externa, cultumque qui ibi defertur, nescio, quibus quantisque rebus anteferant, ob eamque etiam causam jam multo tempore benè factum, cùm lites præcedentiæ in Publicis Comitiis, non determinaverint Imperatores, sed ut quisque sessionem nactus fuit, sic ei fore, absque præjudicio peculiarem clausulam multoties inserendam, curaverint Imperii Recessibus. Ex quibus patet in tribus potissimùm consistere media illa, disponendi Status ad benevolentiam

Impe-

Imperatoris, nempe primò ut Imperator eorundem conservet jura Regalia, præeminentias ac privilegia, deinde, ut justitiam, moderatione paucis expositâ, administret omnibus. Tertiò demum ut Status Imperii apud se cæteris exteris Principibus faciat potiores, ac si quando inter ipsosmet circa præcedentiam lis incidat, se non facilè immiscat; sin occasio fortè ita ferat, ut alter alteri in Publicis cedere nolit, pro digniore in dubio judicet, ita tamen ut minorem reservando ei sua jura prout aliquando fecit Fridericus Barbarossa Imperator, inter Archi-Episcopum Colonienſem & Abbatem Fuldenſem, haud planè videatur excluſisse.

Dehinc deveniam ad illas artes, quibus Imperator sceptro dignas existimationes, apud Ordines Imperii consequi potest; Illæ, quamvis fortassis pluribus, eas tradere liceat, his duobus contineri præsertim videntur. Primò ut Cæsar se ostendat ubique Heroicis virtutibus & insigni prudentiâ præditum, deinde ut in particulari hujus vel illius ex Ordinibus potentiam non sinat ultra modum

creſcere, aut Imperatoris viribus ſubinde exæquari, qui enim Imperator hæc duo habet, ut virtute & prudentiâ præemineat, ac etiam viribus exiſtat ſuperior, eum ſemper manebit apud Status reverentia condebita, adeoque nemo contra hunc talem Imperatorem inſurgere, ac ei injuſtè reluctari præſumet. Et virtutes quidem Heroicæ, quæ Imperatorem vel Regem decent, alibi extant expoſitæ, de eo ulterior eſt quæſtio, quemadmodùm Cæſar illum finem, ne ſc. Statuum potentia juſtis majora ſumat incrementa, feliciter obtinere queat.

Cùm igitur jam dictum ſit, & per ſe etiam pateat, alios Ordines in Imperio excedi ab aliis, tum reſpectu potentiæ & opum, tum dignitatis, illud inprimis obſervandum videtur, ut Imperator minores juvet & foveat, ne à majoribus in ipſorum redigantur poteſtatem, nam ex hac re fit, ut diverſa Imperii bona, hujus vel illius ditioni particulariter accedant, & adeò ſenſim vires acquirantur majores: quo quidem intuitu Sigismundus Imperator urbium Imperialium partibus, ne depri-

deprimerentur, olim adfuit, & in genere etiã huc collimant sanctiones illæ, & consuetudines Imp., quibus Fiscalis Cameræ, etiam ex officio Publicum interesse observare, ac in causis exemptionum, immedietatem illorum Ordinum, quos alii subjicere sibi volunt, vindicare tenetur. Excipio illum casum, ubi fortassis Princeps aliquis insignior, qui Imperatoris partes strenuè sequitur, hac ex re omninò abalienaretur. Si enim Imperator tunc vellet illam regulam observare, plerumque standum esse, à partibus debilioris, posset exinde Statum suum, quandoque in præceps agere, & in magnum adducere discrimen. v. gr. Si Ferdinandus II. Cæsar jussisset Maximilianum Bavariæ Ducem, decedere possessione Donaverdæ fortassis illum inclinâsset ad defectionem, qui præ cæteris egregium exercitum in defensionem Imperatoris, solitus fuerat alere. Itaque consideranda est conditio Reipublicæ in quâ tunc versatur Imperator, cauteque agendum, ne fortè ex devincto sibi Principe reddatur infensus hostis; neq; verò muto senten-

tiam illam priorem, quòd Imperator jus omnibus debeat distribuere ex æquo, nam etiam hic illud observari debet, ac tantum dico in dubio, & actibus extrajudicialibus, Imperatorem debere magis facere cum debilioribus, excepto illo casu, ubi Respublica & aliæ circumstantiæ aliud postulant, ut si fortassis sit aliquis potentior Imperatori devinctissimus, cujus Societas, & amicitia, rebus ejus magnum possit adferre momentum.

Itaque nihilosecius Majestaticum erit, quoad lites forenses, præsertim militante facti notorietate justitiam benevolentiæ, indistinctè anteponere. Præter hæc secundo loco observandum venit, ne nova privilegia de nõ appellando, non evocando, electionis & similia, facilè ac promiscuè obtineantur, solent enim Statuum privilegia eorunde[illegible] sarta tecta custodia pars quædam fieri, Legis Imperatoriæ, vulgò Capitulationis, adeoque res eò devenit, ut Imperator subsequens eorundem observantiæ obstringatur in vim contractus. Quo fit, ut subinde aliquid de Majestate Imperatoriâ tacitè vi-

tè videatur remissum, unde Recessus Imperii de Anno 1654. civilibus hac in re utitur verbis: **Wollen wir mit deßgleichen Privilegien an uns halten.** Quibus verò mediis, modisvé imminuitur Augustale culmen, horum studiosa evitatio omninò & absque dubio, pertinet ad Rationem Status Cæsaream.

Porrò Ordinum potentiam ultra modum quoque videntur augere pacta illa, præsertim si sint de magnis Ducatibus ac ditionibus successoria & reciproca, exinde enim in futurum, periculum imminet, ne ea familia, quæ ex tali fœdere olim vindicatura est successionem magnarum ditionum, & aliòquin magnas' tenet, ne inquam talis familia, incipat minùs revereri Imperiale fastigium. Quapropter factum prudenter fuerit, ut hæc talia successionis pacta Imperator difficilimè confirmet, cùm sc. absque Cæsareâ confirmatione hæc talia feuda in casum aperturæ ad Imperium spectant, ponam exempli loco celebre illud inter Domum Saxonicam Brandeburgensem & Hassiacam, successionis pactum, quas' enim

enim quantasque possessiones ac Territoria, si quod Deus longè prohibeat, ac super Illustres hasce familias conservet, casus aliquando extiterit, ubi unâ superstite cæteræ extinctæ forent, in unam domum confluere contingeret.

Etsi verò haud abs re sit, Imperatorem niti amicis erga se in Imperio familiis, adeoque ad eas velle potius pervenire potentiam, tamen favor, & affectus non semper duci solet per stemmata, eoque tutiùs est emergente casu, vacantes Principatus vel Territoria amicis Cæsari familiis obvenire divisim, quàm conjunctim; & sic sese res habet, dum in genere loquimur de respectu Imperatoris ad Status Imperii, quæ & quemadmodum observanda videantur, at quia ipsi Ordines potentiâ atque dignitate admodùm sunt impares, haud perdiderim fortè operam ad speciem magis descensurus, ideoque primò quod ad Electores attinet, cùm illi sint dignitate ac præeminentiâ cæterorum Ordinum longè primi, laboraverunt retrò Imperatores, quàm maximè, ut illorum benevolentiam ambirent perpetu-

petuam, ideoque etiam ad tantum gradum, rejectis interdum his, qui antè illud obtinuerant, assumere consueverunt, Principes erga se benè meritos, sibique præcæteris devinctos. Cùm enim Electoralis Collegii maxima sit in Publicis authoritas, meritò sibi providerunt Imperatores de ejus benevolentiâ. Hanc verò tantò certiùs sibi promiserunt, si essent, qui Electoralem eminentiam Imperatori propter benè merita, ferrent acceptam.

Ob hanc itaque causam Imperator Sigismundus Saxonicam & Brandenburgensem familiam, quæ hodiè rerum potiuntur, ad istos Electoratus promovit, idem fecerat anteà Fridericus Primus dejecto Henrico Leone, ubi familiam illam, quæ hodiè Saxo Lovenburgensis vocatur, in Electoratu Saxoniæ & Ottonem Wittelsbachium ex veteri prosapiâ Comitum de Schirn oriundum, Palatinatu & Bavariâ investiverat. Similiter Carolus Quintus Cæsar, ab Ernestinâ Ducum Saxoniæ Lineâ, secundum quam Serenissimus Princeps Altenburgicus, nulla interru,

terruptione factâ, Elector hodiè foret, in Mauritio Duce ad Albertinam transtulit Saxoniæ Electoratum. Et hoc quidem primum requisitum est ambiendi in specie Electoralem favorem, ut nimirum Imperatori si fieri possit ipsius Electoratus nomine, sese devinctos sciant Electores;

Secundum ex superioribus quasi per consequentiam effluit, videlicet, ut Imperator ipsos Electores præ cæteris Imperii Ordinibus, honore, & amore complectatur, nec modò nullum genus gratiæ erga illos intentatum relinquat, sed & illorum privilegia Electoralemq; prærogativam, omnibus modis studeat conservare, quoniam enim Electores primum post Imperatorem, in Imperio dignitatis obtinent gradum, volunt etiam pro præcipuis membris observari, & inprimis molestè ferre videntur, si infra suum fastigium quavis ratione velint detrudi, verùm ut Imperatori curæ esse debet Electoralis præeminentiæ conservatio, sic vicissim fortassis non est in rem Imperatoris, nova & ampliora, quàm quæ

Legi-

Legibus Imperii habentur, privilegia Electoribus concedere, ob eam sc. causam, ne ad Septemviratum totius propè Germaniæ summa devoluta censeri possit.

Tertium medium, quod Imperatores retrò respectu Electorum usurpârunt, constitit in conservando metu erga se reverentiali, cùm nimirum, si res ita exposcere videretur, unum vel alterum ex Electoribus gradu dejecerunt, sic fecit Fridericus Barbarossa Henrico Leoni Saxoniæ & Bavariæ Duci; Item Sigismundus Erico Quinto, & alii aliis invisis sibi Electoribus; Verùm hoc remedium de deponendis Electoribus est acre nimis, & habuit etiam conjunctos plerumque magnos Reipublicæ motus, unde quia Imperatores moderni jam habent illam præsumptionem ac respectum, quòd pro re natâ jus illud exercuerint, sufficit, si se ipsos in hac æstimatione conservent, ac ubique tam magnanimos ostendant, ut credantur adversum se nihil quicquam permissuri, quod Augustali culmini vergere queat in dedecus.

Porrò

Porrò quod classem Principum attinet, similiter est ex re Cæsaris videre, quemadmodùm illorum favorem ambiat, id quod observârunt priores Imperatores, dum potiores Principum domus atque familias, insignibus accumulârunt privilegiis.

Cæterùm quamvis paulò ante monuerim, concessionem hujusmodi privilegiorum non usquequaque videri profuturam Cæsaribus, tamen si Principes animadverterent, sua quæcunque etiam sint Privilegia, antiquitus indulta, quavis ratione labefactari, aut imminui, dubio procul ferrent illud ipsum ægerrimè, & conciperent apud se odium Cæsareæ Majestatis; Sin econtrario nova subinde ipsis tribuerentur, dixeris hac ex re magis magisque illos eximi Imperiali subjectione, ob eamque causam, quod ad favorem Principum concitandum attinet, haud videntur Rationes Status, multum singulares esse, vel diversæ ab his, quæ jam sunt traditæ.

Excipio hoc solum; in classe Electorum, Imperator non ita facilè potest

est constituere aliquod commembrum, sed cùm per Leges Imperii, certus sit Electorum numerus definitus, nemo potest extolli ad illum gradum dignitatis, sc. Secularis Electoratus nisi cum alterius depressione & exauctoratione. Verùm in Principum Curiâ secus est, & animadvertere licet, Imperatores esse valdè pronos ad conferendam aliquibus Principis Imperii dignitatem. Quamvis enim etiam hîc illud obstaculum subsit, quòd Imperii consensus ad hoc ipsum desideretur, tamen videmus Principes cæteros, plerumque tandem consensisse, ut novæ familiæ vel personę fierent voti Comitialis, in hâc classe compotes, idque certis clausulis & conditionibus plerumque solitum fuit permitti, quarum duæ hæ videntur potissimæ, ut hæc cooptatio in Principem Imperii, nunquam allegetur pro præjudicio, vel aliis casibus in consequentiam trahatur; deinde ut illi Imperii Principes novi, prospiciant sibi de Territoriis & bonis Imperio immediatè subjectis, uti cernere est inter alia ex Comitiis & Recessu Imperii de Anno 1654.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [175] - 161
PUBLIC DOMAIN

Verùm enim verò hæ conditiones an & quatenus sufficiant ex parte Principum, dicam paulò inferiùs suo loco. Hoc interim apparet, Cæsares illud commodi dehinc sortiri, quòd primò sic nanciscantur, plura vota in classe Principum sibi devincta, hi enim, qui noviter ad illam prærogativam sunt effecti, non audent quidquam suffragiis suis comprobare, quod putant evehenti minus placiturum, deinde authoritas Principalis addito subinde numero, si singulatim consideretur, quod ad Publica attinet, non manet tanta, quanta Electorum, nec eò potest proximè accedere; quò enim plures creantur Imperii Principes, eò minus valent, & considerantur singuli. Consequuntur ergò Cæsares hoc ipsum ex hac re obliqua ratione, ut nimirum Electores cæteris Principibus singulis habeantur & conserventur reverâ potiores. Quapropter etiam non credo Electorale Collegium, si Cæsar novum Imperii Principem facere vellet, pertinaciter obnisurum, quia illa res Electores, dum illi manent in suo numero definito, tacitè evehit, Principum authoritatem,

ritatem, propter crescentem numerum, reddere videtur viliorem.

Sed accedam etiam ad Urbes Imperiales, nam Comites comprehenduntur sub Classe Principum, & ideò hactenus cum illis perinde est; Urbes verò Imperiales constituunt tertiam Statuum Imperii Classem, & videntur antiquitùs ab Imperatoribus cauto fine, ut sc. quasi essent interstitium aliqnod Ducatuum vel Comitatuum, & ita attemperarent pro partibns Imperatoris illorum potentiam, sub immediatâ qualitate relictæ esse, exercuerunt etiam, jam inde ab immemoriali tempore, jus voti in Comitiis, non consultivi tantùm, sed & verè decisivi, quanquàm in posteriori qualitate, votum Comitiale ipsis fuerit sub controversiam vocatum.

Hodiè planè est extra dubium Urbes Imperiales esse Status Imperii, & gaudere jure voti in Comitiis, etiam decisivi, quibus præviis, & si quæstio sit in specie, de Cæsaris Ratione Status respectu urbium, præter illa, quæ deducta sunt, hoc dico omnium esse potissimum, ut Cæsar

illarum conſervet immedietatem, & niſi prægnantiſſimæ adſint cauſæ, haud permittat eam labi, deinde ut omnium minimè conniveat, ſi qua fortè urbs, Imperatori haud ut decet ſe obſequioſam præſtaret, ſeu etiam ad exteros Principes animis declinare videretur: nam hæc res, ſi dato caſu conniveretur, ab aliis in malum trahitur exemplum, & ita Imperator habet Urbes ſibi minùs obſequioſas, nec tutò collimare poteſt ad ſcopum illum immedietatis urbium, quem dixi verò ſimiliter antiquitùs fuiſſe obſervatum.

CAPUT VIII.

De Ratione Status Ordinum reſpectu Imperatoris.

UT Imperatori in hac Reipublicæ facie ſua ſunt, & depoſcuntur arcana Status, quemadmodùm ſc. inter tot diverſos Electores, Principes, Comites ac Civitates Imperii ubiq́ue agat, & ſic ſe gerat, ne Majeſtatem ſuam, aut culmen Auguſtale lædat, ſed condecenter tueatur, ita viciſſim habent Ordines Imperii, quod tùm reſpectu Imperatoris, tùm reſpectu

ſpectu ſui invicem prudenter obſervare debeant, niſi de illo gradu dignitatis vel libertatis, in qua ſunt conſtituti, quidquam velint remittere.

His igitur ita præmiſſis primò commune eſt omnibus Statibus reſpectu Imperatoris, ut electum Cæſarem, quantocyus legibus obſtringant, ut vocant Capitulationum, quibus ejus Majeſtas ita contemperata appareat, ne Status ipſi à Republica videantur excluſi, ſed ejus reipsâ maneant participes, & hanc quidem rem Ordines Imperii jam per multos annos vigilantiſſimè obſervârunt, ita ut hodiè nemo in Imperatorem Romano Germanicum eligatur, niſi certis legibus ſeu pactis Capitulationum, ſeſe obliget.

Cæterùm non habetur una conſtans Capitulationis formula, cui præcisé in hac materiâ inhærendum ſit, ſed extant variorum Imperatorum variæ ut alia v.g. ſit Caroli V. alia Rudolphi, & ſic deinceps; placuit ergò perpetuã aliquam, quæ in vim legis fundamentalis Imperii valitura ſit, communibus ſuffragiis concipi, atq; decerni; inſertũ fuit idipſum negotiũ

Instrumento Pacis & ad proxima Comitia remissum; subsecutis his Anno 1654. iterum facta fuit ad prorogata Comitia nova remissio, durantibus adhuc dū Comitiis, Principes nonnulli, huic rei constanter admodum institerunt, & id etiam evicerunt, ut alternis vicibus materiæ perpetuæ Capitulationis Cæsareæ & defensionis Imperii contra Turcam tractarentur, sed nondum hinc emersit negotii illius perfectio. An autem bonum sit, habere perpetuam Capitulationem, & de quibus, infra dicendum erit, ubi irractatio ejus rei occurret in speciali aliquo Capite, nunc tamen illud asseritur, debere sibi Status Imperii certis prospicere, de Regimine Cæsareo legibus, sive formula earundem detur aliqua constans & perpetua, sive pro circumstantiis & singulis Electionum vicibus, proponendæ sint variæ; nam hoc remedio efficietur, ne Cæsari competat de jure Imperium planè Monarchicum, sed ut is Status, si quidem jus respicias, non factum, maneat, quatenus constitutionibus Imperii congruit.

Verùm

Verùm cùm jus ex facto oriri & allegari ſoleat, non ſufficit, prout & ſupra innui; Si Status Imperii, in negotio Capitulationis, abundè ſibi, dignitati ſuæ, ac Territoriis proſpicerent, non autem curarent, quomodocunque etiam ſe poſt haberent Imperatoriæ actiones. Proinde ſecundo loco obſervari debebit, ut Status Imperii, ſi judicarent quidquam fieri, non ad illam normam Capitulationis, Cæſaream Majeſtatem deſuper humilimè compellarent, communi nomine, aut ſaltem nomine unius vel alterius Circuli; conſiderandum eſt enim, quòd Imperator & Status Imperii, ſe habeant ut duo contrahentes, quorum unus alterius tacitam & continuam patientiam, progreſſu temporis allegare poteſt pro jure, jam quia Imperator certis legibus ad Imperium pervenit, ipſe ſentiet, Ordines non ligari, ut Majeſtati ſuæ ac Regimini, aliter pareant, quàm eo modo, ac ratione, quâ prius in ipſum, illud detulerant; non quidem fundamentum Status, ſed ſpes tamen in eo collocari poteſt, bonum & Magnanimum Imperatorem has tales gravami-

num expoſitiones, ac deſideria Ordinum, literis hujusmodi expreſſa, haud pro nihilo habiturum, ſed daturum operam, ne deinceps querelæ iſtæ iterum audiantur, ac tractu etiam temporis erumpant in nervum Reipublicæ.

Aſt verò iſta omnia loquor ex præſuppoſito ſtante ſc. hâc eâdem facie ac conditione Publicæ adminiſtrationis, ſed ſi haberemus conſilium Status, cujus neceſſitas & qualitas, inferiùs peculiari Capite veniet oſtendenda, jam illud pro re nata ſeſe poſſet, ac deberet interponere, apud milites & ſubditos Imperii, ne perviam facti, aut Cæſari ſua Majeſtas, vel Statibus, ipſorũ privilegia læderentur, ſed ut omnia ſecundùm tenorem Conſtitutionum Imperii, quæ alioquin, ſi reipsâ non obſerventur, vanæ utiqúe ſunt, placito & amicabili modo peragantur. Sed perſequor id, unde digreſſus ſum, nimirum reſpectu Imperatoris, ne Regimen introducatur planè Monarchicum, has eſſe vias Statibus Imperii obſervandas generatim; quod verò in ſpecie Electores attinet, videntur eſſe reciprocæ duæ rationes Status, primò ut Imperatorem colant præ cæteris, &

ris & quantum fieri poteſt cunctis nervis ſuis eò colliment, ut Imperator hanc de ipſis fidem & opinionem foveat, quòd non alia familia vel perſona erga ipſum dexteriùs ſit affecta, tunc enim viciſſim cauſam habet Imperator conſervandi penes illum gradum dignitatis Electores, nimirum cum ſua interſit quàm maximè, coli ac diligi à Septemviris Imperii, tanquam Ordinum potiſſimis, quam rem cautè obſervârunt Auguſtus & Chriſtianus II. Saxoniæ Duces, dum ad ſuum Statum conſervandum Imperatoris gratiam, & præcipuam in ſe benevolentiam, quòd maximè apparerent Culminis Imperialis juriumque ejus defenſores eſſe, actionibus ſuis, ſcitè ſoliti fuerunt ambire.

Verùm hoc erga Cæſarem ſtudium, debet ex alio capite contemperari gravitate, ac generoſitate Electorum, per quam ipſi Electores, ſi quid fieret contra gradum ſuæ dignitatis, huic animosè obniterentur, & apud omnes, maximè apud ipſum Imperatorem talem de ſe promitterent opinionem, ut difficilè habeatur, ipſos gradu dignitatis dejici, aut ſine vindicatione pejorem

patialterationem; quâ in materia exemplo nobis esse potest, quem supra citavi, Saxoniæ Elector Mauritius; cum enim Carolus V. Imperator, tot bella feliciter perfecisset, noluit tamen pro se cognitam Mauritii virtutem contra se, & in discrimen suum experiri; potuisset fortè Principum, qui cum Mauritio Electore arma sociaturi erant, superare vires, sed difficile tamen, & cum periculo conjunctum fore ratus est, si his ipsis niteretur Princeps, ea peritia militari, prudentia, rerumque agendarum industria, qua tum omnibus innotuerat Dux Mauritius, ideoque etiam is ipse felicem successum expertus est, ut posset Electoratum quamvis novum lineæ suæ porrò conservare, & concessa ac restabilitiâ pace, quod liberis orbus esset, tandem ad fratrem Augustum transmittere. In his igitur duobus consistere videtur Ratio Status Electorum, ut videantur Imperatorem quàm maximo amore complecti, & etiam habeantur propter actiones suas viri illo gradu sublimitatis quàm maximè condigni, tertiũ dici posset, quod ad Electores non respectu Impera-

peratoris, ſed potiùs reſpectu Ordinum, aliorum pertinet, & in eo arcano conſiſtere videtur, ut nec comprobent Electores, nec ſe expreſsè opponant, ſed tacitè ſaltem conſentiant illis actionibus, quibus authoritas & potentia cæterorum Statuum, ne nimia ſit in Publicis, aliquantum cohibetur; Unde non facilè audire licet, ipſos Electores multùm reniſos fuiſſe Imperatori, creaturo aliquem in Principem Imperii, quod ſc. hæc res per conſequentiam quandam, Electorali Curiæ magis cedat in emolumentum, dum quò plura ſunt membra Collegii Principum, eò ſingulis Principibus, pluris videantur valere, in Publicis.

Ratio autem hujus rei in univerſum adhuc magis & ſpecialius fortè concernit Electores Seculares, quandoquidem his ipſis omnium minimè expedit, ſi plures ſint familiæ tantâ poteſtate, vel autoritate, ut ipſos Electores vel æquare, vel excedere dixeris, nam tunc ſortituri ſunt cum tempore æmulos Electoratuum, qui illum ipſum honorem ſingulari virtute & meritis videantur ambire, neque enim hic

hic pariter se res habet, ut in Ecclesiasticis Electoratibus, ad quos, cùm continua vigeat Electio, variis familiis potest esse via atque spes, sed obtinente locum successione, omnes alii Principes ac familiæ, quantisper ea, penes quam illud fastigium est, masculam posteritatem habet, ab Electoratibus Secularibus de jure excluduntur; unde progressu temporis ad eos sibi solent viam sternere, potentiâ, virtute ac meritis, sicut fecerunt v. gr. Fridericus Bellicosus, primus hujus familiæ Saxonicę Elector & Fridericus Quintus Burggravius Noriberg., à quo descendunt moderni Electores Brandenburgici, quorum sanè uterque ob belli merita à Sigismundo Imperatore, ad Electoratum illum fuit evectus; Pari ratione ex gratiâ, Ferdinandi II. & Ferdinandi III. Imperatorum, Maximilianus Bavariæ Dux, propter præstitam belli assistentiam, Octavum Electoratum obtinuit, & ad Lineam Guilelmianam, primus transtulit; Quâ in re non possum non incidenter quærere, utrum verum sit, quod nonnemo scribit, jam antiquitùs & ferè ante trecentos circiter

citer annos, modernæ Ducum Bavariæ h. e. Guilelmianæ Liueæ competiiſſe Electoratum Palatinatus, illumque adeò quaſi jure poſtliminii ex Inſtrum. Pacis ad eam rediiſſe? Sed hæc ſententia procul dubio eſt contra fidem Hiſtoricam, ex quâ patet, Electores Palatinos, continuâ ſerie fuiſſe, è Linea Rudolphinâ, tanquam Seniori, cui ſecundùm LL. Imperii meritò id debebatur; unde ſi fuiſſet aliquando Electoratus Palatinus, penes illam Lineam Guilelmianam, contigiſſet de facto, quia quousque ex poſteritate Senioris Lineæ, maſcula ſoboles ſupereſt, prohibentur LL. Imperii Secundo-geniti aut illorum poſteritas venire ad Electoratum; quin dicendum foret, iſtâ ſententiâ poſitâ, quonam tempore, cùm inde à Ruperto Imperatore & ante conſtet, penes Rudolphinos, extitiſſe Electoratum Palatinum, quo inquam tempore, ad eosdem redierit, penes utramque enim Lineam fuiſſe ſimul non poteſt? Cùm igitur ex probatis hiſtoriis hæc & ſimilia oſtendi nequeant, ſequitur, quòd prædicta Linea Bavarica, nec unquam retro fuerit Electoratus Palatini compos.

Res

Res autem in veritate sic se habet; Circa tempora Ludovici Quinti Imperatoris, qui fuerat Bavariæ Dux, morte Woldemari ultimi, apertus erat Imperio, Marchionatus Brandenburgicus; adeoq; Imperator, vacantem illum, cum annexâ dignitate Electorali, concessit in feudum Ludovico Romano filio suo, hic igitur fuit Elector; dicunt etiam aliqui, ipsum Ludovicum Imperatorem, ejusque filium alterum Ludovicum fuisse Electores, quorum prius tamen, cùm jam tempore Imperii Ludovici Quinti, contigerit apertura Electoratus, difficilius est creditu; Sed seu unus seu plures fuerint Electores ex hac lineâ, sanè non fuerunt Electores Palatini sed Brandenburgici, quàm distinctionem fortassis ille autor non attendit, eoque est deceptus. Verùm redeo ad institutum, & satis apparere puto ex his, quæ dicta sunt, quemadmodùm Ratio Status in specie ad Electoralem dignitatem veniat, applicanda, quævé media ad illam conservandam maximè faciant.

Porrò quod ad cæteros Principes attinet, eadem quoque, quæ de captandâ Impe-

Imperatoris benevolentiâ, tùm etiam Electorali gravitate, prudentiâ ac virtutibus paulò ante sunt tradita, observare quoque Principibus conveniet; Illud autem in specie adjiciendum puto, Principes Imperii, non debere facilè pati, quamvis subconsuetis istis clausulis reservatoriis, ut alii cooptentur in suum numerum, ne illorum autoritas, ac consideratio in Publicis, propter pluralitatem sensim deprimatur. In quem finem expediet, imò optimum remedium erit, Principes' desiderare, ut certo numeto definiatùr ipsorum classis, idque LL. aliquâ Publicâ Fundamentali, ne deinceps alios ita assumere, obvium sit. Quâ quidem in re sequerentur exemplum illius Constitutionis, quam tempore Ottonis III. Imperatoris sancitam fuisse ferunt, Tenor ejus' hic perhibetur, ut essent quatuor Duces, nempe Brunovicensis, Lotharingus, Suevus, & Bavarus, quatuor item Marchiones, ut Misnicus, Badensis, Moravus & Brandenburgicus Quatuor Landgravii, quatuor Comites, quatuor Urbes, villæ &c.

Licet

Licet verò sint, qui negent, hujusmodi constitutionem, tempore illo Ottonis III. latam fuisse, eaque etiam res, idcircò dubia videatur, quod Brunovicenses Duces sequiori tempore demùm, nempe à Friderico Primo Imperatore qui terras illas, vel jam tempore proscriptionis Henrici Leonis reliquit, vel certè pòst concessit, sub isto titulo creati legantur; tamen haberent Principes Imperii receptiorem & communiorem pro se sententiam, quòd nempe tempore, quo dixi, talis Sanctio Imperii placuerit; quin si vel maximè tempus dubium reputetur, res tamen ipsa, latam nimirùm esse antiquitùs eam Constitutionem, haud ita foret dubia, sed cum tradente Limnæo mentio fiat, der Vier Grafen des Reichs ꝛc. haud leve veritatis indicium ac præsumptionem pro se haberet. Possent sanè Principes Imperii, etiamsi nulla hujusmodi constitutio, unquam verè obtinuisset, nihilosecius proponere, ut sua ipsorum h.e. principalis Imperii dignitas, certo concluderetur numero, quem deinde sub quibusvis etiam clausulis, ut Electoralis

lis Collegii numerum, nullatenus liceat transilire, veruntamen est aliquid in his & similibus desideriis allegare pro se suffragantis antiquitatis exempla.

Sed progredior nunc ad Urbes Imperiales; hæ cumprimis etiam pro Ratione Status observare debent, ne Imperatorem offendant, sed ut ejus gratiam, quatenus fieri potest, sibi concilient, præsidium enim in Principibus, vel aliis Ordinibus, ob causam suprà expositam non æquè ponere possunt. Oportet igitur, eas quærere, Cæsaream benevolentiam, per quam deinde, seu ab exteris seu à vicinis, illarum immedietas & jura periclitentur, satis queant defendi. Verùm quia tempora variant & ex diversis causis etiam Imperiale Patrocinium, quandoque deficere potest, ea propter rectè facient Urbes, quin propè illis necessarium videtur, ut se in fœdera defensiva invicem obligent; Certè Wenceslai Imperatoris tempore, fœdera Urbium, de causis Politicis loquendo, eas potissimùm conservârunt, ne bello cum Principibus ac Comitibus gesto planè succubuerint,

in eorumvé pervenerint poteſtatem. Notum etiam eſt, quantæ conſiderationis fuerit, fœdus illud Hanſeaticum, quod originis ratione, præſertim ex Urbibus conſtitit, quousque enim fœdus illud incolume extiterat, etiam Urbes omniaque ejus membra, habuerunt adverſus quoscunque hoſtes, plenam ſecuritatem, ſed dum Urbes ſunt invicem ſeparatæ, & ſingulæ ſemet propugnare volunt, ſingulis tandem accidit, quod omnes metuunt; ideoque hæc, ut dixi, eſt cauſa impulſiva, & neceſſitas fœderis inter Urbes tantò melioris, quò poſſit eſſet fierivé univerſalius.

Profectò ſic conjunctæ Urbes, non tantùm ſe tutiores reddent, ab aliorum inſultibus, verùm etiam in Comitiis ac Publicis conventibus, plus valituras, veroſimile eſt; inprimis addo ſimultaneam cum ſuperioribus duobus Collegiis re- & correlationem, ad quam mirum non eſt anniti Urbes, quod alioquin tantùm dicis gratiâ, ac nominetenùs, votum ſuum deciſivum, ex Inſtrum. Pacis conceſſum & antè exercitum videantur habere, quia

quia si dissenãt, it difficulter aliquid obtinebũt, si autẽ oportet eas præcisè idẽ illud statuere, in quo duo superiora Collegia, se jam conformârunt, id quod in consequentiam necesse est fieri; ubi igitur manet libertas voti decisivi? sed hæc de Ratione Status tum Cæsareâ, tum Ordinum Imperii, differui hactenùs ex præsuppositio, si nimirùm modus administrandi præsens, maneret; sin verò quæ inferiùs, de Consilio Status, Publico & perpetuo milite ærario &c. tracto, ut possumus, in Republica haberemus, multis credo tunc non fore opus, secundùm hanc itaque discretionem, hæc & illa conveniens erit accipere.

CAPUT IX.

Quod Ratio Status in Imperio Romano Germanico, vix possit poni in concordia Ordinum, & quamobrem?

PRopter istas itaque causas, quas recensui, difficulter admodùm in Imperio Romano moderno, sperari potest inter-

ipsos Status firma ac stabilis unio, & idcircò nec in ea ponere licet fulcrum Publicæ salutis, singuli enim suum magis spectant commodum, & ad id collimant, quemaddùm Provinciis ipsorum ac Territoriis, optimè prospiciant, de iis verò, quæ ad Imperium spectant, ut quæratur similis scopus, profectò fieri videtur hoc ipsum gradu appetitus longè remissiori.

Si quis verò exposcat ejus rei indaginem intimiorem, causa est in promptu: nam vident Ordines Germanici, se nihil aut certè parùm præsidii ponere posse in Republica secundùm illum modum, qui nunc est, nec inde ditionibus suis facilè paratum iri, securitatem & requiem, ideoque confugere solent ad fœdera, partim inter se partim cum exteris, in quibus paratiora sint auxilia, vim injustam propulsantia, quàm eadem colligi vel contrahi possunt, ope dispositionum Circularium; profectò igitur Germania moderna, in illo tertio comparationis, non est absimilis, pervetustis Græciæ Civitatibus, quæ in fœderibus modò & associatione armorum, spem habuerunt salutis, & contra Barbaros

baros ſuam libertatem diu defenderunt ſtrenuè, poſtquàm verò, quemadmodùm intra ſe conſervarent concordiam, haud ſatis proſpexerunt, peſſum iverunt omnia!

Sic itaque bonum quidem eſt Germaniæ, imò neceſſarium, ſocia habere ſuorum arma, ad retundendos hoſtium impetus, verùm in illâ ſocietate, miſſis in eventum aliis auxiliis, præcisè confidere hunc aut illum Principem, ex cauſis notiſſimis eſt omninò difficilè, quinimò vix ullius unquam temporis mentio fit in hiſtoriis, quo non inter Ordines Imperii, interceſſerint variæ ſimulates, cumprimis, poſtquam officia Ducum & Comitum facta ſunt hæreditaria, ut ita Ducatus & Comitatus ac cætera Imperii Feuda Secularia, deferrentur jure ſucceſſionis, & poſtquàm præterea in bonis vel Feudis Eccleſiaſticis, electio tranſiit ad Capitula; inde enim vel aperta bella vel Pacis ſaltem tempore, aut ad Imperatorem, aut alium Regem exterum, diverſimodè inclinati fuerunt Status; Sic Rudolphus Sueviæ Dux, Magnus Saxoniæ Princeps,

Bertholdus Carinthius, Adelbertus, Episcopus Herbipolensis, & alii contra Henricum IV. Imperatorem, pro Gregorio VII. Pontifice, alii verò pro Imperatore adversus Pontificem arma tulerunt; similiter Henricus V. Imperator, cum Patre deinde cum Saxoniæ Ducibus, Sigefrido & Lothario, pòst Imperatore facto, ancipiti Marte decertavit; ita Fridericum Barbarossam, Arnoldi Archiepiscopi Mogunti, & Hermanni Palatini, Electorum factiones, ac Mediolanensium, aliquoties iteratæ defectiones exercuerunt. Sic Otto IV. Fridericus, II. Rudolphus I. & alii Imperatores, divisis variè Ordinibus, turbulenta Imperii sui tempore habuerunt.

Post eam ætatem & cum Aquila Imperatoria his, quæ reliqua fuerant penitiùs & ad extremum usque gradum deplumata esset, tantò magis succesſerunt alia atque alia bella, inter quæ notum est Carolum V. Imperatorem Smalkaldico, Ferdinandum verò II. & III. proximo bello Germanico vel pro vel contra se belligerantes vidisse, diversos Imperii Ordines

dines, omninoque & prædictis antiquiora & moderna etiam exempla testantur, Status Imperii seu Pacis seu belli temporibus, vix unquam simpliciter cohæsisse, aut ad Reipubl. commodum uno pariter spiritu, sicut ad suas ditiones conservandas, tractos fuisse, ac ut hoc ipsum aliquando contigerit, certè extitisset de rariſſimis accidentibus. Itaque experimur vaticinium illud Danielis, quo Imperii nostri modernum Statum ex membris partim ferreis, partim fictilibus, in firmo nexu colligatum prævidit, reipsâ veriſſimum esse. Causa autem Politica jam fuit adducta, quod sc. quilibet Status Imperii, in eo gradu dignitatis sibi conveniente conservare se vix queat, Publico munimine, unde tantum satagit, Provincias suas vel Territoria ad Statum efflorescentem adducere, & in eo se constabilire; apud veteres verò, ubi Præfecturæ Imperii nondum fuerunt hæreditariæ, res & causa isthæc cessavit; quoniam enim Imperator præfecit, Provinciis Imperii, quem, quamdiu & quousque voluit, satis habuerunt Ordines Regni, dum se quisq; ex illis erga Regẽ bene mereretur, quam-

vis interdum per fortuitos casus, terræ administrationi commissæ, non admodum forent, salvæ ac felices.

Et omninò ita est, quando sub manu unius gubernatur Imperium aliquod, quòd tunc partes ejus ac Provinciæ, illorumque Rectores magis sese adjuvent, quisque enim meretur iram Regis, non idcircò tantùm, si malè administrat Territorium vel Spartam demandatam, sed inde quoque, si cæteris Regni partibus, emergente casu, quantum potest, non succurrit; quod profectò aliter, se habet in præsenti Germaniæ facie, ubi vigore Constitutionum Imperii tenetur unus Circulus alteri assistere, & communibus viribus, imminentem violentiam reprimere; Cæterùm quid culpæ est, si omittatur? aut probabile reputari potest, in alienis rebus defendendis, nisi forsan vicinitas periculi urgeat, ut propriis quoq; metui debeat, tantum fore studii ac solertiæ, quantum in suis? Minimè verò. In summâ sic comparatum est in humanis universè, ut illud magis ametur aut curæ habeatur ab uno quolibet, à quo idem

auctoritatem dignitatem aut potentiam acquirit, vel saltem à quo ejus conditio multùm dependet & juvatur, quamobrẽ etiam Veteres Romani Reipublicæ suæ tantam navarunt operam, & tam impensè illam exoſculati sunt, ut pro ejusdem salute & incolumitate, quosvis labores perferre, summa & propè infinita pericula subire, imò mortem sæpius oppetere, haud sint aversati, videlicet, quoniam ab illâ suâ Republicâ honores etiam, potentiam, opes, & nulla non fortunæ bona accipere consueverant, virtus certè civium, quamvis sibi ipsi summum sit præmium, vult tamen externo etiam decore ac beneficiis extimulari, si secus fit, Publica salus negligitur & privatis commodis tantò enixiùs studetur.

Verùm ne quis existimet à me παράδοξον istud astrui, quòd Status Imperii non debeant pro viribus mutuam fovere concordiam, sed potiùs operæ pretium fore, ut continuis exacerbationibus invicem sint abalienati, repetendum est id, quod jam in limine hujus Capitis fuit præmonitum, videlicet, dum non licet pervenire quò

re quò volumus, perveniamus saltem, quò possumus, hoc est, quoniam pro hoc rerum Statu, de quo omninò loqui debemus, prout existit, difficilimè ad perfectam & intimam concordiam, & animorum conjunctionem aspirare datur, eò tantùm libeat Ordinibus Imperii collimare, ut seipsos non aggrediantur armis, sed potiùs nullo non benevolentiæ genere sese invicem devinciant. Et in eo sensu accepto, dum vulgò suadetur Ordinibus Imperii, ut concordiam inter sese colant, & communes hostes Germaniæ junctis viribus repellant, id quod omninò bonum apparet; at verò diversum longè est, si quis putet, per illud ipsum satis Reipublicæ consuli, etenim etiam stante hâc unione & concordiâ, nihilosecius quilibet sibi magis quàm socio benè esse vult, nec simili per omnia cura & vigilantia suo Territorio prospicit, ac Ditioni sociali. Nam quis crederet, si etiam perpetua pax esset inter Imperii Ordines Capitisque cum suis membris bellissima convenientia, ob eam causam, emergente casu, ut sanè plurimi emergunt, huic amicitiæ, priva-

privatum hujus vel illius Provinciæ vel Territorii commodum nec quicquam, prævaliturum, aut v. g. curaturum æquè Ducem Bavariæ, ut Saxones valeant perinde ut Bavariæ subditi:

Profectò autem hanc rem non miror, ac ita eadem se habet, ut paulò antedixi de Republica Germaniæ modernâ, quoniam interdum amicitia quidem hujus vel illius Regis aut Principis, plus videtur apud nos hodiè posse, ope Publicâ, ceu collimabat huc intentio Episcopi Monasterienſis per Legatum in præsentibus Comitiis expoſita, ubi pluribus conquerebatur, se Publico nomine non defensum adversus Holandorũ injurias, & ob id tandem ad arma provocatum fuisse. Propterea quę magis operam dedit, ut Electorem Sereniſſimum Brandenburgicum in suas partes pertraheret, quàm ut in Circulari assistentiâ momentum aliquod rerum gerendarum ponere vellet; sic itaq; ut dixi, per Germanicos Ordines solet peti societas, veruntamen ubi ad manus ventum est, & fortassis socius aliquis periculo simul implicatur alter tutus esse nequit aut certè non facit Politicè, si firmam

mam ſpem in eo ponat, quòd ſocius pericula amici vel damna, ſaluti ſuarum rerum ſit antelaturus, nec quamcunque occaſionem ſibi ſeorſim conſulendi arrepturus, uti profectò & vetera & recentiora exempla edocere poſſunt.

In ſummâ, quæ dicta ſunt, breviter complectar; in Publicis negotiis difficile eſt in hâc rerum facie, nullos planè ſubeſſe privati commodi reſpectus, unde Magni Germaniæ Principes cæterique Status, non poſſunt hinc dignitatis ſuæ ac conditionis conſervandæ, præclarum momentum quærere, & propterea nec mirum videri debet, ſi non ita impensè amant Rempublicam, ut fecerunt veteres, ſed in ſtudia Exterorum Regum ac Rerumpublicarum diverſi admodùm diſtrahuntur, propter quæ, Rationem Status, non puto poſſe poni in concordiâ Ordinum Imperii, ſed neceſſariò adhuc firmiores oportebit adhibere artes, ſi Germania noſtra, adhuc Germania eſſe debeat, & ad illum Statum perduci, quo Imperator & Imperii Ordines ſalvo cujuſq; faſtigio, gradu ac dignitate, hiſce ſuis viribus iterum ſint, fiant, & maneant Exteris formidoloſi.

CAPUT

CAPUT X.

Quòd & quamobrem impugnatio domus Austriacæ Imperio sit perniciosissima.

IN Politicis seu Publicis quæstionibus à nonnullis eò deventum est hodiè, ut vix ampliùs attendi soleat, quid suadeat honestas, sed dummodò aliquid utilitatis, pro affectu dicentis speciẽ præbet, excluso aut post habito decoro, mox fit Ratio Status; Sin verò etiam hîc est honesti, ut omninò est, habenda ratio, multæ profectò ejusmodi controversiæ erunt decisu faciles; inter quas puto etiam hanc versari, cùm quæritur, sitné pro Ratione Status Germaniæ, invasio vel extinctio domus Austriacæ? nam si hoc ipsum normâ honestatis & æquitatis metiri volumus, nemo ignorat, familiam Archiducum Austriæ, esse non tantùm inter præcipuos Imperii Status, sed indeusque ab Alberti Secundi temporibus ultra ducentos annos continuâ serie Aquilas Imperii tenuisse. Jam si non licet, ut quidem

dem ſanior Politicorum habet doctrina, in Tyranni necem conſpirare, poſtquam Tyrannidi ejus tacitè eſt accommodatus conſenſus, quantò minùs adverſus Cæſares noſtros, qui legitimè ſunt electi Reges, totamque familiam Auſtriacam, quæ eosdem progenuit, & inter principaliora Imperii membra eminet, arma arripere juſtum erit, ac licitum?

Verùm quia hoc ipſum, niſi quem, fortè ſequior affectus in transverſum agit, nemini poteſt eſſe dubium, majus erit operæ pretiũ, oſtendere, quòd ſi vel ſeponere fas & æquũ colliberet, ac nefarios ad auſus ejusmodi proſilire, quòd in quã totum tamen Imperiũ furiali quâdã rabie, in ſe converſum, victis Auſtriacis pedetentim in exterorum, vincentibus verò in ipſorum poteſtatem ſenſim ſit conceſſurum; nec enim diffitetur ipſe *Hippol. Tract. illo de Rat. Stat. p. 3. c. 2.* ubi ex profeſſo periculoſiſſimum illud extinguendi Auſtriacos conſilium ſuggerit, fore, ut Auſtriaca familia, quippe quòd potentiſſima ſit, ad extremum usque propugnando Majeſtatem, obnitatur ac reſiſtat, quapropter

propter gradu dejici vel extingui ſine cruento bello utiq́ue non poſſet; jam verò omnium ore ac confeſſione, civilia bella nocent Reipublicæ peſtilentiſſimæ inſtar luis; nec opus in priſcas hiſtorias ea propter excurrere, recentiſſimum ac perſpicuum maximè eſt, nuperi Germanici belli exemplum, quod adhuc tricennalis illius pervaſtationis rudera poſterorum oculis exhibere poteſt, igitur ſi denuò bellorum Furiis novas flammas ſubminiſtrare volúpe eſſet, annon vulnera, ne nunc quidem ſatis reſtituta in Publicam perniciem peſſimè recrudeſcerent?

Fieret, certè ex hac re, ut Status Imperii magnâ ex parte imminuerentur, jam cùm uti proximè oſtenſum, non ſit intima illorum cohærentia, ſed quilibet ſuo, quàm vicini alteriusvé Territorio, per Rationem Status melius cupiat, ex altero autem capite, Auſtria ſine Externis auxiliis vinci non poſſet, facilè profectò redderetur externis, ſupprimere reliquã Germaniam & ad ſe trahere Imperii decus, dum diſcrepantes à ſe invicem Ordines, civilibus bellis debilitati eſſent atq́ue exhauſti; Ob eandem enim cauſam,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [205] - 191
PUBLIC DOMAIN

cauſam, tot Regna, totque Respublicæ perierunt, quòd exteros in ſubſidia bellorum civilium vocaverint, ac deterrima ſunt illa auxilia, à quibus poſt victoriam plus metuendũ eſt quàm antea ab hoſte; experti ſunt hoc ipsũ antiquiſſimis temporibus Græci, qui cùm mutuis belli Peleponneſiaci armis, ſemet confeciſſent, ac modò Spartani, Athenienſes, modò Thebani Spartanos repreſſiſſent, partimque Philippum Macedoniæ Regem, ad privata commoda attraxiſſent, nihil aliud inde reportarunt, quàm, ut in externam ejusdem Regis potentiam, ſenſim concederent; modernâ hâc ætate, ſi idem conarentur Status oppugnando Auſtriacos & illorum ſocios, quis non videt, Lucium Titium Regem, qui ſimiliter velut è ſpeculâ quâdam ſingulorum libertati retia ponit, Germaniæ fore Philippum?

Agedum verò conſideremus paulò attentiùs, quemadmodùm ſe habitura ſint Auſtriaca illa bella; Confœderatos & Amicos, Auſtria multos novit intra Imperium & extra; intra Imperium Electores, Saxonem, Brandenburgicum & Bavarum,

rum, alios desuper Electores Imperii ac Principes; extra, arctissimè junctus est Hispaniæ Rex, Pontifex Romanus, & noviter Angliæ Rex, ac plures, qui eidem benè cupiunt; hi omnes aut pleriqúe saltem ad arma potiùs convolarent, quàm domum Austriacam stirpitùs exscindi, paterentur; etsi verò etiam pro alterâ parte, magna belligerantium Regnorum potentia, conjunctis eorũ sociis, contrahi posset, tamen ad summum res posita videretur in æquilibrio, & nuperum quidem Germaniæ bellum, Austriacos vinci posse docuit, devictos verò nondum ostendit; itaqúe turbulentiorem adhuc Patriæ nostræ Statum, expectet, suadeatqúe necessum est, quicunqúe Archiducum Austriæ familiam, non affligere modò, sed planè conterere atqúe eradicare, in rem Germaniæ processurum existimat.

Quòd si tot laboribus atqúe periculis succederet, nefariæ victoriæ præmium, quid vel tandem futurum esset? Nempe verè dicere liceret de Exterorum Confœderatis, quod aliquando objectum est Athenienſium sociis; Athenienses bel-

lum gessisse pro Imperio Græciæ, ipsos verò, ut priorem conditionem, mutarent in minùs tolerabilem, ignorat enim extraneum jugum, quisquis nostrorum Principum prærogativam, ab aliis nescit distinguere; in Germaniâ Proceres eousque vivunt liberè, ut ipse Carolus Quintus sese Regibus imperare fuerit professus, & sanè, uti paulò ante ostensum, ipsaque temporis immemorialis praxi, comprobatissimum est, Imperatores nostri Romano-Germanici, non Monarchicè imperant, sed *LL. A. B.* & Capitulationum repagulis constringuntur, cunctaque Comitiali Ordinum consensu in Publicis negotiis peragere debent; ac posito, quòd hoc ipsum ceu quidem, ut ostendat *part. 2. Dissert. de Rat. Stat. per tot. & etiamp. 3. c. 2.* valdè operosus est *Hippol. à Lap.* non usq; quaque observetur, tamen Status Imperii adhuc hodiè obniti possunt, ac suam libertatem defendere;

Econtrà v. g. in Galliâ, Rex jure dicit Principibus suis ac Proceribus; Ego sum Rex, sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas, adeoque Galli non habent

jus

jus dissentiendi à Rege nec vera & libera Comitia. Apud Suecos quidem aliquantò restrictior esse videtur Regia potestas, ac Ordinum consensui in multis alligata, reverà tamen non habent Sueci Status Regni, potestate ac fastigio nostris exæquandos, adde quod legibus ac institutis regantur, Patriæ nostræ non modò diversis, sed sæpe contrariis, ob eamq; causam non quadrarent Germaniæ Statibus, nec relinquerentur, qui Ducali vel Comitivâ dignitate verè perfruerentur, si collisis contra domum Austriacam, ejusque socios, cæteris Ordinibus, Sueci Gallivé aut quæcunque aliæ nationes superiores evaderent; Ut enim videmus jura certarũ partium Imperii, vel provinciarum, vigore Instrum. Pacis, aut aliunde, ad externas, coronas translata non communicativè, sed privativè, h. e. ita, ut non simul earundem, alii existant Duces vel Comites seorsim, sic si totum Imperium, funestis civilibus bellis discissum, subigeretur, finem profectò habitura esset, sublimis illa & propè Majestatica, Ordinum nostratium celsitudo,

Quòd ſi quis nullis rerum geſtarum nec veterum, nec recentium exemplis moveatur, ſed de Exteris Germaniâ in tali rerum facie poſitâ, nihiloſeciùs benè ſperet, nec credat fore, ut conſociatis Imperii Ordinibus, damni quippiam inferre, vel totam Rempublicam noſtram ad ſe rapere animum inducant, diffiteri tamen non poterit, ſaltem Auſtriacas poſſeſſiones, ac Confœderatorum Auſtriæ Statuum Territoria, ceſſura in præmium victoriæ; nec enim credendum eſt *Hippol. à Lap.* ſuadenti, debellatis Auſtriacis illorumque ſociis, bona eorundem in fiſcum redigenda, quia exteri parùm curant fiſcum noſtrum, ſed ſibi retinent bello parta; velut noſtrâ hac ætate, Gallis, nihil minùs cordi eſt, quàm fiſco Germaniæ, reſtituere Briſacum, aliavé, quæ adhuc dum tenent, occupata; planè etiam Suecos, veroſimile eſt, vel difficilimum bellum potiùs ſuſcepturos, quàm ut Pomeraniam, Epiſcopatum Bremenſem aliavé conceſſa redderent. Quoniam igitur nupero bello Germanico, ubi neutra pars ad extremum devicta, ſed utrinque

adhuc

adhuc apti ſuperfuerunt exercitus, Sueci, Galliſque unicè eò laborârunt, quemadmodùm occupata bello quisque ſibi retinere poſſet, non verò quemadmodùm, conſociatis Imperii Ordinibus, inde quippiam communicaretur, quid putamus fore, ſi Respublica Romano-Germanica, ad minimum dimidiâ ſui parte, Archiducibus nimirum Auſtriæ, unitisque Imperii membris, eſſet detruncatum? an tunc majorem promittimus, erga illos Status Germaniæ, qui juncti exteris vincendo ſimul vires imminuiſſent, benevolentiam?

Non igitur ad fiſcum Germanicum redundarent, Auſtriacæ ac ſociales poſſeſſiones, ſed ad commodum & rapinam externam, & ut verbo dicam, acceſſuræ eſſent alienæ potentiæ augmentum. Hinc ſi vel maximè alias nationes adeò abſtinentes concipias, ne aperta arma contra ſocios ante Imperii Ordines moverint, eosque ſibi ſubjicere tentaverint, ſed ſuis legibus vivere permiſerint, tamen res Germaniæ, ad tantas anguſtias depreſſa foret, ut quaſi precarium ſpiri-

tum, ab externis trahere videretur, velut ſpolium quoddam expoſita ad arbitrium alienæ libidini; ex quibus apparet, ſi vincerentur Auſtriaci, à victoribus, non ſimiliter nobiscum actum iri, ut aliquando erga Græcos ſe geſſerant Romani, qui laudem defenſæ libertatis Græciæ, pro ratione habuerunt ſuſcipiendi bellum, ac fore longè diverſiſſimam externi illius contra Auſtriacos commilitii fidem atque ſcopum.

Hactenus unũ caſum perſecutus ſum, quid nempe probabiliter eveniret, ſi Auſtria cum ſociis planè ſuccumberet, quid tùm verò ſi vinceret? Nam cùm hinc & illinc potentiſſimi Reges ac Duces militarent, hinc & illinc Germanus juxtà ac exterus miles legeretur, & utriusque partis fortuna, ferè in æquilibrio ſtaret, non modò dirigendæ ſunt cogitationes, ad caſum victoriæ quo ſc. Status Impeii exteris uniti, ſuperiores evaderent contra Auſtriam; ſed etiam quid foret, ſi vincerentur; quod enim *Hippol. à Lap. cit. paulò ante cap. 3. ait*, à Confœderatis Imperii Ordinibus, conjunctisque Gallicis ac Sueci-

cis ar-

cis armis, vinci posse Austriacam familiam, verum quidem est, sed etiam vicissim non negandũ, eam posse non vinci ac bello prævalere; At enim fortassis reponere placet, Cæsareanos exercitus toties cæsos esse, præsertim, bello Germanię proximo, rariores verò adversariis accidisse clades; respondebo, tantò difficiliùs esse devincere Austriacos, quippe qui nec tot cladibus per diversos hostes, variâ vice illatis, planè sint debellati ac stirpitùs extincti; ut igitur ad internecionem usq; deleantur Austriæ Duces, majori bello quàm nuperum istud nostrum fuit, opus esset; jam cum adhuc passim pateant desolatiora rudera, Germaniæ motibus facta, & ne nunc quidem vulnera nostra coaluerint, quis non animadvertit, pessundatum iri ac planè suppressum Imperii vires, si funestum illud adversus Cæsaream familiam moveretur bellum?

Sed regredior ad id, unde modò sum exorsus; fieri potest, ut Austriaci vincerentur, quemadmodùm se res nostra habitura sit, illis victis, breviter delineavi; si verò vincerent, nihil expectari posset,

quàm ut hi, qui impia arma contra Cæsarem ſuum attripuiſſent, pro Rege, dominum, pro juſto Imperio, triſte jugum, pro avitâ libertate, non intermorituram in poſteris ſervitutem, experirentur ac versâ rerum facie ſibi attraherent. Cæterùm ad extera Regna comparatione Imperii fœderatorum Ordinum parùm periculi redundaret, nam cum v. gr. ad Nordlingam magnâ ſtrage profligati eſſent Sueci, nihil periculi paſſa eſt Suecia, ad quam non licuit accedere Cæſareanis claſſe deſtitutis; ſic Gallis, quamvis terreſtri itinere patentibus, quotusquisque Cæſareanorum militum incuſſit terrorem? Sanè exceptis paucis ac nominatim Johanne de Werdio, per tota belli Germanici tempora eò, vix quisquam è Cæſaris Ducibus acceſſit, ſunt enim Galliæ fortalitiis ac præſidiario milite ſatis permunitæ, nec Auſtriacorum Provinciis ita contermine;

Econtrà Statuum Imperii ditionibus ac univerſis propè Germaniæ angulis, belli moles ſæpiùs incubuit tota, & ibi ſedem fixit ferè perpetuam; Quapropter uti proximo illo bello Suecorum & Gallorum

lorum fuerunt lucra atque commoda, Statuum Imperii, onera ac dispendia; sic nihil causæ est, cur novo & exitiali illo bello melius actum iri arbitremur, cum sociatis Ordinibus, sive Austriaci vincerent, sive succumberent; Concipe enim vicisse Austriacos, sanè illorum Ordinum Territoria, qui pro Gallis stetissent & Suecis, jure belli sibi assererent Austriaci. Itaque Imperium magnâ ex parte imminueretur, nam ob hanc eandem causam, *Hippol. à Lap.* Austriacos Imperatores cum suâ familiâ delendos esse censet, quòd opibus Imperii creverint, & patrimonium suum inde auxerint privatum; quoniam igitur prævalescente Austriâ, maximè reformidandum est Statuum, hinc vel illinc militantium, bona, quæ naturâ suâ ad Imperium pertinere noscuntur, accessura ditionibus Austriacis, aut externis planè Regnis vincentibus, non potest certè poni pro Ratione Status, Germaniæ ut Ordines Imperii in unum coëant, adversus domum Austriacam, eamque præcipiti quodam ausu, radicitùs exscindere tentent.

Porrò sæpè in neutrius partis

belligerantium manusitum est, alteram omninò convellere ac devincere, sed tædio militiæ, utrinque tandem reditur ad pacem, uti contigit inter Ludov. XII. Galliæ Regem & Carolum Audacem, Ducem Burgundiæ, hoc tale quid si accideret, absque dubio labefactaretur Imperium, dum se collisisset suis viribus, nec tamen, vel confessione *Hippol. à Lap. loc. proximè cit.* quippe qui internecionem Austriacam, pro salute Reipublicæ divendit, & qualemcunque afflictionem sufficere non putat, hac ratione efflorescere deinceps ac restitui possit reverâ enim, quilibet pro viribus recuperare nititur amissa, & ita etiam domus Austriaca, quantumvis nonnihil imminuta, fœdere exterorum vel Statuum Imperii, abscissas possessiones, satageret recipere, suisque ditionibus redunire; itaque bellum foret ex bello, malumque & calamitas una alteram truderet.

At enim forsan occursum diceret, huic inconvenienti *Hippol.* cùm præcipit, universos Imperii Ordines junctis exteris, bellum inferre debere Cæsareanæ familiæ, sed scriptum istud est antiquius Instru-

ſtrumento Pacis, hodiè enim pacificatione illâ, in modum ſanctionis Pragmaticæ præpediuntur Ordines, adverſus ſe invicem arma arripere, & nova bellorum incendia ſuſcitare, deinde, cum concordia Statuum intima, prout ſaris deductum eſt, inveniri aut ſperari nequeat, quid ita componentur ad ſubitam amicitiam, adverſus Auſtriacos univerſi? Quinimò ſi ſpretis divinis & humanis juribus, ac ſuſq; deque habitis, omnes ac ſinguli unicè conſpirarent, in necem Imperatoriæ ſtirpis, an credis per varias Rationes Status, non fore dividuos, ſi enim vel maximè juncti eſſent, pleriſque Ordines Imperii, & omnes illi, quos *Hippol. à Lap.* contra Auſtriam jungit, ſingulitamen citra dubium, propriam circumſpicerent utilitatem, itaq; dum uni offerretur commoda occaſio, accederet ad Auſtriacos, adeoq; ſocios belli eo ipſo dibilitaret, ceu paret exemplo Pacis Pragenſis, inter Cæſarem, & Saxoniæ Electorem factæ, quam rem cùm noverit contigiſſe *Hippol.* tamen odio Auſtriacæ familiæ adeò incaluit, ut putet, inter tot Imperii Principes, qui

Terri-

Territoria ſua ac ditiones in feudum recognoſcunt ab Imperatore, quibus cum Auſtriacis, à longo jam tempore benè convenit, imò inter tot varios Imperii Status, Cæſareæ Majeſtati, fidelitatis juramento devinctos neminem fore, cujus mentem aliqua teneat, Publicarum LL. reverentia ac priſtini fœderis beneficiorumq́; recordatio.

Si autem ne hoc quidem movet, obſecro, quemadmodùm divellas à domo Auſtriacâ, omnes ac ſingulos Status Catholicos? annon exiſtimabunt illi, deletis, aut ad nihilum propé redactis Auſtriacis, Religionem ſuam Romano-Catholicam, ingens quoddam intertrimentum ac naufragium paſſuram? ſc. à diverſæ Religionis victoribus vel exteris vel civibus Imperii, aut etiam ab illis Romano-Catholicis, qui jam multas retrò temporum metas non tam de Religione quàm Regni commodis creduntur fuiſſe ſolliciti; itaq́; nunquam ſperari poteſt ulla Catholicorum Principum, paucis fortè exceptis, à partibus Auſtriacis defectio ad exteros; nam ne proximo quidem Germaniæ bel-

lo, id

lo,id contigit, ut vel pro Auſtriacis vel contra,omnes ſocia ferrent arma; ſciſſa fuit Germania fatali quodam malo, in duas partes,& adhuc dum, ſi verum aſſererevolumus,animis non cohæret; hæc tam diſcrepantia membra, ſi mihi adunam intentionem compoſueris, impugnandi Auſtriacos,illisque ſeu victis, ſeu vincentibus, efflorescentem Reipublicæ Statum confeceris, Magnus videbere Apollo. Concludere igitur licet,eradicationem Imperatoriæ domus, non poſſe deſervire in Rationem Status Germaniæ, & quidem, cur hoc ita ſeſe habeat,ex hactenus dictis luculenter apparet.

CAPUT XI.

Quòd & quamobrem etiam repreſſis Auſtriacis,nova Cæſaris electio, non ſit in rem Germaniæ?

DEciſio præſentis quæſtionis velut in anteceſſum deſumi poſſe videtur, ex priori capite,ubi oſtenſum eſt, exitioſum fore Germaniæ, ſi unitis viribus, cæteri Ordines Auſtriacam familiam, oppugna-

pugnatum irent, nam incolumi istâ stirpe, omnes putant, civile bellum exarsurum, si Aquilas Imperii, alia Ducum vel Comitum prosapia teneret; cùm igitur ex his præsupponimus, non expedire Reipublicæ Romano-Germanicæ, clades Austriacas vel ruinas, ad quid tandem pertinet, hæc illa quæstio, quæ concepta est de casu excidii Austriacorum, eoque collimat, an nova Cæsaris electio utilis sit Imperio nec ne? Verùm enim verò, majus hinc affulgebit lumen, his quæ priori capite deducta sunt, si nimirum pateat, novam Cæsaris electionem, quam ut scopum Austriaci belli, *Hippol.* tantoperè commendat, valdè nocituram esse Imperio, ac exordium ducere liceat à confessis, videlicet, salvâ Cæsarum modernorum progenie difficilimè aliò translatum iri Imperii fastigium, nec hoc ipse *Hippol. à Lap.* inficiatur, dum concedit, extrema quæque tentaturos Austriacos, priusquàm ab se abire sinant Imperatorium decus;

Quod si ita est, imputari certè non debet, sublimissimo Electorum Collegio, aut

aut idem negligentiæ insimulari, quòd sola Austriaca familia, per tantum tempus rerum potita, Imperioque præposita fuerit, ut idem Author facit, nam ratio successionis Austriacæ non consistit in singulari illâ celebritate, præ cæteris Statibus, sed in potentiâ, argumento, illo superiùs exposito, quòd nunquam ferè à tempore immemoriali, quis Archiducum Austriæ, fuerit electus Imperator, qui non antea Hungariæ & Bohemiæ coronam titulumque sibi quæsiverat electione, nempe, quia Hungariæ & Bohemiæ Regnum, insigne momentum attulit Austriacæ potentiæ, nec ex successione, sed electione delatum fuit, hinc adeò factum est, ut Austriaci ad constabiliendam Imperatoriæ Majestatis perpetuitatem suis tot Provinciis adjecerint externorum Regnorum præsidia, quòd si enim Hungariam atque Bohemiam conjungas Austriæ, Silesiæ, Croatiæ, Carinthiæ, Stiriæ, Carniolæ, cæterisque Cæsareis Provinciis ac ditionibus, profectò nemo Ordinum Imperii exæquare hanc potentiam potest, si autem demeres,

Regn-

Regna illa, essent fortassis, qui viribus sese vix ostenderent inferiores.

Jam cùm hæc ita sese habeant, omnes tamen, quos sequior in domum Austriacam affectus imbuit, hoc unicum quæruntur, per tempus ferè immemoriale ex conniventiâ Electorum, solos imperitâsse Austriacos, causam verò non ita penetrant; nam cùm hodiè Bohemia facta est hæreditaria Austriacæ familiæ Provincia, nemo aut vix quisquam unus & alter, hanc rem judicat quidquam importare vel facere, ad assimilandum Imperium, si non successioni saltem Regno restricti voti. Atqui pro maximâ habendum est, quisquis simul possidet Hungariæ & Bohemiæ Regna, similiter Austriam, Croatiam, Moraviam, Silesiam, Carinthiam, Stiriam, Carniolam &c. quòd utique idem etiam sc. intuitu potentiæ, verosimiliùs sit futurus Imperator Germanicus, quoq; magis has tot Provincias ac Regiones, ex jure successionis tenet, eò magis credendum, quòd etiam Aquilas Imperii, sibi sit asserturus, non quòd vel Archiducalis familia Austriaca, malè faciat, vel Prin-

Principes Electores, qui eam, ob causas expositas, præferant, sed quod conditio Status nostri ita sese habeat, ut Aquilis adeò ex plumatis, vix liceat ad alium transferre Augustale culmen, quàm qui ex privatis opibus illud ipsum satis Majestaticè possit gerere, ne cæteris Imperii, tot Regiis propè Proceribus, planè & ultra modum fiat contemptibile. Quapropter Dux Fridlandus, si tamen communior fama, quæ ipsum hujus conatus reum facit, vera est, aspirando ad coronam Bohemiæ, de effectu loquendo, plus detrahere visus esset, Majestati Austriacorum, in Comitiis electionis Imperatoriæ, quàm fortassis insigne aliquod Electorale votum. Eadem ratio non minùs, sed fortiùs concludura est ab Hungariæ Regno, si in illud successionis qualitas, quandocunque introduceretur.

Apparet igitur, quòd & quamobrem, salvis Austriacis, quorum omninò salus bono Publico peroptanda est, difficilima admodum sit translatio Aquilarum Imperii, ad aliam aliquam familiam, & Publicæ utilitati valdè nocua, tantum de eo

dubitare licet, annon, ponamus ita, neminе Auſtriacorum ſuperſtite nova Cæſaris electio commoda atque expediens Reipublicæ noſtræ adinveniri queat? quâ in re perfacilem ſe præbet *Hippol. à Lap.* cum deletâ Auſtriacorum familiâ, novi Cæſaris electionem, certâ ac perpetuâ Capitulatione circumſcripti, pro fulcimine efflorescentis inpoſterùm Imperii, ſtudioſè ſuggerit; Verùm ut intimiùs animadvertamus, quemadmodùm hæc talia reverà ſint habitura, ante omnia, præſupponendi ſunt termini habiles quæſtionis, eam videlicet conceptam eſſe, de caſu, quo exteri, poſt victoriam funeſti belli, auxiliares Status Imperii, priſtinæ, imò majori ſtræ coronâ manus planè abſtinerent; relinquerent libertati, & à Germaniæ noHæc inquam, ſi vel maximè contingerent, ac Ordines Imperii, absque ſuppreſſione Reipublicæ cum Exteris adverſus Cæſaream noſtram proſapiam, conjuratâ quaſi concordiâ, militarent, vincerent ac de præmiis etiam belli convenirent, tamen, cùm poſtea ad negotium eligendi novum Imperatorem acceſſiſſent, verosimili-

similimum est, omnia conversum iri, neminemque hac Majestate alterum aliquem, condignaturum; quotiescunque enim, ejusmodi aliqua familia, quæ diutissimè rerum potita fuit, extinguitur, difficilimum sanè est, præsertim inter pares, si qua nova in ejus locum succedit, uti Regnum teneat, nemine obnitente.

Non est operæ pretium desuper è longinquis exempla arcessere Rebuspublicis consideremus modò tempora illa, post Fridericum Secundum Imperatorem, & initia Imperii, hujus ipsius modernæ familiæ Austriacæ, quas non difficultates pepererunt, quę nō bella moverunt, varia de Imperiali culmine concertantium studia? Nam modò Guilielmum, Holandiæ Comitem, modò Richardum Anglum, modò Alphonsum Castellæ Regem, incertis vicibus Imperio præfecerant Ordines; Post quos, cùm summam rerum obtineret Rudolphus Primus Habspurgicus, mox ab Ottocaro Bohemiæ Rege, deinde etiam à Marchione Badensi ac Bavariæ Duce propter novitatem ac imbecillitatem Regiminis con-

temni cœpit; Postea Adolphus Nassovius & Albertus Rudolphi filius, de fastigio Imperii difficili bello controverterunt, ita sequiore ætate Ludovicus Bavariæ Dux & Fridericus Pulcher Austriæ Dux, invicem se præbuerunt Imperii æmulos, nec deinceps, quieta fuit Germania & immunis ab intestinis ejusmodi coronæ Romano-Germanicæ bellis, usque dum pedetentim invalescente Austriacorum potentia, cæteris aliqua familia haberi cœperit potior.

Equidem anteà etiam, maximè temporibus Henrici IV. & V. item Friderici I. Ottonis IV. & Friderici II. civilia Imperatorum bella, Germaniam nostram graviter afflixerunt, sed ignes illi, testibus historiis, plerumque ex Italiâ & Urbe Româ Alpes transvolârunt ab illis, qui Imperium, suæ libidini ac dispositioni mancipare studebant, improbè accensi aliter planè, ac illa, quam commemoravi posterior ætas, æmulatione quadam Imperii in exitiosa Reipublicæ dissidia exarsit. Jam pone Germaniam nostram Austriæ Principibus hodiè omninò destitui,

ſtitui, novamque aliquam familiam, ad Imperatoriam Majeſtatem venire aſſumendam atque eligendam, profectò conceſſeris opinor, non eam, quam hodiè conſpicimus, eligendi ſuper fore facilitatem, quam enim Ordinum Imperii proſapiam Electores alteri concorditer prætulerint? Quis non inter tot Regias propè familias, eligendo hæreat, ac varius diſtrahatur? ſc. in omni negotio inter complures pares, difficile eſt alicui ſine neminis offensâ aſſignare prærogativam, quantò magis in re tam arduâ, unde totius Imperii dependet ſalus?

Nec propterea reliqui Ordines abjecti habebuntur, ſi ad decus Imperii, ut quidem *Hippol. à Lap.* objicit, commodè conſcendere nequeant; nam hoc demum verum eſt, in hâc Reipublicæ facie, fortaſſis verò fieri poteſt, ut illæ, quod ad modum adminiſtrationis attinet, deſideratiùs formetur. Addo, ſi vel maximè, rebus ita ſtantibus Electores, nemine offenſo, de certâ familiâ novâ, Imperatorem ſeligere ac deſumere poſſent, tamen verosimilimum eſt, novæ familiæ illius Cæſaris, nec

ris, nec exhibitum iri, noſtræ ætatis veneration em ac reverentiam, ſed uti Henricum Haſſiæ & Turingiæ Landgravium nec non Rudolphum Primum, eò, quod ad ſummum pares eſſe viderentur, aut etiam potentiâ cæteris inferiores non peræquè coluerunt Imperii Ordines, ut antiquiores Henricos, Ottones, Fridericos & ſimiles Imperatores, qui Majeſtatem ſuam & virium prærogativâ & Imperatoriis familiæ exemplis, defendere poterant, ſic fore credideris, ſi extinctis Auſtriacis, novus eligeretur Auguſtus; etſi enim extent Procerum Imperii nonnullæ familiæ, quæ jam antiquitùs & ante Albertum Secundum, Imperatorio decore inclaruerunt, tamen hæc res non careret æmulatione quoad cæteros, ſi ob nullam aliam cauſam certè propter exæquatam potentiam, aut etiam adhuc majorem, dehinc enaſcitura eſſent bella civilia, ac defectiones ab Imperio; prout olim pleræque Provinciæ, decreſcentis Romani Imperii jugum excuſſerunt; ut Helvetii, aliæque nationes, quæ Republicâ Romanâ Germanicâ ſeſe exemerunt, & in libertatem aſſeruerunt.

Non

Non igitur satis consultum esset, Imperio nostro, si propterea novi Cæsaris Electionem susciperent Principes, ne cæteræ familiæ haberentur despicatui, & ut Electio Imperatoria sit & maneat liberrima, quandoquidem majora hinc sequuntur mala, nempe I. Cæsar ille, quem confingit *Hippol. à Lap.* sic non habiturus esset dimidium Majestatis, sed præ cæteris Ordinibus, nullius ferè autoritatis foret, ac præeminentiæ, verùm cùm Ratio Status Germaniæ, prout ante ostendi, eò collimare debeat, ne vel Cæsarea Majestas, vel ipsi Status, ulteriùs justo deprimantur, sed illa quidem in fastigio Imperiali, verè collocata maneat; hi verò etiam prærogativâ suâ, salvi gaudeant, eaque ab exterorum Ptincipum conditione, reipsâ internoscantur, sanè pro præsentibus, Reipublicæ Germanicæ circumstantiis, novæ familiæ ad Cæsareum culmen evectio, detrimentosa magis appareret, quàm ut in Rationem Status veram deservire queat; ex quibus desumere licet hanc maximam, quòd & quamobrem stante eadem conditione Regiminis

Germanici, præstet vel habere Imperium electivũ restricti voti, quàm purũ & simpliciter liberum; Ratio, nam in illo facilior esse potest copia pacis, saltem respectu bellorum civiliũ, in hoc verò paratissima est via intestinis continuisque dissidiis.

Constat idipsum satis evidenter ex nonnullorum Pontificum Romanorum machinationibus, qui cùm olim omnem operam eò converterent, quemadmodùm Germanicis Imperatoribus dominarentur, nihil antiquius habuerunt, quàm ut Regnum Germaniæ sublatâ successione, esset simpliciter liberi voti: ita enim, prout quisque Imperatorum se vel mancipem Pontificiæ sedi gerebat, vel magnanimum, & præeminentiæ Imperii vindicem aut contenti quieverant aut discussis anathematum fulminibus, adeoq; Religionis prætextu creatis æmulis, Imperatorem solio deturbare gestiebant; Talis fuit v. gr. Germaniæ Status sub Henrico Quarto, cui Pontifex Gregorius Septimus modò Rudolphum Bavariæ Ducem, modò Hermannum Lucelburgicum, modò Ecbertum Thuringiæ Marchionem, post omnes verò filium ejus

ejus Henricum Quintum excitaverat adversarios, ob eam inprimis causam, quòd Imperator Henricus Quartus, jus Imperii in eligendo Pontifice concedere, neq; se authoritati Gregorii submittere vellet; idem deinceps accidit Henrico Quinto, Friderico Primo, Ottoni Quarto, Ludovico Quinto & Friderico Secundo, qui omnes suis temporibus varios experti sunt hostes, à Pontificibus, mediâ electione idcircò obtrusos, quòd Imperii Majestatem, ad genua Romanæ sedis deponere essent dedignati;

Per contrarium, Lotharius Secundus Imperator, quod quidem ad Pontifices Romanos attinet, quieta habuit Imperii tempora, dũ his ipsis erat addictus; idem evenit Rudolpho Primo, qui etsi multa adversa, à sede tamen Romanâ propter observantiam eidem exhibitam, nihil hostile passus fuit; præter cæteros verò, desideratum Pontificibus exemplum extitit, Albertus Primus Cæsar, cui tribuunt, ista spontaneæ submissionis verba; in omni re causa antecedit effectum, effectus verò finem, quemadmodum Deus antecedit cœlum, cœlum

verò inferiores mundi partes. Ergò Tu beatiſſime Pater, cùm cauſa movens ſis, Imperator verò exequens, pax tandem finis univerſi, leva manum tuam & aquila elevabitur, exequeturque motus tuos; Alii deſuper Imperatores Papæ Romano ſimili devotione addicti, eandem experti ſunt benevolentiam. Quoniam igitur jam antiquitùs, ea fuit Pontificum quorundam Ratio Status contra libertatem Germaniæ, ut Imperatoria Majeſtas, per diverſas Principum familias, pro majori obſequio, variis vicibus ambularet, non debemus exoptare in hac rerum facie ejusmodi Statum, quo difficilis electio, civiles tumultus & diſcordias inteſtinas ſuſcitare poſſet. At verò aliud, propterea expreſſit remedium Hippolythus, dum nimirum ſuadet, oportere noviter electum Imperatorem, circumſcribi perpetuæ Capitulationis Legibus, ſic ut quamvis deinde vellet deteriùs gubernare Imperium, tamen reſtricta poteſtas hiſcè conatibus obſtaret, impedimentum; nec ſanè infrequens eſt noſtris temporibus, totum rerum cardinem

nem in eo ponere, ut Imperator multa promittat in conventâ Capitulatione, quinimò tanti momenti hæc res habetur, ut inter tot hostiles rumores, tamen, præsentibus hisce Comitiis, multis Imperii Principibus, primo loco agi placuerit, de Capitulatione Perpetuâ.

Fateor non abs re esse, ut jura Imperatoris & Statuum Imperii, certâ consistent eaque fundamentali lege Publicâ, & hactenus aliquoties tentata fuit illa materia, semper tamen desideravit & adhuc dum desiderat ultimam manum; Cæterùm hoc tali remedio, consulere velle rebus Germaniæ, ut opinor est lateres lavare, neque multis laboravero hoc ipsum, adversus *Hippol. à Lap.* ostensurus, quippe qui concedit, & operosus admodum est, ut ostendat, Cæsares Austriacos, jam inde à primis hujus familiæ incunabilis, malè administrâsse Rempublicam cunctaque in speciem tantùm Publicæ utilitatis, reipsâ privati commodi causâ peregisse; quòd si ita est, quid proderit, igitur Perpetua Capitulatio, quantumvis saluberrimis clausulis permunita? neque enim ob eam,

eam causam verosimile est, Imperatores nostros Romano-Germanicos, magis minusvé ex præscripto Legum acturos, quòd LL. quibus illorum potestas limitatur, vel in universum ad omnes fastigii Augustalis successores porrigantur, vel ad personam solùm cujusque Imperatoris se extendant, denuò, ferendæ, cùm novus Imperii successor, in locum prioris venit eligendus; hæc res sese habet ad observantiam LL. peraccidens; nam Capitulatio nihil est aliud quàm pactum Cæsaris cùm Ordinibus, quo se astringit Publicarum Legum cancellis, privilegiorumque quibus unusquisque Status gaudet, sartæ tectæ custodiæ; utrùm vero deinceps pacto stetur, eò pertinet, num Imperator bonus sit vel malus; si bonus est, conformem Legibus sese gerere amabit; si malus, frustraneus est, nisi aliud quoq; remedium addatur, labor iste Capitulationis, seu perpetuæ seu temporariæ & ad Imperantis personam restrictæ; Dehinc in jure Publico probé distinguere oportet, quæstionem, quantum cuique liceat, ab eâ, quantum quisque possit? ut

Impera-

Imperatori non ultrà liceat, efficiunt Capitulationes, quibus utpote certo ac jurato pacto obligatur; verùm ut Imperator nihil ex adverso suscipiat, Capitulatio non facit, sed vel probitas ipsius vel certè aliud aliquod remedium.

Jam inde enim, ex quo Legibus circumscribi cœpit, Cæsarea majestas, diversa admodùm numerant Imperatorũ ingenia, mores & res gestas, quamvis Capitulationes, sæpè non ita multũ sortitæ fuerint discriminis, non est præsentis instituti, nec fortassis virum privatum decet, ex professo in id incumbere, quemadmodùm invectivo stylo perstringat, actitata Cæsarũ Romano Germanicorum, quippe quia sunt & fuerunt Reges nostri legitimè electi; hoc unum dicam, sive cunctos Imperatores habuerimus, bonos, sive aliquos tantùm, nonnullos verò sequiores, profectò Capitulationes, nec bonis causa fuerunt, Regio more vivendi, nec malis, quò minus Tyrannidem exercerent, impedimento; nam boni, etiam si Capitulationum vinculis, non essent illigati, tamen benè agere studerent; mali nihilo-

seciùs

seciùs malè. Quapropter vulgaris error est, cùm credimus, ex præcisâ ope Capitulationum fore Statuum jura ac privilegia tuta, atque illibata; cùm omnem nervum unicè eò intendimus, ut Cæsareis pactis suus constet sensus apertissimus, nec illis ipsis quicquam contineatur, tetræ interpretationi obnoxium. Quod si enim non usquequaque observentur, initæ Imperatoriæ Leges, an eorummet adminiculis judicabimus satis cautum esse Reipublicæ? Imò si vel maximè suâ luce radient Capitulationes, tamen facta sæpenumerò sunt ambiguæ frontis, adeoque nec ita palàm est, propter obscuritatem facti, quando quidque contra Capitulationum fiat tenorem. Verùm enim verò fortassis arbitrabere, extinctis Austriacis, noviter electum Imperatorem, observantissimum fore conventorum Capitum, nec unquam vel certè parvo detrimento Ordinum quicquam agere ausurum; prout Rudolphus Primus Imperator ac deinceps Carolus Quartus, maximam habuerunt Statibus reverentiam.

Sed

Sed contrà, ne sic satis consultum esset; neque enim oportet Imperatoriam Majestatem ad eas angustias deprimere, ut non suâ fruatur erga Ordines superiori præeminentiâ, quoniam si eò ventum esset, ut Cæsar crearetur dicis tantum gratiâ, neque Rex, sed nuda Regis umbra coleretur, jam immutationem accepisset Status nostræ Reipublicæ insignem, & magnâ sui parte ex mixto conversus esset in Oligarchicum! Quòd si ex mente ipsius *Hippol. à Lap.* etiam à priscis illis temporibus, huc tandem pervenimus, ut Capitulationum cancelli conservandæ libertati haud sufficiant, quid causæ est, quò minùs etiam novi, quos suadet *Hippol.* Imperatores, cùm tempore incipiant esse licentiores? nempe huic rei, novum remedium adhibendum censet, videlicet, ut Status Imperii quotannis conveniant in Comitiis, suaque exponant, contra Cæsarem gravamina? At primò, sic magnis admodum sumptibus opus foret, cùm cernamus quantas difficultates intra plures annos vel semel tantùm, iterata Comitia habere soleant, quid fieret, si eadem constituerentur annua? Deinde

quâ

quâ ratione erunt annua Comitia, cum cernamus de ſtylo moderno eadem ultra annum imò, quandoq; ultra biennium, durare. Itaq; magis perpetua forent, quàm annua. Atqui nec in huncuſq; diem accuſari Status poſſunt, quòd neglexerint gravamina ſua aut eadem in Comitiis parùm ſolertes propoſuerint, nam contrario potiùs teſtimonio deſerviunt, tot Receſſus Imperii, ex quibus apparet, Ordines Imperii, fuiſſe ſatis ſollicitos ac gravaminibus removendis intentos; ſed ſæpenumerò hoc non obſtante, ejusmodi querelæ, ad multos annos jacent & ob varias, difficultates & impedimenta non deciduntur; e. gr. quoties non modus præſcriptus eſt emendandæ Matriculæ? & tamen ad præſentem usque diem, hæc res non dicam, exitum, ſed vix unquam vera initia adinvenit!

Sed fortaſſis repones pro *Hippol.* non hoc tantùm deſiderari, ut Status Imperii novo Imperatori, ſuas querelas, quotannis deferant, ſed ut eousque inſtanter petant remedia, ne ante diſcedatur à Comitiis, priusquam incidentia gravamina ſuffi-

sufficientem acceperint provisionem, aut etiam, ut hoc ipsum, Publicâ Lege caveatur, Ordinum petita, absque morâ singulis vicibus iri decisum; regero in Instrumento Pacis, etiam provisum est, quemadmodùm restitui debeant occupata tempore belli; hæc res, quamvis Publicâ conventione Instrumenti Pacis innitatur, tamen ne nunc quidem, ubique mandata est executioni; unde etiam præsentibus hisce Comitiis ex Principum Consilio, nonnulli sunt permoti, ut punctum restituendorum simul & inseparabiliter, tanquam præjudicialem, materiæ collectarum ac defensionis Imperii, præmittendum esse acriter contenderint; difficile verò erat rebus ita stantibus obtinere, & scopum istum assequi, neque id solùm propter Turcica pericula, quæ pro illâ vice, fortean excusationis loco allegari poterant, sed etiam, quòd in ejusmodi negotio, non universos concernente, cæteri quorum minus interest, magis videantur frigere, quippe etiam proximis abhinc Comitiis de Anno 1654. ubi Instrumentum Pacis adhuc recentiùs confectum fuit, punctus iste restituendo-

rum, ſuum nanciſci potuit exitum, quem tamen etiam præſenti tempore non usquequaq; videt. Quòd ſi ex his & ſimilibus exemplis patet, non propterea, quòd Ordines Imperii, ſua quamvis inſtantiſſimè urgeant gravamina, iisdem ſtatim hoc ipſo quæri remedium, quid igitur cauſæ eſt, ut arbitremur, ſi novo Imperatori à Statibus quotannis offerantur gravamina, moderationis vel etiam remotionis? ergò, Reipublicæ propterea ſatis fore proſpectum, Cæſaremque illum *Hippol.* tantò magis permanſurum intra Capitulationum, Legumque fundamentalium cancellos? Imò verò, ſi nihilo ſecius eadē gravamina, non removeat, ſi ad alia Comitia rejiciat, vel declinet, ut ſanè fieri poteſt, quid tum? cui uſui tum ſit, iſta tam ſollicita querelarum delatio atq; expoſitio? Non itaque vel Capitulatio Reipublicæ ſatis conſulit, quia contra eam peccari facilè poteſt, quicunq; etiam novus creetur Imperator, neque ſi quid tale contingeret, quicquid etiam Status, quererentur in annuis Comitiis, aptum rei decidendæ remedium ullum ſuperesſet, præter conventionem amicabilē vel nocentiſſimum civile bellum. Quan-

Quantumvis enim fortè crederes, huic rei hinc satisfieri posse, si Status Imperii, perpetuâ quadam unione, & quasi communi manu, Imperatorem quotannis adigerent, ad remedendum gravaminibus, tamen jam superiùs exposita est ratio, cur Ordines Imperii, non ita possint ab Imperatore dividi, ut firma sit inter ipsos, præsertim contra Imperatorem, concordia; sed esto, contingat hoc, quid futurum esset? nempe ut Cæsar ad nutum dependeret ab Ordinibus prævalentibus, ac si extremè reluctaretur nec ex arbitrio Statuum gravamina expediret, pro lubitu deponi posset solio, & Majestate exui; jam verò mali plurimum habere, hujusmodi Cæsarum dethronationes perspicere licet in Exemplis Henrici Quarti, Ottonis Quarti, Friderici Secundi & aliorum plurium. Quinimò, cùm ad minimum medietas Majestatis in Imperio Romano-Germanico, meritò sit & esse debeat, penes Cæsarem, non potest haberi pro verâ Ratione Status, quòd Cæsar sit Ordinum arbitrio simpliciter suppositus, ab iisq; spiritum trahat, quasi precarium

per inversum, si Cæsar prævaleret, vel Majestas Augustalis cùm Ordinum authoritate ferè in æquilibrio foret, non apparet ratio, quâ cogi possit Imperator, ad deferendum simpliciter querelis Statuum, adeoq; in effectu vix quicquam juvabit, vel ad medelam gravaminum conferet, si vel maximè membra Imperii, annuatim eadem diligenter proponant.

Cæterùm, ut ante brevibus tetigi, formatio perpetuæ Capitulationis, quæ deinceps in vim Legis fundamentalis, valitura sit, non est simpliciter de nihilô, sed cæteris paribus, omninò magni momenti; quamvis enim, uti hactenus deductum, fallantur, qui putant, vigore Capitulationis perpetuæ, Cæsari ita ligari manus, ut planè sit excluſus, omni exercitio contra jura Statuum, tamen, quid Imperatori, quid Ordinibus secundùm LL. liceat, id quod, nisi fortassis ab observantiâ colligas, in multis non ita hactenus obvium est, exinde, velut ex constanti quadam normâ, dilucidè apparebit; Quo etiam Principes illi & Status Imperii, qui modernis Comitiis desideraverunt, ut Capitula-

pitulatio Cæsarea, in perpetuam quandam redigeretur formulam, quadantenus videntur respexisse, dum proposuerunt inter alia; **Man solle gute Verständnuß und Einigkeit zwischen den Reichsgliedern zu stifften/die** jura Statuum **durch eine beständige Käyserl.** Capitulations-**Form fest stellen/** hucusque enim Capitulationes constitutæ, sunt multiplices, quæ pro re natâ, ac circumstantiarum, temporumque exigentiâ interdum variârunt, aliaque fuit Capitulatio hujus alia illius Imperatoris.

Propter quam causam, & quia Prudentis est, Regimen accommodare, varietatibus temporum, videri cuipiam possit, melius esse, si nulla certa habeatur Capitulatio, sive Lex Imperatoria, sed si singulis electis Imperatoribus, pro exigentiâ Reipublicæ feratur, atque concipiatur nova. Verùm multa existunt, in quibus Publica utilitas, constantem magis ac perpetuam exposcit sanctionem, quàm crebriores hujusmodi vices e. gr. quale in se esse debeat Imperium Romano-Germanicum, electivum, purum

rum vel reſtricti voti? Quousq; ſe extendant jura Cæſareæ Majeſtatis? Quid vicissim liceat Statibus Imperii, deque diverſis earundem juribus ac præeminentiis &c. hæc & id genus alia, utiliùs profectò eſt, dumodo tamẽ deſuper cõveniri queat certâ ſanctione Publicâ componere, ne ob vagam dubiamq; obſervantiã, inde in Imperio exoriri poſſint civiles turbæ.

At deſuper alia ſunt Reipublicæ administrationem magis, quàm jura Majeſtatis concernentia, v. g. quem militem, quantoque numero perpetuum alamus, quot Duces habere conveniat, pacis vel belli tempore, quot judicia Imperialia, eorundemque perſonas conſtituere ac ſeligere conveniat? In his enim & ſimilibus aliis, Reipublicæ expedit, Legibus Capitulationum nihil certi quippiam determinari, ſed hanc rem relinqui, circumſtantiis temporum, quæ variare poſſunt, & interdum aliud planè ſuadere, ita v. g. in Inſtrumento Pacis Cæſareo Suecico, & eò ſe reflectente Receſſu Imperii, de Anno 1654. §. den numerum, quinquaginta Aſſeſſores Cameræ Imperialis ſunt ſtatuti, verùm continuis ſumptibus vel quarta

pars

pars ex illo numero, ſuſtentari hactenus difficulter potuit; quin ſi ſub ſecuto tempore inter collectas belli Turcici, etiam tantum Aſſeſſorum numerum alere coacti fuiſſent Status, contigiſſet fortè vel militiam, vel juſtitiam noſtram, ſuis deſtitui nervis.

Quare non ita paſſim expedit, in his & ſimilibus rebus, Publicâ ſanctione certi quippiam præſertim abſque reſervatione determinare, adeoque conſtitutio Capitulationis perpetuæ, in ſummâ ad duos fines referri poteſt, vel ut per illam Imperatoria Majeſtas in praxi reſtringatur, id quod, juxta hactenus deducta, difficile puto, vel ut eadem Lex Regia ſe reflectat, ad jura Publica Imperatoris & Statuum, idque aut inſpectis ſubſtantialibus ſupremæ poteſtatis, eidemque per ſe connexis, quo ſenſu utique eſt utile Imperio, jura Cæſaris & Ordinum ſanctione quâdam fundamentali, diſtinctè declarari, aut ſaltem conſideratis accidentalibus, & tunc præſtat agere pro ratione temporis & circumſtantiarum, quàm hujusmodi aliquâ Publicâ lege moderationem Regiminis præcludere, ſed

de hâc Capitulationis perpetuæ materiâ ejusque punctis & Capitibus disseram infrà suo loco pluribus.

CAPUT XII.

De veris Rationibus Status, ubi in specie ostenditur, quòd expediat rebus Germaniæ, erigi consilium Status, quale hoc esse debeat, nec non quæ sit ejus, si ex usu Reipublicæ loqui volumus, à veteri Regimento differentia, tum functio, restrictio ac visitatio.

PErvenio nunc ad veras rationes fundandi & confirmandi Statum Germaniæ modernum, nam ea quæ suprà sunt tradita, potiùs respiciunt præsentem usum ac Reipublicæ faciem, si verò volumus de eo loqui, non quid Imperatori aut singulis ac diversis Ordinibus, pro medio Status quadret, profectò ea ipsa, ut mihi quidem videtur, & experientia hactenus contestata fuit, rem in portum perducere nequeũt. Existimo igitur, si Germania salva esse debeat, ac Legibus suis Publicis & fundamentalibus, inter quas omninò etiam Instrumentum Pacis, ac Cæsareæ

Capitu-

Capitulationes ſunt referendæ, re & ipſo effectu, non verbis tantùm inniti velit, neceſſarium eſſe Conſilium Status, ad imitationem veteris Regimenti, ſuo modo proportionalem, nam Status Reipublicæ noſtræ eſt mixtus, ob eamque cauſam, cùm non omnia in Comitiis, ſed multa extra fieri poſſint, convenit Publicos Conſiliarios haberi, qui Imperatoris & omnium Ordininum juribus invigilent, ac mediantibus quibus tenor *Inſt. Pac. art.* 8. per quandam repræſentationem totius Imperii, in viridi conſervetur obſervãtiâ. Secundum requiſitum Publicæ libertatis ac ſalutis, in eo conſiſtit, ut Comitia in diverſis paſſibus emendentur. Tertiũ in eo, ut habeatur perpetuus miles Imperii, per Provincias Germaniæ in fortalitiis præcipuè ac locis limitrophis diviſus, qui & intra & extra injuſtam vim ab Imperio ejuſque Capite, membris ac ſubditis arceat. Quartò neceſſaria etiam eſt, emendatio juſtitiæ, quæ conſiſtit cum primis in tribus Capitibus, nimirum in correctione diſpoſitivâ juris ſecundò coercendâ judicum Advocatorum & Procuratorum licentiâ

centiâ, tertiò in certitudine Executionis, & ut sic dicam, manutenentiâ Decretorum.

Quintum summoperè necessarium præsenti Statui est, Publicum ærarium, si enim haberetur Imperii nomine Consilium Status, Publicus & Perpetuus miles, nec non, quæ quidem jam sunt, judicia Imperii, necessum utique foret, sumptibus Publicis illorumque rectâ collocatione, ne sc. Consilio Status hâc ex parte idem accidat, quod prędicto Regimento, cùm illud inter alias causas, præcipuè ob defectus sumptuum exoleviſſe animadvertere liceat, nevé militia illa perpetua, sic frigeat, ut solent milites in bella Hungariæ missi vel propter sumtuum parsimoniam vel propter malam collocationem, nevé deniqúe Assessores judiciorum justis destituantur salariis, aut Respublica aliud quodcunq; patiatur sumtuum inopiâ detrimentum. Ergò per-necessarium est, erigi Publicum ærarium, mediis & Statibus Imperii, & subditis tolerabilibus. Hæc sunt ea, quæ arbitror esse summoperè necessaria; extant verò & alia quædam, ut perpetuitas

Capitu-

Capitulationis, unio Religionis &c. quæ magis videntur pertinere ad bene esse, aut certis respectibus posse plané omitti.

Verùm redeo ad specialem hujus Capitis scopum de Consilio Status, & bonæ quidem Reipublicæ inter alia insigne momentum est, ut cuncta fiant & peragantur ex prædeliberatione, consilioque maturo; hinc constitui debet Senatus, qui velut oculus aliquis Publicæ salutis, noxia & proficua quasi è longinquo prospiciat, ac subodoretur. Quam rem non tantùm Romani quondam, exactè tenuerunt, dum nec bellum indicere, nec pacem facere, nec fœdus ferire, nec Legem ferre vel quid simile agere apud ipsos, moris fuit, non præhabitâ deliberatione Senatus, sed etiam moderno hoc tempore, in Imperio Romano-Germanico, Cæsar & Status pro se privatim, illud ipsum plerumque observant, dum sua habent consilia secretiora, Ihre geheime Staats-Räth/ quorum officium non ad lites subditorum dirimendas, sed ad id principaliter directum est, quemadmodùm Provinciæ ac Territoria, Cæsaris atque Ordinum

Imperii,

Imperii, seorsim conserventur ac efflorescant; animadvertunt enim ad Regimen cujusque ditionis, non id tantùm desiderari, ut justitia debito modo administretur, sed in primis etiam, ne vel à vicinitate, vel aliunde, eadem aliquid patiatur adversi; apparet hoc idem, præter cætera, exemplo tùm aliorum, tùm nuperi etiam belli Turcici, ubi profectò quisque sui Territorii commodo moderationem efflagitavit Matriculæ, & quâ ratione suarum possessionum transitu prohiberet exercitus, & ad arcendum hostem eas muniret, atque in summâ his ipsis, quàm minimùm vel contribuendo, vel aliter attraheret nocumenti, totus fuit intentus.

Hæc cùm ita sese habeant, sanè in rem est Imperii Romano-Germanici, quin Publica necessitas exigit, ut sit, qui pro communi Cæsaris ac Ordinum omnium salute, excubet, ac totus eò inclinet consiliis, ut Imperium, quod membris suis, prout antè monstravi, non admodùm cohæret, quatenus fieri potest, totum ac nemine excepto, salvum vigeat & incolume. Itaque necessarium omni-

nò est,

nò est, Consilium Status, quod sicut Imperii duo suprema Judicia, Aulicum & Camerale, privatorum causas & lites forenses pertractant, simili quapiam ratione, de bellis, pace, ac fœderibus Imperii quæque id genus alia sunt, Rempublicam directè concernentia, quatenus in utilitatem ejus pro tempore deserviant vel non, agat atque occupatum sit.

Cautum novimus in *Inst. Pac. art.* 8. & etiam Capitulationibus Cæsareis inseri, solitum, quòd Imperator circa jura Majestatis, veluti Legum ferendarum, explicandarum, belli, pacis, fœderum nihil possit in Imperio, in consultis nec consentientibus Ordinibus, quoniam igitur hæc & similia Juris Publici Capita, prout ante ostendi, in exercitio præsertim consistunt, quid juvat iste paragraphus Instrum. Pacis, sive ista etiam Imperatoriarum Capitulationum insertio, si non sit, quo mediante hæc jura, pro exigentiâ Reipublicæ tempestivè deliberentur, dein ad Comitia deferantur ac inibi communi manu ad Publicam salutem decidantur, communi etiam nomine sortitura effectum atque executionem?

Hac e-

Hactenus nocere potuit, imò nocuit sæpè, quòd Ordines Imperii, non semper ad initia Publicorum negotiorum, sed interdum re non ampliùs integrâ, fuerint vocati in subsidium, quòdque in Comitiis v. gr. quæstio an, rariùs, quæstio autem, quanti gerendum sit bellum, sæpiùs soleat occurere. Apud Romanos quondam secùs se res habuit, quippe qui prudenter admodùm tempora, & alias circumstantias, priusquàm bellum inciperent, secum deliberarunt; ita cum pressi essent, ab Hannibale, quamvis vel tunc justam causam, adversus Philippum habere potuissent, Macedonicum tamen bellum, teste Livio, distulisse contenti fuerunt; reverà enim ita est, prout disserunt, apud Thucydidem, Legati Athenienſium; maturè prædeliberandum esse, priusquàm bellum incipiatur, illatum verò efficere varias vices, nec ad lubitum deponi, deinceps posse. Quæ profectò non ad Veteres modò pertinuerunt, sed etiam, ad Rempubl. nostram Romano-Germanicam quadrant, ac in eadem etiam communi nomine tempestivè consul-

consultandum est, expediatné v. gr. bellum rebus Germaniæ sic vel sic habentibus, Turcis inferri, vel cum iis fieri pacem, quibusvé conditionibus ex Majestate sit Imperii vel utilitate, sive etiam, si fata ita volunt, necessitate, eandem accipi; neque enim ad arbitrium hostis, id quod plerumque perdere nos solet, vel diutiùs bellum gerere vel pacem componere, sed idipsum potiùs Reipublicæ conditionibus metiri, utile est, ac sæpè in adversis, ut deinceps tantò stabiliore pace perfrui possimus, tolerare fortunam, quàm desperare præstat.

Pariter cum quibus, quavé ratione, fœdus pangere, quas Leges ferre, quas iisdem addere interpretationes, Publicè expediat, sufficienter consultandum, cumprimis verò, quemadmodum tot & tam diversi Principes, ac Status Imperii, qui singuli peculiares, ut antè est ostensum, artes habent sui Regiminis eoque difficulter cohærent, hactenus concordiæ vinculo contineantur, ne in bellum civile mutuò ruant, dies noctesque meditandum videtur. Ergò per quam necessarium

sarium est, Reipublicæ nostræ Consilium Status, quod hæc omnia satis observet, suique faciat muneris. Quo intuitu antiquitùs etiam constitutum fuerat Regimentum, ut nimirum, esset ejusmodi aliquod consilium, quod Publica Imperii negotia sibi haberet proposita, eademq; promptiùs ac maturiùs deliberaret, cum alioquin compertum fuerat, ob moras Comitiorum sæpenumero Rempublicam, pati detrimentum.

Cæterùm jam vel in antecessum, quadantenus apparet, ad quænam objecta se extendere debeat Consilii Status functio, nempe ad hæc eadem, quæ in Recessu Imperii de Anno 1500. *Tit.* Wie alle Sachen ꝛc. veteri tribuuntur Regimento, ibi, Nemlich alle und jede unser / als Römischen Königs / und des Heil. Reichs-Sachen / Recht / Fried / und Ihrer beyder Vollziehung / und Handhabung / auch Widerstand den Unglaubigen / und andern Anfechtern der Christenheit / des Reichs / und was an den Frieden / Rechten / Ihrer Handhabung / und auch den Widerstand / obgemelt / hanget / darzu dienstlich oder ersprießlich

lich

lich seyn mag / antreffen ꝛc. Quotiescunq; igitur evenit, ut in Imperio nostro Lex Publica sit ferenda, explicanda, Legatio ad exteros Reges vel Respubl. mittenda, bellum indicendum, pax componenda, fœdus pangendum, nomine sc. Imperii, semper expedit, Consilium Status prædeliberando suas egisse partes; sic enim commodè fieri posset, ut Imperator & omnes Imperii Status, de negotiis Reipublicæ quemadmodùm se eadem haberent, in Comitiis tantò faciliùs congruentem adinvenirent decisionem & statim ad res accedere liceret, si Consilium Status jam ante Comitia, vigilanter exposuisset, quid è Republica primo vel secundo & ulteriore loco, pertractaretur, & quid de hoc vel illo emergente negotio, principali sentiendũ, publicavé circa idipsum exposcat utilitas; sanè credibile est sic non paucis, ac inprimis controversiis, illis præliminaribus, quæ circa Ordinem & modum tractandorum toties oriri solent in Comitiis, salutare quæsitum remedium, simulque moras rerum gerendarum excluſum iri, quæ alioquin nocere

possunt aut si dicimus, quod res est, nocent Reipublicæ.

Porrò, an & quousque consultandi tantùm an etiam decidendi facultatem, salvis Reipublicæ commodis habere possit, Consilium Status, ulterioris est indaginis; vetus Regimentum, non nudam habuisse consultationem, de Publicis negotiis, sed præprimis etiam decidere regulariter potuisse palàm est, & in specie appareret ex Recess. Imp. de An. 1500. Tit. Von dem zwantzigen ꝛc. ibi, und wie die von deß Reichs Unterthanen / oder andern an sie langen oder entstehen werden / in solch vorgeschriebenen Articuln zuverhüten / für sich zu fordern / zu handeln / mit Fleiß zu betrachten / zu rathschlagen und endlich zubeschliessen. Verùm non ita è Republica est, si Consiliarii Status gaudeant etiam potestate decisivâ, quia cùm tanti interfit Statuum, sic vel sic agi, non abs re est, Consilium Status, gannexo voto ad Cæsarem & Ordines Imperii, in universalibus Comitiis referre decisionem, sc. quia omninò, Cæsaris ac Ordinum Imperii, Majestati unctim competenti, contrarium foret, si ex

si exercitium summæ potestatis, deferretur ad hujusmodi Senatum, & propterea nec expedit, erigi Consilium Status decisivæ potestatis; attamen idipsum meritò recipit distinctionem, nam in his negotiis, quæ moram excludunt, Consilium Status, haud præter rem, non maturè tantùm deliberet, sed etiam polleat, jure decidendi, commodo sc. Reipublicæ.

Hæc enim fuit, inter alias, potissima ratio, cur vetus quondam introductum, sit Regimentum, ceu patet ex d. Recessu de Anno 1500. d. Tit. Von den zwantzigen / ibi; Und dann zu Zeiten merckliche Sachen der Christenheit und dem Reich zufallen / denn der Verzug / fast nachtheilig und schädlich ist / und die der Eil bedörffen / dadurch dann zu Zeiten der obberührten und andern mercklichen obliegenden Sachen der Christenheit und deß Reichs mehr Versäumnuß und Hinderung / dann Forderung und Ausrichtung / erwachsen mag / darum / und damit solcher Verzug und Versaumnuß / auch der merckliche Kosten und darlegen / vermitten und zu anderer Nothurfft der Christenheit und deß Reichs

verhalten / und deſto förderlicher und emſiger von den obangezeigten Sachen gehandelt und geratſchlaget werden möge / und aus andern redlichen Urſachen / ſo uns darzu bewegen / haben wir mit zeitigen Rath und Willen auch zugeben / und annehmen / der vorgenanten Churfürſten / Fürſten / Grafen / Herren und Ständ ꝛc. zu unſerm und deß Heil. Reichs-Rath gen Nürnberg ꝛc. fürgenommen und verordnet.

Quo fine & quia utilitas Reipublicæ ſæpius promptitudinem agendi, deſiderat, paratumque conſilium, etiam apud Romanos quondam clauſula iſta, ut quis ageret, prout è Republica ſibi eſſe videretur, obtinuit, ceu paſſim conſtat ex hiſtoriis Romanis; Verùm quando res inciduntmajoris momenti, Conſilium Status Imperii Romano-Germanici, ipſum deciderc non debet, ſed ſolùm ſubnexo voto Cæſari ac Ordinibus, emergens negotium fideliter referre, ut deinceps, in Comitiis, bono Publico concludi poſſit; Cujusmodi relatio etiam in antiquo Regimento obtinuit, prout apparet ex d. Receſſu de Anno 1500. Tit. Das Regiment

mag

mag die 6. Churfürſten ꝛc. Cæteroquin in regulâ facultatem decidendi Regimentum habuit, absq; relatione; at iſte Senatus Imperii, de quo in præſentiarum loquor, regulariter non debet habere jus ſtatuendi, ſed tantùm deliberandi, & deinceps, ad Imperatorem & Status Imperii referendi; periculum enim foret, ne ultra limites, conceſſio iſthæc tantæ poteſtatis extendi & toti Imperio, poſſet erumpere in nervum, ſi Conſiliariis Status, in regulâ liceret, Publica decidere, quoniam fortè nec res majoris momenti poſteà diſtinguerent, & ad exitium usque Reipublicæ authoritate creſcerent: ſin inverſo modo, regulariter deciſio, incidentium caſuum circa jus Legum ferendarum, belli, pacis, fœderum, uti debet, ad ipſum Imperatorem & Status Imperii, non verò ad Conſilium Status ſpectaret, nihil formidinis ſupereſſet, præſertim viſitatione, de quâ poſteà, ſtatis temporibus obtinente, ne in præjudicium Imperii, per rariusculam deciſionem, hic ejusmodi Senatus, altiores juſto ſpiritus ſumere tentaret.

Sed agam de his ipsis, paulò limatiùs, quousque nimirùm, Consilii Status, bono Publico, extendere se queat potestas ac functio; Primùm igitur, Publicè utile est ut Consilium Status quæ ad LL. ferendas, bellum, pacem, fœdera ac cætera Reipublicæ Romano-Germanicæ, Majestatis jura pertinent, pro circumstantiis diligenter atque cauté consultet. Deinde per majora, quæ etiam in Regimento locum habuerunt, collectam sententiã ad Cæsarem & Ordines Imperii deferat. Et sic tertiò præstat observari, cùm legatio aliqua ad Exteros mittenda venit, ut nimirum Consilium Status capita legationis sufficienter ante ponderet, utrum subserviant communi utilitati nec Imperio inde fiat præjudicium, nevé quis alius Rex exterus aut Respublica hinc offendatur, vel fortassis, planè initia ac semina belli spargantur. Quartò, ne qua Imperii nomine legatio, seorsim fiat, sine communi consensu Comitiali, debet attentè invigilare, ac existente casu etiam inhibere, præsertim verò de hac re, exterum illum Regem vel Rempublicam

desuper & quòd legatio non sit rata futura, nomine Imperii, certiorem reddere. Quintò, cùm periculum moræ adest, veluti si immineret ex morâ bellum vel irruptio hostilis, utile est ipsum pro tempore concludere, & etiam legationem Imperii nomine ad exteros mittere posse.

Alioquin & sextò, extra casus necessitatis, nec circa Leges ferendas, abrogandas, nec circa pacem, bellum, fœdera & similia, quicquam decidat, sed decisionem rejiciat ad Comitia. Septimò quando Cæsar ac Status Imperii, aut hi etiam invicem sese vi armatâ adoriuntur, ad Publicam tranquillitatem facit, Consilium Status, exercitibus utriusque partis interdicendi vim habere absq; relatione; In quam rem octavò Pragmaticâ sanctione Imperii cautum esse posset & ita etiam observari, ut omnes tàm Cæsaris, quàm Statuum milites & subditi, juramento hactenus devinciantur, ne contra Cæsarem vel ejus subditos, nevé contra quemcunque Statum Imperii, vel ejus subditos, sub Imperii tamen jure ac protectione versantes, sine communi consensu Comitiali,

tiali, vel etiam citra demandatam à Cæsare vel Camerâ Imperiali executionem, justitiæ, arma sumere vel unquam militare præsumant, sed si fortassis quavis de causâ idipsum contigerit per alios, quòd contra hos pro Cæsare vel Statu læso dimicaturi in subsidium accurrant, nec nisi jubente Imperio vel Consilio Status, adversus hos tales arma sumpta deponant.

Cujus rei utilitas & ratio manifesta est, cùm enim non pace modò Publicâ, sed etiam Instrumento Pacis, *art.* 17. *§. inibi*, interdicta sit in Imperio via facti vel vis armata adversus quodcunque membrum, & verò solæ Leges, ut supra est ostensum ac quotidiana desuper contestatur experientia, hoc ipsum in re & cum effectu præstare nequeant, profectò è Republicâ nostrâ erit, fundamentum civilis concordiæ in eo ponere ne milites partium, vel subditi, possint contra Cæsarem vel quemcunque Principem aut Statum Imperii arma ferre, & ad hoc ipsum adigantur, partim jurejurando & formidine pœnarum, partim præmiis, nec contra, sed tantum pro Republica quicquam

valeant

valeant id, quod inferiùs, circa materiam juramenti militaris pluribus deducendum occurret. Nonò, ne quis citra consensum Comitialem exercitus Imperii, contra exteros ducat, nevé eosdem sine consensu totius Imperii dimittat, intercedendi facultatem habere debet Consilium Status.

Decimò Duces ac milites Imperii, quòd parere velint inhibitionibus Consilii Status indistinctè, excepto solùm casu, quo Cæsar & Ordines Imperii communi placito contrarium concluderent, sive etiam casu quo Cæsar vel Camera Imperii demandâsset executionem, corporali juramento astricti sunto, istâ enim ratione contingeret, ut Consilium Status, quippe quod totum Imperium repræsentat, quantum ad jura exercituum, suâ intercessione satisconsulere posset Publicæ utilitati, nec tamen majorem justâ sortiretur authoritatem, cùm sc. contra Imperium eidem, vel hiscere non liceret.

Undecimò, ad Consilium Status pertinere debet executio justitiæ, in casu quo unius vel alterius supremi Dicasterii

executionibus fortean de facto resistere-tur, eoque nomine, militibus Imperii, uti sententiam latam, ad effectum perducant, injungendi facultas adsit, ratio, quia si Camera v. gr. regulariter demandet executionem, & pœna banni vigore Recessus Imperii de Anno 1654. §. Ob sich aber ein oder ander simul immineat, renitenti, rariores erunt casus, quibus imploratio Consilii Status ad assistendum habeatur necessaria, eoque idem hinc non cumularetur nimiâ potestate, sicut enim illi Principes Circulares, qui nostro hoc tardissimo exequendi modo, casu, quo pars condemnata resisteret, in subsidium vocati, nihil amplioris potestatis inde sibi arrogant, sive etiam usurpandi occasionem nanciscuntur, ita profectò idem contingeret Consilio Status propter rariorem eventum assistentiæ, si executio modo inferiùs allato susciperetur, & tamen justitia sic fortitura foret suum vigorem & effectum.

Duodecimò, Consilium Status, in mores subditorum Imperii benè habebit Censoriam inspectionem atque animadversio-

verſionem, cùm enim tot hinc inde in-
Receſſibus Imperii adinvenire liceat Po-
liticas Ordinationes, quibus varia, circa
venditionem mercium aliarumvé re-
rum, item circa rem monetariam, circa
reformationem luxus epularum & veſti-
tus, & id genus alia, optimè diſponuntur
ac præcipiuntur, tamen ad præſentem
uſque diem, vix ullibi locorum in Impe-
rio, his talibus totieſque reiteratis præce-
ptis ac monitis, utcunque vivitur, ratio
eſt, quia nemo Reipublicæ nomine, anim-
advertit in tranſgreſſores, eoque Leges
iſtæ, quamvis ſaluberrimæ, dubites, an ci-
tiùs in deſuetudinem quàm notitiam per-
venerint.

Jam quia ſumptibus, in hac re-
rum conditione, quantum licet, parcen-
dum eſt, adeoque cavendum, ne multi-
pliceutur officia Imperii, præter neceſſi-
tatem, certè hac in re Conſilium Status,
rectiſſimè defungetur, vice Cenſoriâ; uti
quidem conſtat quòd in Republicâ Ro-
manorum veteri, cùm adhuc vigeret Vir-
tus, ad corrigendos civium mores, mul-
tum contribuerint, Cenſores, ſed poſt-
quam illi ipſi ſuo officio vel defuerunt,

vel

vel certè amplioris fortunæ civibus, juxta illud; Dat veniam corvis, vexat censura columbas, connivere cœperunt, mutatâ priore facie, Asiaticus luxus Rempublicam invasit, ac sensim cum novo Regimine in præceps egit.

Apud nos hactenus, cura corrigendi mores subditorum Imperii per varias Constitutiones circa Ordinationem Politiæ latas, commissa fuit Magistratibus locorum, ut videre est ex Recessu de Anno 1500. Tit. Von Uberflüssigkeit der Kleider/ibi, Churfürsten / Fürsten und andern Obrigkeiten / was Würden / Wesens oder Stands sie seyn / bey Vermeydung unserer Ungnad und Straff ernstlich gebietend / daß Sie und Ihr jeglicher Ihren Unterthanen und Verwanden / bey zimlichen pœnen gebiethen / solch nachgeschrieben unser und deß Heil. Reichs Ordnung und Satzung der Uberflüssigkeit und Köstlichkeit halben ꝛc. festiglich zu halten und zu handhaben / idem repetitur *tit.* subsequentibus, & in Recessu Imperii de An. 1530. *tit.* Von unordlichen und köstlichen Kleidung / & similibus compluribus, nec minùs

nùs in Carol. reformatione *Polit. sanct.* de Anno 1548. & alibi. Sed reverâ friguit & adhuc dum frigescit in hodiernum usq; diem hujusmodi morum disciplina, non aliâ, ut puto, ratione, quàm quia studium Reipublicæ simul plerumque vacillat. Quapropter Consilium Status, inspectionem hujus rei commodè recipere posset, quippe, quod Publicæ utilitati, verosimiliùs & ex professo omnem intenderet nervum.

Veruntamen, cum ipsum, Consilium hujusmodi probabiliùs lateret, quid, vel à quibus hinc inde, in Imperio, diversis locis, contra positas Leges, sanctionesq; Politiæ, committeretur, pariter etiam nonnullæ causæ indigniores reperirentur, quàm ut Consilium Status, variis præsertim & arduis negotiis, occupatum, easdem sui faceret muneris, necessitas sanè exposcere videtur, ut per Imperium officiales & Præfecti locorum, huic eidem Senatui Imperiali, juratò promittant ac se devinciant, quòd violatores ejuscemodi Legum ad Politiam pertinentium, in his, quæ minoris sunt momenti, condecen-

decenter punire, in cæteris verò quæ altioris indaginis apparebunt, quorum utrumque genus, certo pœnæ modo, pro ratione transgressionis, definiri posset, factum cũ circumstantiis, sufficienter examinatum ad Consilium Status tempestivè remittere ac deferre velint. Aliter absq; dubio colerentur, Leges istæ Politiæ ac bonis majoribus latæ, cùm paratissima semper adversus contravenientes, pœnæ executio, in viridi easdem memoriâ, ubique conservaret, cum nulla conniventia, ut hactenus! vel facilis venia delictorum, promitteret impunitatem.

Decimò tertiò Consilium Status rectè sortietur ærarii Publici custodiam & inspectionem; antiquitùs constituti Publici Nummularii, eorumque adjuncti scribæ, fidem suam Regimento Imperii obstrinxerunt, eidemque etiam, suæ functionis rationes reddiderunt, prout apparet ex Recessu Imp. de Anno 1522. §. **Und soll demnach**, & sanè permultùm interest Reipublicæ quemadmodùm & ad quos usus pecunia Publica collocetur, si enim Imperii proventus vel collectæ, pri-

privatorum crumenas, sub specie debitæ functionis adimpleant, quid aliud inde eveniat, quàm ut Reipublicæ seu bellica, seu togata munera suis destituta nervis languescant? Cum primis hodiè apud nos Germanos, qui difficulter admodùm pecunias contribuimus, neglectui esse non debet ea res; quanquam enim Sacræ Cæsareæ Majestati, quin pro commodo Publicæ salutis, contributiones Imperii collatura sit, vel quadantenus diffidere nefas meritò existimetur, ob quam causam etiam nonnulli, cùm nomine collectarum rectè impendendarum assecurationem à Cæsare efflagitassent, à cæteris Statibus exprobationem retulisse feruntur, tamen æs istud ex diverso capite per alias manus non usque certas ambulare, aut saltem in Imperio, apud eos præsertim, quos affectus habet sequior, ulterioris diffidentiæ ac discordiæ materiam suggerere posset, eoque satiùs est, rem pecuniariam Cæsaris ac Statuum, quatenus nimirum ad Publicos Imperii usus, necessitatesvé belli vel pacis pertinet, referri ad functionem vel saltem inspectionem

Consi-

Consilii Status, exemplo isto, cujus modo feci mentionem, prisci Regimenti, an autem & quales debeant esse exactiones Publicæ de eo dicendum videtur commodiùs, infrà circa materiam ærarii.

Porrò quoniam difficile est, ut Consilium Status, ipsum per Imperii Provincias exigat Publicas functiones immediatè, necessitas suadet, constitui in singulis Circulis, certos vel singulos saltem exactores, eósque juramento obstringi, quòd Consilio Imperii, quoad concreditum officium, sese præsituri sint fideles, maximè verò quòd in exactionibus ærarii, quas vulgò confuso nomine fiscales etiam vocant, omnem adhibituri sint diligentiam, tum si qui fortè distulerint solutiones, de hoc ipso, Consilium Status, tempestivè sint reddituri certiùs, suæque gestionis eidem exposituri rationes, sicitaque etiam huic rei sufficienter foret provisum, quod ut eò meliùs observetur, consultum est hos tales exactores esse Arithmeticarum rationum peritos, & alioquin existimationis integræ, **rechnungs-verständige und ehrliche Leute**/ hinc in *d. Recess.* de Anno 1522. &

d. §.

d. §. **Und ſoll demnach ꝛc.** dicitur **ein geſchickter/glaubhafftiger und redlicher Zahlmeiſter und Gegenſchreiber.**

Cæterùm ad hanc rem optimé conducet, ſi exactores illi rationes ſuas quotannis exponant Conſilio Imperii ac deficientem fortè ſummam extemplò perſolvere cogantur, deinde, cum Conſilium Status non ut Dominus, ſed miniſter tantùm Regiminis Publici adſit, convenit ipſum quoque hac de re toti Imperio reddere rationes. In *d. §.* **Und ſoll demnach ꝛc.** hoc negotium, quoad Regimenti rationes rejicitur, ut pleraque ſolent, ad Comitia, ſed utilius videtur, cùm Comitia Imperii, alioquin copiam habeant deliberandorum, etiam interjecto tempore, Cæſarem & Status fieri deſuper certiores, ut vel extra Comitia fortean ope cujusdam deputationis communiter placitæ, vel certè habitâ jam præ deliberatione, in Comitiis, abſq; ambagibus hæc rationum Publicarum expoſitio quantocyùs expediri poſſit.

Decimo quartò, in his, quæ per commune concluſum placuerunt in Comi-

tiis, Consilium Imperiale servato ubivis condecenti respectu sese interponet, ne diu præsertim in præjudicium vel Cæsaris vel cujusvis Principis aut Status suspendantur ab executione, nevé si plenariè decreta non fuerint, cùm tamen in Comitiis placuisset plenè decidi, per multos annos jaceant intacta nec expedita; hoc ipsum enim, incredibile est, quantum alat Cæsaris & Ordinum inter se discordiam, cum hi nimirùm, vel aliqui ex illis, desideria sua de Comitiis in Comitia protrahi animadvertunt; quod si haberemus Consilium Status, tali casu ex officio intercessurum, nihil formidinis esset, ne propter succrescentem subinde diffidentiam Capitis & membrorum, vel horum etiam inter se, eâ de causâ, in Imperio exoriretur tumultus; in nostrâ autem hac rerum facie, quis est, qui inficietur, dehinc perveniri posse ad arma civilia?

Sanè durantibus hisce Comitiis illi Status, qui moderationem Matriculæ per tot annos, imò quorum majores jam seculum sese moderandos esse nec obtinere posse, conquesti sunt, tùm illi etiam, qui

qui ex Instrumento Pacis nondum nacti sunt restitutionem, vel quos alioquin malè habet, complacitam in Instrumento Pacis perpetuæ Capitulationis conventionem, nec Comitiis proximis, ad quæ rejecta fuerat, quin ne nunc quidem decisam, hi sanè inquam, priusquàm istis gravaminib⁹ suis ac desideriis satisfiat, manifestè sese declarârunt, haud fore in Imperio firmã animorum unionem. Etsi verò prout paulò superiùs dissérui, pro nupero periculo patriæ, hæc eadem res, præsertim in modum puncti præjudicialis, ante defensionem Reipublicæ decidendi, non satis commodè mota, quin etiam unio Imperii, ex his mediis, præcisè sumptis non sat firmiter coalitura videatur, tamen enixè danda est opera, ut quantum fieri possit, minimum relinquatur, inter Cæsarem & Status Imperii discordiarum, eoque præsertim aptiori, quietiorique Reipublicæ tempore, sollicité laborandum, ut Statuum querelæ atque gravamina, debitam sortiantur decisionem atque executionem, quod profectò faciliùs aut commodiùs fieri nequit, quàm si ejusmodi Con-

di Consilium Imperiale, non propter privatum interesse, sed ex officio Publico, cujusque membri Imperii, intercedendo curam suscipiat.

Cæterùm quemadmodum hoc præstiterit, sine facultate decidendi, quam suprà ostendi non expedire Reipublicæ Romano-Germanicæ eidem concèdere? an persuasorio modo utetur? Certé difficile est, & Majestati minùs respondet, ut Cæsar & Status Imperii reliqui, à Consilio Status, ad aliquid decidendum, quasi compellantur; ex altero verò capite, ut modò est deductum, Publica exigit utilitas, ne Statuum gravamina, velut in æternum maneant indecisa. Itaque hoc remedium supereſt, ut Consilium Status desideria ac læsiones singulorum Ordinum, quatenus jus Publicum concernunt, ad Cæsarem & Imperium, certis temporibus ac vicibus humilimè admonendo deferat; quòd si nulla subsequatur decisio, illud relinquitur, ut ipsum debeat lapso tempore, quod prævia Pragmatica sanctione exprimere liceret, sine morâ posse decidere, ratio est, quia Cæsar

sar & membra Imperii, viderentur hoc casu tacitè permisisse Consilio Status decisionem, sive etiam executionem, quippe cùm per tempus Legis tunc quievissent; nec hoc in casu ad Consilium Status abdicativè, ut loquuntur, sed cumulativè tantum, hujusmodi spectaret decisio, simulque liberum maneret, toti Imperio, pro rei pondere suscipere cognitionem.

At enim objicies fortassis, saltem in his, quæ Imperium respectu suarum partium ad se invicem concernunt, Consilio Status, concedi regulariter oportere, decisionem, ex ratione, quod eatenus hæ causæ habendæ, videantur pro privatis, quas ipsas, quoniam & Aula Imperialis & Camera regulariter decidunt, cur non etiam eandem autoritatem, huic Consilio Status, quòd non minùs ac illa Tribunalia justitiæ totum repræsentaret Imperium, regulariter contribuendam judicamus? Repono magnum admodùm inter hæc versari discrimen, nam causæ illæ, quæ ad forum justitiæ in Imperio supremum spectant, sunt simpliciter contentiosæ jurisdictionis, concernuntque

Statuum ac ſubditorum Imperii, privatos contractus, debita, teſtamenta & ſimilia, at in his, de quibus ago, negotiis, longè aliter ſe res habet, nam ſi v. gr. Elector Saxoniæ ſumptus quondam in bellum Gothanum & expugnationem fortalitii Griñenſtein Imperii nomine factos, repetere voluiſſet, coram quo judice hoc jus ſuum deduxiſſet? an in Camerâ? at Camera, ut puto, reverita fuiſſet eſſe judex ipſius Imperi, quod hoc in caſu utraque parte junctim acceptâ non modò totum litigâſſet, ſed etiam in causâ Publicâ.

Diſtingui tamen poſſe videtur, quia cauſæ quædam aliqualiter apparent Publicæ ratione qualitatis, quanquam non verſentur inter totum Imperium, vel Imperium ex majori parte, quales non malè committi viderentur Conſilio Status, ſic ſe res habet, v. gr. quoad punctum reſtituendorum cujus deciſio, ſi modo prædicto, ſubdita fuiſſet Conſilio Status, fortaſſis non ſupereſſent iſtæ, quæ nunc exaudiuntur, ſuper hac re querelæ; In Receſſu Executionis, de Anno 1649. §. Damit nun ſolches/ ſtatutum eſt certis Imperii de-

rii deputatis, hoc negotium debere committi, quòd si ab his pro ratione ejus temporis, expediri quoad omnia nequeat, ad Principes Circulares ulterioris indaginis gratiâ remittendum esse, sed adhuc, ut & alia, quæ ad deputatos ac deinceps Ordine quodã, protelationis ad Circulos transferuntur, desiderat ultimã manum.

Hos igitur & id genus similes casus, Publica concernentes, quibus præsertim Ordinum Imperii interest, non in infinitum, protrahi decisionem, iniquum est planè non decidere, periculosum verò jus statuendi, in iisdem simpliciter deferre Consilio Status, itaque idem Ordinariâ potestate, post lapsum tempus Legale, debet se interponere ac decidere posse, suo modo ad exemplum illud, quo in causis privatis, Camera Imperialis, propter justitiam protractam, decernere solet Promotoriales, illisque ad decidendam litem præfigere certum terminum, intra quem nisi sequatur decisio, lis ad Cameram devolvitur; nam licet inter hanc devolutionem ad jurisdictionem Cameræ, & illam, quæ fieret in Publicis gravaminibus ab Imperio ad

Consilium Status, magna intercedat discrepantia, dum nempe Cameralis illa devolutio, à judice inferiore, ad Ordinarium superiorem, hæc verò contra, ab ipsa Majestate ad constitutũ magistratum, similiter illa privativè, hæc verò cumulativè contingat; itẽ in illâ terminus ex arbitrio judicis, in hac verò à Lege statueretur, tamen in illo tertio comparationis, eademque suffragante æquitate, ne sc. incidentia negotia, cum nocumento Statuum vel aliorum, quorum interest, contra fas & æquum, maneant indecisa, optimè conveniunt, eoque ut in Promotorialibus, lapsus termini præfixi, sic in devolutionibus gravaminum Publicorum ad Consilium Status, Lapsus termini Legalis, ulteriori protractioni declinandæ deserviret in remedium.

Dixi verò expedire, uti tempus hoc exprimatur judicio Legis, nempe sanctionis alicujus Pragmaticæ in Imperio, quia, quæ verecundia esset, si Consilium Status ex arbitrio vel quasi pro authoritate, ipsi Imperio ad decidendum gravamina, præfigere posset terminum? Econtrario, cum

cum Imperator & Ordines, Publicâ utilitate moti, hoc ipsum Lege Imperii sanxissent, nempe in casum, quo Status circa Publica sese gravatos quererentur, nec habitâ notitiâ, intra certum tempus subsequeretur decisio Imperii, tunc Consilio Status cognoscendi ac decidendi fore facultatem, profectò emergente casu, Consilium Status, Legis, non suâ authoritate, Publicum, vel cujusque Ordinis in Publicis proprium interesse, observare, ejusque curam in se suscipere censebitur.

Denique ac decimò quintò penes Consilium Status, versari debet, universarum Legum ad Rempublicam pertinentium, communique suffragio Comitiali positarum sarta tecta custodia, reverà enim ita est, prout apud Thucydidem differit Cleon Athenienſis, melius agi illâ cum Republica quæ qualescunque Leges suas, in viridi teneat observantiâ, quàm cum illâ, quæ optimis quidem suffulta sit Legibus, eas tamen susq; deq; habeat; Certè ad nos Germanos hoc idem, hodiè haud insulsè traduxeris, quippe quibus bonæ quidem non infrequenter

contingunt Leges Politicæ veluti circa pacis Publicæ defensionem, circa acceleracionem Processuum; &c. si autem usum respicias atque exercitium, nihil minùs cernere licet, quàm has easdem tam providas Leges, studiosâ observantiâ coli. Ob eam itaque causam nevé Leges Publicæ, magnâ lucubratione, communique Cæsaris & Ordinum placito Comitiali excogitatæ atque sancitæ, facili quâvis occasione, obsolescant ac in desuetudinem abeant, necessarium est, ut huic rei invigilet, suasque partes interponat, Consilium Imperiale.

Probabile est autem, si hactenus extitisset Consilium Status, non irrupturam antehac fuisse, magno Reipublicæ damno, v. g. confusionem illam ac deteriorationem monetariam, quæ quantum intulerit nocumenti, si ex nullo alio, certè hinc cognoscere possumus quod sic tot litigiis & mandatis de solvendo residuum, quæ adhuc dum magnâ frequentiâ in Camerâ Imperiali aguntur, multorumque ferè totam substantiam, suspensam tenent, ansa & via fuerit adaperta. Quinimò

Status

Status Imperii toties invigilare solent ac desiderare, uti Capitulationibus Cæsareis inter alia inseratur, cuncta secundùm Leges Imperii actum iri, suaque privilegia, qualia sunt v. g. privilegium primæ instantiæ, electionis, de non evocando, de non appellando &c. fore sarta tecta. Quoniam igitur hoc in se non sufficit, sed ipse effectus requiritur, omninò ad Consilium Status pertinere debet, ut sit sollicitum, ne quid toleretur, Legibus cõuni nomine latis, aut Imperatoris vel Statuum juribus adversum, cumprimis verò uti Leges fundamentales v. g. A. B. Capitulationes Cæsareæ & similes, semper sint & habeantur in viridi obsetvantiâ.

Quæris verò de modo? respondeo, non negandum videri difficilem, verùm, quia in omni Republica Consiliarii, ministeriale auxilium suum tutius læsis afferunt, præsertim de summa potestate participantibus, ne alioquin Pax & salus Publica, tanquam scopus Rerumpublicarum eludatur, hinc sentiat Consilium Status cum Imperatore & Ordinibus, quatenus cujusque interest, servari Publicas

Leges,

Leges, ob illamque rationem, in casu civilis seditionis, violentiæ, aut societatis de facto, vel contra Imperatorem vel contra quemvis Ordinum initæ rectè utique & Instrumento Pacis conformiter fieret, si nomine totius Imperii militibus, subditis, aliisvé ministris, partium belligerantium, vigore jurisjurandi & sub pœnâ banni, præciperetur armis desistere; ratio aut enim non sunt ferendæ hujusmodi Leges viam facti prohibenres, aut servandæ, cujus quidem rei remediũ penetrantius adinveniri haud poterit, quàm si cura Pacis Publicæ demandetur Consilio totum Imperium repræsentanti, quod in extremo casu, pro parte læsâ adferre possit, armorum Imperii subsidium; uti quidem constat etiam veteri Regimento fuisse potestatem defendendæ Pacis Publicæ, imò Camera Imperialis etiam pro præsenti rerũ facie solet decernere mandata in hujusmodi casibus S. C. de avocando militem &c. quæ tamen dirigun-
tur, plerumq; non ad exercitus, sed ad Ducem exercituum, quoniam autem hoc tali remedio, ipsi milites non cohibentur,

quò

quò minùs ſuum ſequantur Ducem, ipſe verò, multoties Proceſſum ſuſtinet, ob eam cauſam, melius eſt, Publico nomine, hoc tali caſu, ſub ſeveriſſimis pœnis poſſe avocari ipſos milites; quòd ſi non vi armatâ exteriore, vel facto proprio, ſed tantùm decreto, diplomate vel ſcripto quicquam committeretur, contra Imperatoris vel Statuum Jura, utiq́ue Conſilii Status foret, admonere ac rem differre poſſe ad Comitia & judicia totius Imperii cum voto, re interim ſimili modo, ne cui noceat, ſuis effectibus ſuſpensâ; potuiſſet v. g. etiam circa Edictum Ferdinandeum, de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis latum, forſan res componi, inq́; meliorem partem converti, ſi habuiſſemus tempore fœderis Lipſiaci Conſilium Status, non quaſi hoc idem caſſare potuiſſet, illud Edictum ſed quod ad Comitia Imperii negotium diſtuliſſet, ac media compoſitionis, bellum civile declinantia expoſuiſſet, nemine interim viâ facti lædendo, ſanè veroſimile credideris, quòd hiſce præ viis nec proteſtantes invicem in fœdus, contra Imperatorem coiiſſent, nec Sue-

Suecus in Imperio adusque viribus ac potestate proficere potuisset. Sic plena est tota antiquitas hujusmodi historiarum, quibus intestina bella, ob neglectas Publicas Leges, patriam nostram enervârunt; sin viguisset Consilium Status, huic malo prædictâ suâ intercessione potuisset forsan remederi, ac materiam vel occasiones belli intestini salutaribus Consiliis præscindere. Apparet igitur, Consilium Status Reipublicæ Romano-Germanicæ esse necessarium, quæque debeat esse ejusdem functio.

Porrò quoniam Consilium Status, circa tam ardua versatur Imperii negotia, altera jam succedit quæstio, quibusnam personis, tantam rem committere publicé expediat, vel quæ ea sint requisita, ut quis condignè in Consiliarium Status eligatur? In Recessu Imperii de Anno 1500. electi sunt certi Principes ac Status Imperii, qui subirent munera ac functiones Consilii Status, per vices, adeò ut inter se modo præscripto alternarent, ceu patet ex *tit. d.* Recessus, **wie zwantzig Personen/ꝛc.** ubi tamen adjicitur, **die andere**

dere sechs Personen / die von der Ritterschafft / Doctorn oder Licentiaten / seyn aus sechs Creysen zunehmen ꝛc. Ex quibus licet colligere, primò quod non inter omnes Imperii Status alternatio illa valuerit, nam fuit ista communicatio Consilii Status Lege Publicâ, certis tantùm delata, inter quos obtinuit subalternatio, cæteris Ordinibus exclusis; nominatim competiit omnibus Electoribus, duodecim Principibus, quatuor Prælatis pervices', uni Comiti, certarumq; urbiũ Deputatis.

Secundò quod Regimentum vetus' constare etiam potuerit ex doctis personisque gradu insignitis, sic tamen, ut hoc ipsum non fuerit necessarium, nam in verbis illis non disponitur sex illas personas, debere præcisè Doctores esse vel Licentiatos, sed additur tertium, nempe nobilitas; itaque si ex circulis præscriptis sex electi fuissent nobiles, licet nec docti nec graduati, Legi erat satisfactum, nec requirebatur', uti adessent viri doctrina insigniti, & hæc quidem constitutio vigore *d. Recess.* solos Electores exemit necessitate personaliter comparendi in Regimento, quip-

to, quippe qui ſuum ſinguli conſtituebant Regimenti Conſiliarium.

Sed poſteà per Receſſum de Anno 1524. §. Und nachdem ꝛc. hæc Electoralis prærogativa etiam Principibus ac Prælatis, Regimenti commembris, fuit communicata, ſic tamen, ut certo ibi præſcripto Ordine tam Electores quàm cæteri Status participes, de uno ad aliud trimeſtre, per vices perſonaliter comparere tenerentur. Cæterùm cum hâc ratione ex duplici perſonarum genere Regimentum conſtitiſſet, nempe vel ex Statibus vel ex privatis, ſi quidem Statuum aliquis, vitâ exceſſiſſet, vel alioquin morbo ad Regimentum inhabilis factus eſſet, ex Circulo, ſub quo is comprehendebatur, alius ſimilis conditionis ac dignitaris eligi debuit; ſin privatus, officio valedixiſſet, vel mortuus fuiſſet, aliam perſonam habilem ex eodem Circulo, in locum vacantem, quàm ocyſſimè oportuit ſubſticui, ut indicat Receſſus iſte de Anno 1500. tit. Ob der zwölff erkieſten Fürſten ꝛc. & tit. Ob einer von des Reichs-Räthen ꝛc. Ad hunc igitur modum & ex his perſonis, ut

ut dixi, antiquitùs constitutum fuerat Regimentum.

Quales verò Consiliarii à Statibus surrogati esse deberent, non adeò exprimitur, tantùm asserit *d. Recess. tit.* Wo die Erwehlten ꝛc. in casu, quo Consiliarius electus, detrectet suscipere hujusmodi vices, sollen Ihr Käys. Maj. und des Reichs-Räth ein andere redliche dapffere Person/ an statt/ doch ihres gleichen erwehlen und nehmen/ aus dem Creyß/ deß die vorerwehlte Person gewesen wäre/ *& tit.* Ob einer von des Reichs-Räthen ꝛc. casu decessionis vel resignationi; sollen die sechs Churfürsten/ so es ihrer einen oder mehr betrifft/ in zweyen Monathen den Nächsten jeder seines abgangenen oder abgestandenen statt ersetzen; Betreff es aber der andern zwölff Personen einen/ an derselben statt sollen wir/ oder der/ so an unser statt sitzen wird/ samt gemeltem Reichs-Rath in N. Zeit förderlich aus dem Creyß/ Landschafft oder Stätt/ daraus der abgangen oder abgestanden gewest wäre/ ein andere redliche verständige Person erwehlen und nehmen ꝛc.

Postquam autem per d. Recessum

de Anno 1524. excepto competenti trimestri liberum fuit Statibus, assidere Regimento in personâ, vel per subordinatũ, regulariter desiit, substitutio in locum vacantem, esse penes Regimentum, sed eidem tantum competiit, in casu quo Elector, Princeps, Circulus vel Status, suis vicibus functurum, neminem subordinâssent in Regimento, quia hoc casu negligentiæ, adhuc dum licuit Regimento, suas circa surrogationem loci vacantis, interponere partes, uti videre est ex Recessu de An. 1533. §. Zum andern / circa *fin.*

Verùm enim verò hæc talis Regimenti veteris constitutio, multas secum traxit difficultates, primò quòd hâc ratione summa rerum in Imperio, reipsâ transiverit, ad aliquos Status exclusis cæteris; dum nempe tantùm sex Electores, duodecim Principes, quatuor Prælati, unicus Comes, certique Circulorum ac Urbium Deputati, negotia Publica in Regimento tractârunt, deliberârunt ac deciderunt; verba sunt profectò magni ponderis, atq; indaginis, in sæpè d. Recessu de Anno 1500. *tit.* Von deß Reichs-Regiment / Mache

Macht uud Gewalt/ ibi, ordnen/meynen/ ſetzen/ und wollen wir / daß alle die Ordnung und Articul / ſo zu vergangenen Reichstägen auf die Jährliche Verſamlung geſetzt geweſen ſind / nun hinfüro in allermaſſen auf dem vorgenanten Reichs-Regiment ſtehen ſollen / wie die hiebevor/ auf dem Jährlichen Verſamlungen geſtanden ſind / alſo daß nun hinfüro das verordnet Reichs-Regiment alles und jedes/ darin zu handeln / zu thun / zu laſſen haben ſoll/ daß die Jährliche Verſamlung zu thun gehabt hat oder halten ſolt.

Quicunque igitur Status excludebatur à Regimento, per quandam conſequentiam, etiam excluſus fuerat à participatione Reipublicæ; nec ſatis eſt, ſi fortaſſis excipiatur, totum Imperium contuliſſe hanc poteſtatem in Regimentum cumulativè, ſive ita, ut nihiloſeciùs negotia Publica ab ipſomet potuerint peragi, nõ privativè, quaſi eo ipſo univerſalia Cõmitia, ſimpliciter fuiſſent ſublata; conſtat enim, inprimis ardua debuiſſe à Regimento ad univerſales Imperii conventus remitti; prout legimus circa Conſtitu-

tionem Regimenti *d. Receſs.* de An. 1500. *tit.* Das Regiment mag die ſechs Churfürſten ꝛc. inibi, merckliche Sachen / die Chriſtenheit / deß Heil. Reich / deß Friedens / ꝛc. höchlich betreffen: & ibi, ſolches an unſere ſechs Churfürſten bringen / ꝛc. auch die zwölff Geiſtliche und Weltliche Fürſten bringen ꝛc. Die dann bey uns / ꝛc. zu unſerm und des Heil. Reichs Nutz und Beſten handeln und beſchlieſſen.

At verò difficile eſt admodùm, ut hâc in re cauſas arduas, ab his, quæ minoris ſunt momenti, conſtitutum Regimentum, ubiqúe diſtinxerit, ac non promiſcuè, easdem ſuarum feçerit partium, quo accidente in membris excluſis, ipſam periclitari Rempublicam neceſſùm erat; deinde jus convocandi Comitia univerſalia, propter emergentia graviora, non fuit penes reliquos illos Status, Regimenti communicatione exemptos, ſed penes ipſum illum Senatum Imperialem, uti patet, ex Text. *d. Receſs.* de Anno 1500. *& tit. modo allegat.* adeoque cæteri illi Ordines Imperii, niſi Regimentum conſenſiſſet, non habuerunt exercitium voti in Publi-

Publicis, sed eo ipso, dissentiente, nec Comitiis ansam dante Regimento fuerunt reipsâ suspensi, quis igitur esse poterat vel adhuc posset, aptior proniorque ad inducendam Imperii Oligarchiam modus, quàm tale & cum tantâ potestate constitui, multis Statibus exclusis Consilium Imperii; quippe ut alia, sic inprimis jura Publica in exercitio consistunt, ac tamdiu competere percensentnr, quousque his ipsis, emergente casu, liberè liceat uti; quòd si ista facultas ad alienum restringitur arbitrium, desinit etiam, pedetentim obsolescit, ac in speciem servitutis, pertransit haud obscuram.

Id cùm videat *Hippol. à Lap. Dissert. de Ratione Status pag. 3. cap. 5.* huic inconvenienti novum remedium adhibere satagit, nempe vult, vetus Regimentum debere quidem restitui, hoc est, summam rerum gerendarum certis Imperii membris debere committi, cùm exclusione reliquorum, sic tamen, ut participatio Regimenti, inter Ordines Imperii, alternis haberetur vicibus, exemplo illo, quo visitationes Cameræ, per LL. Publicas, inter eosdem debent

alternare; Cæterùm hâc ratione illud in commodum quidem, declinari perſuaſum habeo, quod nemini Statuum, jus Comitiorum, ſic facilè omninò interverti poſſit, dum alternante uſu, idipſum prohiberetur, ſed ex diverſo capite, aliud exinde incurrere malum neceſſum foret, nam iſta viciſſitudo efficeret, ut promiſcuè Statibus Imperii, ſeu providis ſeu minus, ſive ad res gerendas conſilio venire ſive impetu præcipiti ferri ſuetis, dummodò quemque ordo tangeret, Reipublicæ utilitas ac ſecuritas, concredi deberet; jam verò ſeu aliqui Status ad Rempublicam gerendam non ſint ſatis idonei, ſeu habeamus omnes cautiſſimos, nunc temporis & optimos Imperii Ordines nemine excepto, ſanè contingere poſſet, ut tempora mutarentur, ac ſequior ſuccederet ætas, hac Regimenti conſtitutione Imperium peſſundatura.

Ita ſæpè admodùm gaviſus eſt Annibal, cùm novum ex variatione Regiminis Romani haberet oppoſitum hoſtium Ducem, inprimis eo tempore, quo ab Attilio & Cneo Servilio Conſulibus, qui

qui Fabianis artibus bellum gesserant, ob cautam ludificationem integræ ætatis, ad magnam rei frumentariæ penuriam adactus fuerat, sic ut teste Livio, nî nova Comitia Consularia spem fecissent melioris fortunæ, eoque ipsum retinuissent, ex Italia retrocedere, necessitate perurgente statuerit; ac non multò post effectus arrisit, dum Terentii Varronis, novi Consulis furor, ad Cannas insignem præ cæteris Annibali victoriam, Romanæ Reipublicæ miserabilem & valdé periculosam cladem, attraxit. Opinor hodienum fore, ut Turcæ vel alii hostes qui præsertim arcana Imperii sedulò rimari solent, prout diversos Imperii Status, ordo Regimenti contingeret, conquiescerent, aut fines Germaniæ, illato bello, popularentur, quòd si iidem nossent, quovis tempore similiter invigilari Reipublicæ, verosimilius est, multa ob desperationem successus, ne tentaturos quidem.

Non igitur præstat, constitui in Imperio Consilium Status, similis planè potestatis & ex iisdem personis cum veteri illo

illo Regimento, sc. quia utrobique, sive alternatio quædam personarum quoad hanc tantam potestatem admittatur, sive non, sed certis electis continuò eadem deferatur, relevantes admodùm obstant rationes, ac impedimenta nunquam satis amovenda.

Cui accedit, quod hodierno etiam tempore, Publica utilitas, pro diverso per vices imperitantium ingenio, ad privatum commodum facilè possit inflecti ac detorqueri; nec enim credibile est, ubi unicuique ferè, ut suprà brevibus deduxi, peculiaris habetur Ratio Status respectu sui Territorii, ibi peræque, quicunque etiam Reipublicæ gubernacula teneat, ad omnes Statuum ditiones extensum iri, curam atq; custodiam, pone e. gr. expedire Imperio, vel esse ex Majestate ejus, ut contra vicinum aliquem bellum decerneretur, si Status, eidem contermini, Regimento Imperiali, tùm temporis assiderent, provisione quadam privatâ suarum Regionum, credideris dissuasuros esse bellum, ac illud, quicquid etiam Publica utilitas exposceret, impedituros.

Deniq

Deniq; non est utique vanus labor, consulere quid publicè, pro re præsenti expediat, an bellum & quousque commodo Publicæ salutis gerendum, an & quando pax componenda, quod cum quo fœdus pangendum, quæ LL. ferendæ &c. sed in his ac similibus aliis, omninò desideratur judicium ac prudentia; at si Consiliarii Status non eligerentur, sed ipsi constituerentur Ordines, vel omnes indiscriminatim suis vicibus, vel quidam ex illis cæteris exclusis, verendum sanè esset, ne hi vel illi Consiliarii Ordinum huic rei Deputati, minùs idoneam navarent operam atque solertiam; ratio est, quia ut paulò superiùs dixi, ipsis Ordinibus Regimenti Commembris, licuit suis vicibus defuncturos delegare Consiliarios; quoniam itaque hæc delegatio non communi omnium suffragio, sed hujus vel illius Status arbitrio fit, quâ in re sæpè favor præferre indignum potest, profectò Reipublicæ inde satis non videtur prospectum.

Quapropter pro maximâ in Imperio Romano-Germanico, sumendum

est, Consilium Status, non constitui debere ex Ordinibus vel membris Imperii ipsis, hoc est ex Principibus vel dominis Regimini præpositis, **von Regirenden Fürsten und Herren / die Stänndt seyn und ihr abgesondertes** intereſſe in Publicis **haben** / ex altero autem capite, & quoniam periculosum, vel saltem multis incommodis obnoxium foret, tantam in Publicis potestatem, quantam antiquitùs Regimentum usurpavit, privatis, qui ex suâ personâ planè ad consortium Reipublicæ non pertinent, concedi atque committi, cautela de restrictione Consilii Status, superiùs expositâ, illud nimirum, saltem consultandi de Reipublicæ negotiis, non decidendi facultatem nanciscì regulariter oportere, huic rei satis superq; provideret, nam exceptionem additam, quod sc. in casibus moram excludentibus, veluti hostilis irruptionis & similibus, Consilium Status, nec expectato Comitiali concluso, debeat decidere posse, ipsa necessitas, ac manifesta Imperii utilitas omninò exposcit, quippe si etiam tunc illud ipsum, donec Cæsar & Ordines, conveni-

venirent, de incidentibus negotiis deliberarent ac deciderent, vinctas manus habere, ac conquiescere deberet, occasiones rerum commodo Publico gerendarum, sive etiam mali imminentis avertendi, planè interim elaberentur.

Ex quibus apparet, Consilium Status, de quo hactenus egi, à veteri Regimento, duplici inprimis ratione, discrepare, atque dignosci, primò ratione potestatis, dum Regimentum antiquum regulariter de cunctis ad Rempublicam pertinentibus habuit vim decidendi; Consilio verò Status, nuda quadrat, per regulam consultatio; Deinde ratione personarum, dum sc. Assessores quondam Regimenti, fuerunt vel Status Imperii, vel saltem à Cæsare sive Statibus aut Circulis seorsim deputati, è contra Consilii Status Assessores, si quidem cautè & ex utilitate Imperii constitui deberent, sumendi essent ut plurimùm privati, quorum non interesset an huic vel illi Principatui præ cæteris benè sit. Unde non excludendæ, sed cæteris paribus omninò præferendæ sunt hac in re, familiæ Imperii Illu-

rii Illustres, videl., quia multi sunt Principes appanagio, ut vocant divisi, abgetheilte Fürsten / in quibus viget altitudo animi, qui profectò commodè accerserentur ad munera Consilii Status, ac etiam sumptibus inde sublevarentur.

Porrò quod ad ipsos constituentes attinet, è Republica fortè esse dixeris, jus præsentandi Consiliarios Status, cum proportione se habere ad jus præsentandi Assessores Cameræ; adeò, ut quâ ratione præsentatio Assessorum Cameralium, Cæsari, Electoribus ac Circulis competit, eadem etiam, præsentatio Consiliariorum Status ab iisdem exerceatur; Cæterùm, cùm tanti interfit Reipublicæ quibus viris hoc munus deferatur, nevè quis ad idipsum per gratiam fortè vel sordes ascendat, consultum est Imperatoris ac Statuum, ad eoque totius Imperii nomine, insignes aliquos prudentiâ & authoritate viros, præstito anteà juramento de indignis non confirmandis, ad confirmandos præviâ explo-
ratione Consiliarios præsentatos, deputari seu delegari, qui deinde, quod Sacræ Cæsa-

Cæsareæ Majestati, ac Imperii Statibus junctim, in Publicis functionibus, fideles sese sint præstituri, juramento corporali sese devinciant.

Quale verò hoc esse debeat, non est operæ pretium, multis sollicitè disquirere; satis cautè sese habet formula illa juratoria, quâ toti Imperio, Assessores quondam Regimenti fuerant devincti; extat illa in sæpè *d.* Recessu de An. 1500. *Tit.* Deß Regiments-Räth Ayd / ac directa est in genere ad fidem erga Imperatorem & Ordines junctim, ad diligentiam functionis, simul etiam ad silentium arcanorum; ac fidelitas quidem erga totum Imperium, Caput sc. & membra ejus, ideò necessaria est, quoniam Consiliarii Status ministri esse debent & vigiles Reipublicæ solliciti, non domini, nec sibi vel suo comodo, deliberant, referunt, vel etiam, emergente periculo moræ, decidunt, sed Reipublicæ; diligentia verò tantarum rerum consiliis ac functioni, omninò etiam adesse debet; maximè autem, deliberationum, vel placitorum, desideratur taciturnitas, etenim vel prudentissima.

sima Consilia, incauta divulgatio frustrari solet eventu.

In specie juramentum prædictum, ad omnia & singula functionis Consiliarii Status capita, de quibus paulò superiùs disserui, ut quondam Regimenti formula juratoria debet referri, ac concipi. Cæterùm ulteriùs videndum est, quales esse debeant, qui ad Consilium Imperiale, de quo hactenus, veniant assumendi; Hæc res omnium optimè patebit, si consideremus negotia, à Consiliariis Status expedienda, ob eamque etiam causam functio Consilii Status præmissa est; in genere igitur dici potest, constare hujusmodi officia Publica in duobus, nempe ut Respublica ritè gubernetur tempore pacis deinde etiam ut rectè sese habeat tempore belli, de quâ utrâque administratione, graviter disserit *Cicero in Offic.* ubi concludit illam huic præferendam esse, quo intuitu etiam Demosthenes Orator, *in Orat. contra Ctesiph.* operosè contendit, suas res gestas, non minùs profuisse Reipublicæ Athenienſium, quàm veterum, celeberrimorum Ducum, prælia ac bella, ad salu-

ad ſalutem Reipublicæ commiſſa atque geſta, quia ipſe, multos Græciæ populos, & etiam exteros, ad ſocieatem Atticam, vigilanti facundiâ, permoverit atque adduxerit, quorum arma, omninò magnum momentum, alioquin non acceſſura, Atticis rebus acceſſiſſe.

Quicquid ſit, utra Reipubl. ſtudia, togata vel armata, jure præferantur, non eſt operæ pretium, hoc loco, ſollicitè exquirere; utriusque eò tantùm mentio facta eſt, ut dilucidiùs apparere poſſet, quales Reipublicæ Romano-Germanicæ, conſtitui, Publicos Conſiliarios proficuum ſit. Ac duplicia illa, Publica negotia, quorum altera pacem, altera bellum reſpiciunt, paulò limatiùs huc applicemus; nempe quod illa attinet, prudenter invigilandum eſt, ut Respublica bonis ac ſaluberrimis Legibus, ſit ſarta tecta, ut interna pax inter Cives conſervetur, arcana exterorum, cumprimis vicinorum, quantùm penetrari poſſunt, ad ſalutem Publicam prudenter & cautè applicentur, luxus ex Imperio proſcribatur atque amoveatur, fœdera utilia colantur, ac pro

ac pro Majestate Imperii decoris conditionibus fulciantur; nevé pax cum hostibus, quantum circumstantia temporis patitur, clausulis vel conditionibus Reipublicæ pernitiosis, multò minùs indecoris ac turpibus componatur, ut justitia ex æquo administretur, res monetaria juxta Constitutiones Imperii reguletur, præsertim verò, ut proventus Publici ærarii [de quo infra] tanquam nervus aliquis rerum gerendarum, infallibiliter ac bonâ fide in ærarium inferantur, rectè & ex usu Reipublicæ collocentur ac custodiantur quæque sunt id genus alia, quæ ad administrationem Reipublicæ Togatam spectare possunt.

Cæterùm quod militares actiones concernit, pertinent illæ ad milites, in genere tamen ac citra præjudicium cataphractorum, dicere possum ex historiis, operam dandam esse, quemadmodum vel quibus artibus, cum quo hoste confligatur, an cunctando vel properando bellum utiliùs geratur, an in viscera Reipublicæ admittendus sit hostis, vel foris, cum eo congrediendum, quo intuitu Han-

Hannibal Antiocho contra Romanos bellum ſuſcepturo ſuaſit, ut propiùs Tiberim quàm Euphratem de ſummâ rerum decerneret, eò quòd Romani foris invicti, domi fragiles eſſent; ex adverſo Archidamus Spartanus, Peloponneſiacum bellum, ideò diſſuàſit, quoniam Athenienſes etiam terreſtribus præliis, inferiores, tamen propter potentiam nauticam, domi inexpugnabiles futuri ſint; quod ad Germaniam attinet, hodiè plerumq; propulſare, nec inferre ſolet bella, ſecùs quàm antiquitùs, ubi contra Romanos toties quoties in ipſorum finibus, arma arripuerat.

Hæc igitur & ſimilia præſertim ſi non de diſcurſu ſed de uſu & ipſis rebus gerendis, ſermo ſit, dubio procul militarem experientiam expoſcunt, utq́ue ſuperiora ad Togatum, ſic eadem hæc ad militarem virum ſpectant. Ex quibus apparet Conſilium Status, ex duplici genere perſonarum conſiſtere debere, nempe ex doctis & peritis belli; verùm docti, non debent hoc loco percenſeri, qui jurisprudentiam privatam habent, ſed qui

Statum Romano-Germanicum, nec id nudâ Theoriâ, ſed etiam uſu & exercitio tenent, ac habitu prudentiæ ſunt præditi, unde excludendi veniunt, tum nudi Legiſtæ, ut vocantur, prout multi ex veteribus fuêre jureconſultis, ſanè enim ut diverſiſſima ſunt, quærere, quid juris verſetur, inter Titium & Sempronium, ſuper hoc vel illo contractu, & ſitné ex Republica v. g. Turcis Tranſylvaniam cedere, ut pacem habere poſſimus; ita ad hoc poſterius, & ſimilia, cognitio quantumvis ſatis exacta illius prioris, parum facit; tùm etiam ardeliones illi omnium horarum homines, qui vulgò perperam Conſiliarii Publici, nomen hodiè ſibi uſurpant, Publiciſten / die das jus Publicum wohl zu verſtehen und in Ubung gebracht zu haben / gehalten werden. Noſtrâ enim hâc ætate quivis ferè, qui Gallicis geſticulationibus ſcitè aſſuevit, ſi ſemel modò vel iterum Comitiis univerſalibus, vel etiam diætis Circularibus interfuit, jam conſalutatur Publiciſta Practicus, nempe tunc fortaſſis viditq, quis ſit modus procedendi in Comitiis, quemadmodum Matricularia gravamina pro-

na proponantur, ut ſibi quisque Status proſpiciat, circa exactiones vel deliberationes collectarum, & quæ alia occurrunt.

Profectò autem Reipublicæ non ſatis eſt conſultum, ſi omninò in Conventibus Imperii univerſalibus vel particularibus, modum procedendi vel ſcitiſſimé teneres, ſi Matriculæ gravamina, ſtudiosè ſollicitares, ſi cautè collectarum remiſſionem impetrares; nam cognitio iſthæc ſeu proviſio magis ſpectat, ad quæſtionem, quid quové modo in Imperio fiat, ſc. in rem alicujus Principis vel Status ſeorſim; at quæſtio, quemadmodùm benè cuncta gerantur, ac in Reipublicæ emolumentum convertantur, longè eſt ab hâc diſtinctiſſima. Iſta magis pertinet ad Conſiliarium alicujus Principis vel Status in particulari; hæc verò ad Conſiliarium Status Imperii Romano-Germanici, cujusmodi Publiciſtæ profectò videntur fuiſſe illi viri, quorum operâ compoſitum fuit Inſtrumentum Pacis.

Porrò ut Lege Publicâ *R. J.* de Anno 1500. *Tit.* Von den zwantzigen/ꝛc. Regimenti

menti quondam, & etiam Cameræ Imperialis Assessores vigore, *Ord. Cam. p.* 1. *t.* 1. Germanicæ originis ac nativitatis esse debent; sic omninò expediret, Imperii Consiliarios Status Lege Publicâ desumi debere ex Germanis, pro maximâ enim habendum est, Germanos, quàm Italos, vel Gallos, Patriæ fore amantiores, certè Caroli Quinti Imperatoris laude dignum extat exemplum, qui ob fiduciam de Germanis suis conceptam, Aulâ potius ipsis, cum simul exire, quàm retentis Hispanis, eosdem dimittere voluit.

Prætereà ut usum de Republica consultandi habeant, condecens ætas, ne nimis sint juvenes, ac autoritate etiam valeant, exigitur, nam rariora sunt Scipioni Africano similia exempla, qui jam vigesimo quarto ætatis anno, ejus fuit constantiæ ac consilii, ut Hispanias Punicis exercitibus feré suppressas, felici exitu Romanis rursus asserret, nec adeò multos post annos, invadendi Africam idem Author ac Dux factus, difficile bellum glorioſis victoriis perficeret; hæc inquam exempla sunt ratio-

ra; at

ra ; at in Politicis respiciendum est ad id quod ut plurimum accidit, & propterea à participatione Consilii Status, magis est excludenda juventus.

Tandem fides, & silentium, necessaria sunt Consiliarii Status requisita, ingens enim damnum Reipublicæ inde emergere potest, si eorum, qui arcana Imperii tenent, cum hoste fortean quis clanculùm sentiat, vel etiam Consilia concredita divulget, ob eamque causam viros probitate morum conspicuos, ad tantum Consiliarii Imperialis officium assumere oportet. Quod porrò ad illos attinet, qui militarium negotiorum Reipublicæ inprimis periti esse debent, eadem ista, quæ ad fidem, silentium, morum probitatem, & ætatem spectant, adsint oportet, ob eas, quæ adductæ sunt, & per se patent rationes : sed quia Togatæ & Armatæ militiæ, peritia ac usus in eandem personam vix aut rarò concurrunt, sufficiat Consiliarios Status militares, belli gnaros, ac alioquin, solerti judicio præditos esse, quamvis Politicæ Pacatæ, non usquequaque sint experientissimi ; quâ in re ta-

re tamen, ea moderatio adhibenda venit, ne vel Togati Consiliarii, vel Armati, in alterutro negotiorum genere planè excludantur; sed ut cuncta indistinctè communi manu deliberentur ac peragantur.

In Consilio Imperiali Aulico, ita sese res habet, ibi enim duo Consiliariorum Ordines existunt, **der Cavallier und Gelehrten Banck**/ ut nimirùm pro exigentiâ rei decidendæ tantò meliùs judicetur, sed Consiliũ istud est & esse debet, Tribunal justitiæ, adeoq; convenit secundũ juris & æquitatis regulas, illud posthabito quovis respectu dirigi; unde hoc ipsum, quòd sc. judicium Aulicum, ex his talibus personis constet, non tam necessitatis esse videtur, quàm honoris & magnificentiæ, prout etiam, in Camerâ Imperiali, respectu Comitum, Nobilium ac Doctorum idem obtinere statui posset; at in Consilio Status, de quo hactenus, ipsæ rerum tractandarum materiæ, necessariò exposcunt, militarem & togatam peritiam atque solertiam, eoque etiam ejusmodi Consiliariorum differentiam.

Super-

Supereſt demùm, ut conſideremus, quemadmodùm hoc tale Conſilium Status debeat viſitari, ac ſicubi exceſſerit, corrigi; homines enim eſſent Aſſeſſores illius, quantumvis viri optimi ac prudentiſſimi ſemper eligerentur, ob eamque cauſam mutabiles; at quoniam tanti refert Reipublicæ Conſilia iſta ac negotia ſemper dexterrimè ſuſcipi ac peragi, profectò ſaluberrimum remedium foret, Conſilium Status, certis temporibus viſitari, exemplo Cameræ Imperialis, quæ vigore Ordinationis, quotannis per deputatos Imperii debuit viſitari, ac etiam quondam reipsâ fuit viſitata; contigit verò iſthæc viſitatio judicii Cameralis, inter Ordines Imperii per vices, adeò ut modò hi, modò illi, ſuos cum Imperatoris Legato, mitterent Conſiliatios, in Proceſſus Camerales inquiſituros, & quæ fortè inveniſſent, gravamina, errores, atque exceſſus, reformaturos atque emendaturos. Fuit omninò inſtitutum optimum, ſed inde ab anno 1589. aut ut alii volunt, paucis annis prius, ob certas cauſas intermiſſum.

Ad hujus igitur, inquam, similitudinem congruum videretur, ordinari visitationem Consilii Status, per singulos annos, ab Imperatoris Legato, & insimul ab Ordinibus alternaturis expediendam; verùm ut paulò antè indicavi difficile esse, ut cura constituendi Consiliarii Status, huic vel illi ex Ordinibus seorsim tribuatur, sed hoc ipsum debere per viros à toto Imperio ad id electos atque deputatos perfici; ita eodem planè modo iisdemque de causis expositis, visitatio Consilii Status, communi Reipublicæ nomine, per certos deputatos Imperii utiliùs fieret ne videlicet, vel conniventiâ vel negligentiâ isthac in re Publico malo quid agatur, vel omittatur.

At verò quâ ratione in visitatione Consilii Status, Imperii Ordines alternare possunt, si eadem expediri debent per deputatos nomine totius Imperii? Respondeo interesse Reipublicæ ne deputatis jus visitandi, Ordinariâ quâdam potestate concedatur, quia hoc esset quasi quædam abdicatio, ex altero verò capite, ob eam rem non semper indici possunt Comi-

Comitia. Itaque facilima via est, ut habeantur certi quidam, quorum industria à toto Imperio electa sit, jurati deputati, ex quibus deinde existente casu, Imperator aliquem, in visitando Consilio Status, ac ipsi etiam Status inter se alternaturi fortè binos, suis vicibus defuncturos, desumant.

Cæterùm quia etiam sic periculum esset, ne visitatio ejusmodi diu relinqueretur, ex re videtur certum tempus ipsâ Lege exprimi, intra quod, si à Statibus pro istâ vice jus deputationis habentibus, visitatio non fiat, eo ipso ad subsequentes proximos, ilicò deferatur; quòd si ne hi quidem deputatos illos ad visitandum Consilium Status ablegent hoc tanto tempore, utilitatis Reipublicæ gratiâ tacitè concessum præsumi posset, deputatis, ut etiam, nemine jubente, Consilium Status visitent.

Talis Lex si in Imperio olim obtinuisset, visitationes Cameræ non ita fuissent magno Germaniæ malo neglectæ, quia sc. Ordinibus visitationem omittentibus, suas partes deputati hactenus egis-

sent, aut uno vel altero visitationis actu, Status Imperii ipsos ad recipiendum hoc munus saltem permovissent.

Prætereà hi Deputati, cùm animadverterint, unum vel alterum in Consilio Status, minùs quàm oportet deliberari, vel negligenter agi, admoneant primùm desuper Consiliarios Status, ut debitam eâ in re adhibeant diligentiam, quòd si non pareatur nec excessus brevi corrigantur, ad Imperatorem & membra Imperii fiat relatio, exceptis tamen his, quæ fortè moræ spatium excludunt, ratio est, quia periculi multum foret, si deputatis istis ita passim regulariter & indistinctè, concederetur jus absque relatione reformandi Consilium Status, quin fieri posset, ut sub prætextu, etiam ea, quæ deliberâsset vel egisset Consilium Status commodo Reipublicæ, paterentur hâc ratione controversiam ac immutationem, cum primis, qui fortassis de facto procedere, ac sibi adversam Consilii Status providentiam, declinare studerent, machinarentur, illud ipsum, quantum in ipsis esset per istos deputatos, secùs planè se res habitura est, si re-

si reformet excessus Consilii Status' Imperium ipsum, quippe cùm nec penes Consilium Status, nec penes deputatos suprema resideat potestas, sed penes Imperium, sive Cæsarem & Ordines simul.

Horum proprium est, præsertim in rebus majoris momenti, confirmare, reformare, deliberare & monita Consilii Status, tùm ad Publicæ utilitatis exigentiam, tùm LL. fundamentales Imperii pro superiore arbitrio decidere; Quod si fortassis eveniret, ut alia negotia, quò minùs Comitialis Imperii Consensus commodè ac tempestivè haberi posset, præpedirent, morasque necterent, in illo extraordinario casu, si præsertim, sequior Consilii Status consultatio, nocumentum interim adferret, aut in LL. Publicas Imperii committeret, [posito etiam, quod improbabile tamen est,] Deputatis haud immeritò licitum foret, suam interponere ad commodum Reipubl. functionem; verùm, ut tantò securiùs agere possent, repetendum est, quod paulò antè dictum fuit

fuit, nempe, per Pragmaticam Imperii ſanctionem, certum tempus, exprimendum eſſe, intra quod, ceſſante Imperio, ad deputatos pro iſtâ vice idem agendi ac diſponendi, de relatis exceſſibus Conſilii, cumulativè tranſeat poteſtas.

Quinimò iidem ſe cautè intermiſcebunt, deliberationibus ejusmodi Conſilii, ut cuncta tantò meliùs ac diligentiùs peragantur ſecundùm LL. & propterea cum Conſilium notoriè facit quod eſt ſui officii, præprimis in his, quæ ad pacem inter membra Imperii conſervandam pertinent, eoque collimant, ne quis de facto contra Inſtrumentum Pacis, ab altero gravetur, ac damnum ſentiat, vetitum omninò eſto Deputatos intervenire; ſi enim v. g. Conſilium Status militibus aut ſubditis, alterutrius vel utriusq; etiam partis, ſub pœnâ banni, & privationis bonorum, inhiberet pacis ſtudio, intervenio iſta Deputatorum, omninò non aliter, quâm ad nocumentum partis læſæ, ac promovenda, contra quietem Reipublicæ attentata, collineare ac dirigi poſſet.

Satius

Satius est igitur in his & similibus, Consilium, præter superiùs expositas cautelas aliter non cohiberi, sed hactenus habere manus liberas.

Quo fine etiam expediet Consilium Status, non ligari, monitis contrariis Deputatorum, si v. g. impetus hostilis immineret nobis à Turcis, quia tunc opinor omnes credent, ad declinandas toties noxias Imperio Comitiorum moras, debere intervenire, Consilium Status, exercitusque Imperiales, ut furorem hostilem in tempore reprimant, jubere ac dirigere, ceu quidem antiquitùs Regimentum fecisse, emergentibus casibus, palàm est, unde adhuc extat *tit. in d. R.* de Anno 1500. **Der Hauptmann soll ohn Befehl deß Regiments niemand überziehen.**

Verùm cùm ex his ipsis, difficile reddatur, distinctè constituere, quibus igitur casibus, Deputati illi visitatores, debeant suspendere posse Consilia vel actitata prædicti Senatus Imperialis, & quibus vicissim, nihil quippiam illis ipsis detrahere licitum sit, maneat regulariter, penes Deputatos tantùm residere debere facul-

facultatem referendi ad Imperatorem, & Imperium, nisi fortassis intra tempus Legale, non sequatur Imperialis decisio, quo casu, ut modò superiùs dixi, potestas statuendi, de puncto reformationis Consilii Status, tacitè videtur concessa Deputatis.

Ratio horum omnium est, quia Consilium Status, per limites, de quibus hactenus disserui satis est, restrictum; cùm igitur prætereà, statis temporibus visitetur, probabiliter reformidari nihil debet, cur aliquid detrimento Publico, ausurum sit vel etiam audere possit, nam quamvis ejusdem, si qui fortè contingerent, excessus ilicò non liceret emendare, propter relationem ad Imperium, tamen semper hæreret Consiliariis Status, quòd sint reddituri rationem suæ gestionis, ob eamque causam, verosimile est, ne quid malèagerent, enixé operam daturos, maximè ptopter visitationem ac reformationem, etiam cessante Imperio, post tempus Legale à Deputatis ex officio suscipiendam. Ex quibus apparet, si ea observentur, ut observari facilè possent, quæ de fun-

functione Consilii Status, deq; ejus personis, restrictione potestatis, juramento, visitatione ac reformatione, hucusque sunt deducta, quantum ad consultationes Publicas attinet, omnia præsertim præliminaria meliùs habitura, quàm nunc eadem, rebus ita stantibus, fortè conspici possunt.

CAPUT XIII.

Quod sit in rem Imperii Romano-Germanici, haberi Comitia, certo tempore intra certum terminum finienda, deq; modo proponendi ac decidendi nec non moderatione sumptuum.

PRoximæ dissertationi de Consilio Status, vicina est admodùm, & maximè adfinis, Tractatio de Comitiis, siquidem ostensum est, quòd & quamobrem, penes Consilium Status, regulariter solaversari debeat consultatio, facultas verò decidendi, in Publicis, penes Imperatorem & Ordines Imperii. Cùm igitur maximé intersit Reipublicæ non modò prudenter ac mauturè deliberari, sed simili-

militer etiam inprimis decidi Publica negotia, omninò oportet, ut Comitia nostra rectè sese habeant, quippe quibus Publicam utilitatem concernentia quàm maximè veniunt concludenda. Contineri verò videtur, præsertim quatuor requisitis ea res, nempe 1. ut Comitia illa fiant tempore determinato, 2. ut intra certum terminum finiantur, non prorogenda nisi ex singulari causâ emergente, 3. ut modus proponendi ac decidendi servetur congruus, demum, 4. ut immodici sumptus, habitâ tamen proportione ad cujusque Status splendorem condecentem, tollantur ac resecentur.

Quòd ad primum attinet, plurium est hodiè opinio, non esse ex re Germaniæ, Comitia convocari statis temporibus, eò quod vires, Imperii modernæ, huic tanto oneri ferundo; vix ac ne vix quidem sufficiant; at verò contrarium intrinseca Imperii conditio, mixtam videlicet naturam sapientis, cæteris partibus omninò exposcit, quin ipsa etiam experientia contestatur, noxios effectus subsequi solere, si res Imperii tamdiu & propè

propè ultra hominum memoriam jacent sine decisione; quæ ratio omninò prævalere debet, & ob eam etiam causam antiquitùs per R. J. de Anno 1495. statutum fuerat, Comitia Imperii celebranda esse annua, postea tamen, tùm propter difficultates conveniendi, tùm propter sumptus, hæc eadem Sanctio caruit effectu, ansamque inter alia dedit constituendi Regimentum, ceu videre est ex R. J. de Anno 1500. *Tit.* **Von den zwantzigen/ &c.** *ibi* **haben wir ermessen und betracht/ daß die Ständ des Reichs langsam und beschwerlich/ auch mit mercklicher Mühe/ Arbeit/ Kosten/ und darlegen/ zusammen gefordert werden und kommen mögen.**

Sed hæc ratio, tanti ponderis esse non debet, ut propterea, rem ipsam planè amoveamus, conventusque Imperatoris & Ordinum Publicos, ad nocitura & incerta temporum intervalla extrahamus, quin potiùs remedium adhibendum erit, quo sumptus isti atque obices, modum accipiant ac restringantur; Si enim rursus constitueretur Regimentum, h. e. Collegiũ sive Senatus ex Imperatore,

ejusvé Legato, ac certis tantum Imperii Statibus, constans, decidendiqúe in Publicis potestate præditus, jam via ac porta patefacta esset, inducendi Oligarchiam, ceu superius, idipsum, & etiam alias difficultates, hinc enascituras ostendi pluribus; atqui nemo negat, ex altero capite satiùs esse, ut Publica negotia certis vicibus Comitiorum concludantur, quàm si ita vagè protelentur.

Expedit igitur, ex unâ parte, Publicam inspicere & necessitatem & utilitatem, ex alterâ verò, vires Imperii nõ magnis sumptibus ferundis, pares. In quâ comparatione, forsan haud absonum existimabitur, caveri, ac determinari per Pragmaticam sanctionem habendis Comitiis biennium, nam annuum tempus pro circumstantiis præsentibus apparet nimis conciſum, quòd si resipsa exposceret, uti citiùs conveniretur, nihil isthinc impedimenti proveniret, quia sc. terminus iste, ex intentione Legis, tantummodò protrahendis, non verò maturandis Comitiis poneretur ac poni deberet.

Cæterùm ne hæc talis sanctio emanenti-

nentibus Ordinibus, fruſtrà feratur, eaq; propter, ut aliquando accidit, Sigismundo & Friderico Tertio Imperatoribus propter abſentiam majoris partis Statuum, deciſiones Publico nomine tractandorum ſuſpendantur ac protrahantur, addi eidem conveniret, ut hi, qui non comparent, intra certum tempus à die inſinuationis, pro modo diſtantiæ, Lege, vel literis denunciatorialibus exprimendum iſtâ vice, ſalvâ tamen cautelâ, paulò inferiùs adductâ, amittant jura voti, & ut poteſtas concludendi, præcisè ſit penes eos, qui requiſiti ab Imperatore, debito tempore & loco, ad Comitia venerunt, ſi qui enim vocati abſunt, videri poſſunt tacitè remiſiſſe, jus ſuum cæteris comparentibus, eaque præſumptio Publicâ niteretur utilitate.

Hinc non modò vigore A. B. receptũ eſt, ut ſi qui Electores ad Comitia Imperatoria venire ſuperſederint, iſtâ vice, jure ſuo priventur, & electio nihiloſeciùs procedat per præſentes *text. A. B. c. 1. §.* Princeps, ſed etiam per Receſſus Imperii, hujusmodi conſpicimus diſpoſitiones,

quoad universalia Comitia, ut Status Imperii, qui præsentes sunt de negotiis propositis deliberent reliquis illâ vice exclusis, & sic quidem, ut hi nihilosecius præsentiũ conclusis ligentur; ceu videre est ex R. J. de Anno 1500. *Tit.* **wie man mit etlichen Ständen/ꝛc.** & R. J. de Anno 1500. §. **Es sollen auch die Churfürsten/ꝛc.** quæ quidem res in casu, quo saltem major Ordinum numerus advenit, dubium non habet;

At si eorundem duntaxat minor pars adsit, propter Sigismundi & Friderici III. exempla modò allata, multi statuunt, nil quicquam in Comitiis decidi posse, maximè in præjudicium absentium, sanè Fridericus Tertius, arctiùs tunc cita verat Status, qui emanserant, nec prius ad consultationem devenerat, quàm pleriqúe eorum accessissent ad Comitia. Nec dememini eorum, quæ superiùs *cap.* 2. dicta sunt hac de re, videri probabilius, ex consuetudine ita obtinuisse, ne si quando minor Statuum numerus Comitiis interesset, tunc quicquam ritè tractari ac decidi possit, eo quod major numerus absens,

absens, minorem quoque per quandam interpretationem trahere videatur quicquid sit, hoc loco non est quæstio, quid in Imperio observetur, sed quid eidem maximè expediat.

Et quamvis casus isti, quibus requisiti Ordines Imperii minore se sistant parte, rariores existant; tamen si Comitia, ordinariè intra tempus biennii, adeoque multò frequentiùs, quàm hactenus concelebranda forent, jam sæpiùs etiam, nî provisione Publicâ, occurreretur, opinor habitum iri, Ordinum majori ex parte non comparentium exempla, quæ Reipublicæ utique possent esse noxia; Ergò omninò præstat dari ejusmodi Legem in Imperio, quâ indistinctè seu major, seu minor pars Ordinum compareat, exclusis, istâ vice absentibus, per præsentes Publica negotia deliberentur atque expediantur.

Ac resipsa quidem facit, ut faciliùs promptiusq; hoc idē asseri videatur, cùm enim prout suprà est demonstratū, Ordines junctim accepti, tantum valeant, in Comitialibus, quantum ipse Imperator,

quid prohibet regulam superiùs expositam, quòd nimirum major numerus absentium, trahat minorem præsentium Ordinum, favore Reipublicæ, ne Comitia Ordinaria de facili interturbentur, planè immutare, absentiamq; illam pro tacitâ concessione & commissione voti istâ vice ad præsentes delatâ, benignè interpretari; profectò Cæsarea Majestas exinde nihil amplioris potestatis sortiretur, sed absentes Ordines, quoad jura voti, præcisè repræsentarentur, per præsentes.

Porrò, etiamsi Comitia haberentur Ordinaria, tamen quia sæpiùs, conditio Reipublicæ deposcere posset, ut citiùs nec expectato tempore statuto conveniretur, publicè interesse videtur, Statibus non præfigi terminum comparitionis ad Comitia, nimis brevem, ne istâ vice illos contingat tacitè excludi Consiliis Publicis, ac jure sui voti; cui rei satis prospectum puto, si dies aliqui, quorum cursus à termino præfixo demum inciperet, publicè exprimerentur, intra quos quicunque Ordinum accessissent ad Comitia, compe-

competens jus voti salvum haberent atq; integrum, ratio est, quia cùm ad minimum tempus itineri aptum ac sufficiens ad comparendum indici conveniat, dum alioquin scil. haud dubiè Status, prætextum aliquem subesse sese excludendi animadverterent, profectò tempus si à die indicto demum curreret, pro reliquis circumstantiis ac casibus emergentibus, Ordinibus Imperii ut plurimùm tempestivum adhuc præberet commeatum.

An verò personaliter, vel per suos Deputatos Status Imperii, in Comitiis compareant, res est hactenus libero ipsorum arbitrio subjecta, solummodò iste casus excipi solet ac debet, quo Imperator ex causis arduis Ordines ad deliberandum de Republica personaliter citat; quæ personalis vocatio, non modò quondam in veteri Regimento obtinuit, ab eodemque fieri poterat, ceu videre est ex R. J. de Anno 1500. *Tit.* Das Regiment mag die sechs Churfürsten/ &c. sed etiam Caroli M. Temporibus, qui referente *Goldast. tom.* 3. *Constit. Imp. fol.* 158. olim ita sanxerat,

Vaſalli Regales per ſemetipſos Imperatori honorem habeant; hæc antiquitatis veſtigia, poſtmodum ſecuti ſunt & alii Imperatores nominatim Sigismundus, Maximilianus Primus, Rudolphus Secundus, uti patet ex literis denunciatoriabus vel ab ipſis vel ipſorum nomine miſſis, quibus jubentur Ordines Imperii, ſolo corporali impedimento ac vidivinâ exceptâ, perſonaliter indictos conventus viſitare, ibi; Nichts denn allein ihr Unvermögen/auch GOttes Gewalt ausgenommen/auf obbeſtimten Tag und Wahlſtatt/ ſelbſt eigener Perſon/ꝛc.

Sed quid ſi ipſe Imperator emaneat, nec per ſe nec per Legatum Comitiis interſit? an tunc nihiloſeciùs progredi licebit? *Hippol. à Lap.* hâc de re, quòd nempe Status præſentes, abſente licet Imperatore, tamen deliberare de negotiis incidentibus ac ſtatuere poſſint, aſſerit indeque præter alia, uti ſupra *c.* 2. allegatum eſt, deducere nititur, Imperatoriam poteſtatem Ordinibus ſimul ſumptis eſſe inferiorem; ſed hæc ſententia, ibidem eſt refutata, contra naturam enim eſſet, membra ſe

bra se cluso capite operationes condebitas habere posse, jam verò Cæsar ipse, uti patet, ex superiùs dictis Caput est Imperii, cæteris membris Comitiali potestate aut plus valens aut certè exæquatum. Non igitur, si de jure Ordinario quæstio instituatur, affirmare possumus, absente Imperatore, quicquam in Comitiis, ritè actum iri, nunc autem eò tendit oratio, quemadmodum Reipublicæ consulere liceat hoc tali casu, quo videlicet Cæsar comparentibus Ordinibus emaneret, nec per se nec per Legatum, conventus Publicos inviseret?

Respondeo verosimilimum esse, & ex historiis apparere, hunc casum esse de rarissimis contingentibus, nec facilè fore Cæsarem, qui Rempublicam eousque negligat, prout fecerunt suis temporibus Carolus Crassus & Wenceslaus; si tamen tale exemplum, præsertim frequentioribus Comitiis, eveniret, in casu moræ Consilium Status, juxta superiùs deducta, observaturum suas partes, cæteroquin Imperatorem, ad visitanda Comitia per se vel per Legatum, posse à Statibus implo-

rari & admoneri; quòd si nihilosecius non compareret, Cancellarium Imperii nempe Moguntinum, vel si hic quoque absit, aliũ deinceps Ordine Electorem pro exigentiâ Reipublicæ, præsertim jam factâ prædeliberatione Consilii Status, fortè expediturum propositionem, & sic Ordines, de negotiis propositis deliberaturos, & quantum est ex parte sui, concluſuros; demum cùm concluſum fuerit ab Ordinibus, Imperatori quamvis adhuc dum absenti, intuitu Majestatis videtur nihilosecius referendum, de expositis placitorum Comitialium Capitibus, ejusq; desuper flagitanda ratificatio, quâ vel subsecuta Recessus Imperii formandus, vel ex certis causis denegatâ, replicando, duplicando, ut in Comitiis procedendum.

Verùm ne hac ratione, pronum sit emanere, ad evitandas transmissionum difficultates, simul etiam, ut commodo Publico maturetur circa ratificationem Cæsarea resolutio, haud absre foret, Lege Imperii, caveri, Imperatorem per se vel per Legatum hoc tali casu, postquam nimirum concluſa Ordinum ipsi

ad

ad ratificandum, offerrentur, intra certum Legale tempus, seſe circa hoc declaraturum.

Quòd si nec ipſe, quamvis imploratus veniat primùm nec Legatum mittat, deinde, quando Ordines ex parte ſui concluſerunt, intra tempus debitum, iterum nec per ſe nec per alium Comitiis interesse dignetur, ſive etiam conſenſum accommodet Comitialibus placitis, hoc caſu Ordinum in ſuâ ſententiâ perſiſtentium decreta per ſeſe prævalitura videntur, ratio eſt, quia cui non æquum videbitur, hunc talem Cæſarem, qui Rempublicam eousque negligeret, viciſſim neglectum iri, ne poſſit niſi præſens vel per ſe, vel per ſuum Legatum, Statuum placitis quicquam detrahere, niſi de ipſorum conſenſu; oportet quidem Imperatoriam Majeſtatem omninò venerandam haberi, ſic tamen ut Majeſtaticâ quâdam gravitate ſeſe gerat ſecundùm LL. & utilitatem Reipublicæ; ſin contrario modo agat, deliberationes Publicas, declinet ſeque Comitiis planè ut nec per tertium quidem adeſſe curet, ſeparare velit, quo caſu exempla & cordatiores Politici teſtantur,

ſtantur, Imperatoris Majeſtatem decreſcere, quidni etiam pro iſtâ vice ſponta-neæ emanſionis, jure diſſentiendi vel potiùs ſuſpendendi decreta Ordinum, nerata haberi, debeant, excludi videatur?

Colligamus itaque ex dictis, qui Status vel majore vel minore numero Comitiis abſint tempore congruo ac debito, iſtâ quoque vice non malè exortes habitum iri Publicarùm deliberationum ac deciſionum, earum verò obſervantiæ nihiloſeciùs adſtrictos fore; Quòd ſi ipſe Imperator nec per ſe nec per ſubordinatum, munus ſuum obeat requirendũ eſſe, deſuper atq; demiſsè implorandum à Statibus, ut intereſſe velit Publicis, ſi idipſum non contingat, Status conſultaturos de Republica & deciſuros etiam ex parte ſui, mox placita illa Comitialia, ad ratihabitionem Imperatoriam transmiſſuros, quæ ſi non ſubſequatur, decreta Otdinum, niſi ſponte ad Cæſareæ Majeſtatis abſentis declaratam ſententiam acceſſerint, per ſeſe valere debere, ac Imperatore porrò intra tempus ſolitum emanente, tacitè reputari, pro ratihabitis.

Hâc

Hâc ratione igitur, consultum foret Reipublicæ quoad Cæsaris & Statuum comparitionem ad Comitia. De loco non multum attinet dicere, serventur modò, quæ hac de re jam vel consuetudine obtinent, vel Legibus Imperii sunt introducta, nempe ut Comitia habeantur, intra Imperium, non extra, & quidem in aliquâ Civitatum Imperialium, ex quibus vigore *A. B. c.* 28. §. 5. primis cujusque Imperatoris Comitiis destinata est Noriberga, sed id hactenus non permansit in usu, sufficit autem hâc in re LLbus Imperii, connsuetudine nec refragante, satis fieri, suisque de causis, urbes Imperiales præ cæteris videntur, electæ.

Porrò uti Publica utilitas desiderat, ut indictis statuto tempore Comitiis, Cæsar & Ordines, vel eorundem Legati, quantocyùs conveniant, sic ad eundem scopum spectat, ut jam congregatis ipsis, Publicæ deliberationes non diu nimis extrahantur ac protelentnr, omninò enim gravitas materiarum tractandarum efficit, ne diu jacere debeant nec decisæ, sed ut communi operâ eò laboretur, quò debi-

debitum maturè nanciſcantur exitum; quâ ratione etiam *A. B. c. 2. §. 3.* in negotio Electionis Imperatoriæ conſtituit, ut Electores vel eorum nuncii intra triginta dies, à præſtito juramento computandos, Regem Romanorum eligant, quòd ſi diſtulerint, poſt hoc tempus pane tantùm & aquâ in loco Comitiorum Electoralium, tamdiu alendi ſint, donec electionem peregerint, videlicet, ne Respublica per cunctationem ac procraſtinationem tam ardui muneris, interim ob varias occaſiones damni aliquid accipiat.

Cæterùm hic talis modus ac priſca ſeveritas noſtro huic tempori, inter tam delicatiores vitæ cultus, non quadrat, præſertim verò Publicis conventibus, haberetur, utique intolerabilis atque exoſa. Ob eam cauſam, quoad univerſalia Comitia, haud invenire licet, tale quippiam cautum eſſe, Publicis Legibus, quemadmodum nempe, ad abbreviandos Conventus Imperii, conſultationes in Publicis ac deciſiones maturentur, tantummdò ſtatuitur in R. J. de Anno 1495. Comitia Imperii non ultra menſem extendenda eſſe,

esse, rubr. Daß ein Reichstag soll einen Monath währen / quâ ratione verò hoc ipsum in effectu obtineri queat, nullum remedium, prout quidem, circa officium Electionis Cæsareæ A.B. fecit, desuper Recessus iste addidit.

Certè Publica utilitas, sive etiam tractandorum qualitas, sæpè efficit, ne intra hoc tam exiguum tempus, Comitia universalia finiri possint; ac licet cautela superiùs commemorata hâc in re adhiberi vellet, nimirum tali casu Comitia esse proroganda, atque amplificanda, tamen sic, hujusmodi prorogationes, propter causam adductam fieri deberent planè Ordinariæ, nec aut vix quidem relinqueretur locus regulæ ac Legi, de menstruo tempore Comitiorum latæ, quia videlicet, cùm deliberatur de bello, pace, Legibus ferendis, explicandis, fœderibus emendatione Matriculæ, & id genus aliis, ipsa experientia contestatur, quàm difficilimè Imperium coëat in unam sententiam, sic ut omninò, præsertim rebus ita stantibus, unicus mensis ad Comitialia negotia per Status deliberanda ac decidenda, non

non videatur sufficere; quin si nostrâ hac ætate, tempus illud, strictè hactenus observandum fuisset, semper puto discessum foret re infectâ à Comitiis

Quapropter si huic rei congruè occurri debeat, & obstacula maturandarum decisionum Imperialium, velint removeri, præter id quod modò est deductum, nempe de observatione certi termini ad comparendum in Comitiis, summoperè necessarium videtur, ut disputationes de Ordine tractandorum, planè facessant, ac Publicâ Lege tollantur, è contrà verò ut Consilium Status, pro suâ erga Imperium juratâ fidelitate, ante conventus, certam referat ad Cæsarem & Status, deliberandorum Comitialium methodum, quam Reipublicæ verosimiliter utilem, conveniat attendi.

Deinde, quæ semel communi manu concluſa fuerint, nullo colore refricare liceat, vel denuò reſcindere; ratio est, nam duo ista hactenus interturbârunt, sinam etiam in longum extraxerunt, Germaniæ Comitia, quòd Ordines Imperii tardiusculè convenirent, & quod deinceps

varius

variis circa præliminaria & Ordinem tractandi motis disputationibus tempus tereretur, quibus addi potest, quòd pro renatâ, semel placitâ, deinceps displicere ac rejici interdum solita fuerint: Si verò Status certo tempore comparere deberent, ita ut hi, qui nec tempore ab Imperatore determinato, nec posteà intra dies aut septimanas Legales, in dictos conventus quoquo modo inviserent, pro istâ vice & respectu jam deliberatorum excluderentur, suo voto, deinde, si ex relatione Consilii Status jam ante Comitia factâ, quæ dubio procul ad Publicam utilitatem quàm maximè respiceret, Ordo tractandorum, in propositione Cæsareâ attenderetur, vel casu inversionis, ultrò à Statibus observaretur, sublato regulariter post placita ad dictaturam aperta, resiliendi more, sanè Comitia, hâc ratione contingerent, fructu longè majore.

Forsan autem his ita præsuppositis, tempus trimestre Ordinariis Comitiis videretur sufficturum, quis enim non probabile reputet, intra hoc tantum tempus non modò quemque ex Ordinibus Imperii,

perii, circa materias deliberandas, suum emissurum votum, sed Cæsaream etiam Majestatem, cum Statibus Imperii solitâ conventione concluſuram? Etsi enim quandoque accidere hactenus solitum fuerit, ut Imperator & Status Imperii, vel hi etiam inter se longâ dissensione, alienati invicem sint, eoque multum temporis ad Comitia oportuerit insumi, tamen amicabili compositione toties concedere potuerunt in eandem sententiam, ut singulis ferè Comitiis iste obtigerit finis, **haben wir uns mit Ihnen / und Sie sich hinwiederum mit uns verglichen / &c.** atqui hâc ratione, si sc. ex præ deliberatis, certoque ac per LL. Publicas determinato ordine, cuncta agerentur in Comitiis, longè promptiùs faciliusque, ac etiam minori tempore de Republica consultatum, decisumque iri, multò est probabilius.

Et hæc quidem dicta sint, de Comitiis ipsis, deque necessitate comparendi loco & tempore comitiorum nec non modo & Ordine proponendi. Cùm autem ad negotium ipsum ventum fuerit, nemini ignotum est, hodiè Publicas deliberatio

berationes instituì per tria Collegia, Electorum, Principum, [ad quorum Senatũ pertinent etiam Comites & Prælati,] nec non Urbium, vulgò dicuntur, die drey Reichs-Räth/ & quod in singulis istis Consiliis concluditur, vocari solet, votum curiatum, sumptâ forsan appellatione exinde quod Cæsari Statuum placita curiatim offerri consueverint.

Iste mos per classes sive curias in Publicis deliberandi non est admodùm vetustus, sed cœpit primùm tempore Imperatoris Frid. III. quo secesserunt Electores à cæteris Imperii Principibus, ut videtur amplioris dignitatis intuitu, sive ut propter Electoralem prærogativam, peculiari aliquo conclavi à cæteris secernerentur; fecerunt idem Principes respectu Urbium, & sic arbitror emersisse tria ista Collegia, nam cur Comites & Prælatos, passi fuerint Principes in suum Collegium venire, forsan ratio fuit, quòd Comites & Prælati collegiatim miserint Legatos, sic ut illi essent pauciſſimi, qui præterea propter repræsentationem plurium Comitum, loco Legati Principis, tantò faciliùs potuerunt admitti.

Hæc res, quàm parva etiam fortè ab initio visa fuerit, tam magnæ debuit esse considerationis, & peperit omninò insignes effectus, nam ex quo tempore per curias agi solet, Electorale Collegium, si non majori, saltem pari authoritate vulgò habetur, cum Collegio Principum, quamvis ante Instrumentum Pacis sex tantùm Electoralia vota, hodiè septem, dempto sc. Bohemiæ Rege, qui ad Comitia Germanica, non venit; Principum verò vota, tam multa numerare liceat. Perinde est igitur, si res ex vulgari usu vel opinione dijudicanda sit, ac si tempore primæ in curias secessionis lata foret lex; in Publicis negotiis, posteà unius Electoris votum præponderaturum esse, aut saltem æquiparatum iri decem circiter Principum votis; nullus autem dubito, Principes Imperii acerrimè restitutos fuisse, ne hujusmodi lex aliqua inducerétur, & tamen classes illæ non tantùm quod ad honoris vel dignitatis distinctionem attinet, quatenus quidem facilè acquiesci poterat, sed etiam quoad considerabiles effectus alios, si tamen semper ex vulgari

vulgari ſententiâ loquimur, non videntur fuiſſe improbatæ, vel ſuo ſenſu contradictæ.

Verùm diſcurſum hunc rumpam, & alio loco infrâ proponam, in ſpecie lubet aliquid addere, de voto deciſivo Urbium Imperialium, quibus quin idem competat, hodiè poſt Inſtrumentum Pacis dubium non eſt, ſed quo ſenſu competat, an etiam ad effectum ſimultaneæ re: & correlationis, vel quomodo aliter, iſthæc res adhuc dũ ſolet controverti, & in Comitiis 1654. acriter agitata fuiſſe dicitur, profectò autem multũ ab eâ quæſtione in Publicis pendet, nam prout diverſimodè votum Urbium deciſivum hodiè explicatur, neceſſe eſt etiam diverſimodè intelligi majora, ſive ut ſic dicam, pluralitatem votorum ex parte Ordinum.

Operæ pretium fuerit hanc rem nonnihil diſtinctiùs in medium adducere, & quidem in citatis modò Comitiis de Anno 1654. cùm ſuperiora duo Collegia Electorum & Principum, conſueto modo inter ſe re- & correferent, voluerunt, etiam Urbes admitti, ex vigore voti

decisivi, additâ ratione, quia nisi ipsis hoc concederetur, fore, ut dicis tantùm gratiâ haberent votum decisivum, videlicet, cum duobus cæteris Collegiis in unum consentientibns, ipsæ Urbes ultrò accedere vel per majora jam facta, in consequentiam vinci debeant.

Econtrà ex parte Collegii Electoralis vel Principalis remonstratum fuit Urbibus, admissionem ad simul re- & correferendum, non esse sequelam voti decisivi, sed naturam ejus in hoc consistere; posito, quamvis superiora Collegia consentiant, tamen non posse istam sententiam pro pleno Ordinum concluso haberi, nisi etiam Urbes suffragio suo accesserint, sey solche deß Chur- und Fürstl. Collegii Meynung kein völlig Reichs gutachten/ biß auch die Städt damit übereinstimmen thäten/ ceu refert Author der Grundfeste ejus rei oculatus testis, qui addit Archiducalem Domum Austriæ, in Consilio Principum hanc sententiam præ cæteris extremè propugnâsse, ne Urbes ad simultaneam re- & correlationem admitterentur.

Non

Non miror Auſtriacam Domum, in quâ viget culmen Imperiale, votum decisivum Urbium ita libenter intellexisse, quia sic Cæsar per consequentiam, longè amplius habet, quàm semissem potestatis Comitialis, ipsi enim Electores & Principes sic interpretati sunt, votum decisivum Urbium, quòd in casu dissensus earundem à reliquis Collegiis, ad Imperatorem res debeat deferri, qui vel hanc vel illam sententiam sit probaturus, & ideò quia Urbes per comparationem ad Electorum & Principum Collegia, præsertim simul sumpta, sunt longè inferioris authoritatis, certè id quod dixi, sequitur, si confirmari vellent Urbium placita, quod tamen consentientibus Curiis Superioribus, ut verosimile est redderetur difficile.

In summâ stante isthâc interpretatione voti decisivi Civitatum, votum Archiducale Auſtriacum vel ad idem collimabit cum cæteris Electoribus & Principibus aut saltem cum majoribus horum Collegiorum, vel diversam obtinebit sententiam & per majora vincetur; prio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 77, [341] - 327
PUBLIC DOMAIN

ri casu facilimè Electorum & Principum statuta confirmarentur, posteriori verò, haberent tamen Austriaci aliqualem accessum ad Urbes, & possent sibi illorum sententias fortè jungendo ad effectum Cæsareæ confirmationis consulere, aut saltem rem ad temperamentum aliquod & expedieus tertium, viâ amicabili tantò magis perducere.

Est igitur omninò Sereniſſimæ Domus Austriacæ diversa & peculiaris ratio, præ cæteris Electoribus ac Principibus, cur nolit votum decisivum Urbium cum effectu simultaneæ re-&correlationis, sed saltem in prædicto sensu negativo intellectum, reliqua enim Superiorum Collegiorum membra, possunt quidem idem velle, sed ad hunc finem ut Urbium potestas cohibeatur, dum scilicet probabilius reputant, Cæsarem à superioribus Collegiis vix fore alienum, & sic Urbium vorum in casu dissensus, haud multùm authoritatis habiturum. Quòd si verò rem ipsam attendimus, fortè plùs decedere videtur Electorum ac Principum Collegiis, ex denegatâ simultaneâ re-& correlatione

latione Urbium, respectu Imperatoris, quàm accedit respectu Civitatum.

Verùm ad rem redire placet, dixi paulò superiùs ab interpretatione voti decisivi Urbium dependere quæstionem illam perneceſſariam de pluralitate votorum in Comitiis, si enim duo suprema Collegia, quamvis consentiant, facere tamen non possunt exclusis Urbibus placitum Imperii, ein Reichs-Gutachten/ meritò quis quæret, quemadmodùm majora intelligi debeant in Comitiis, ut inde fiat, Imperii concluſum, & sub hâc ratione ipsi Imperatori ad ratificandum & consentiendum offerri possit.

Atqui expressis verbis sic interpretati sunt Electores & Principes eorumvé Deputati, usum voti decisivi Urbibus concessi in ihrer Erklärung wegen deß Reichs-Städtischen voti decisivi, dictis Comitiis de Anno 1654. mens. sept. exhibitâ, daß nemlich / wann das Städtische Collegium mißstimmig / und man sich/ wie herkommens/ mit ihnen Städten einer sämtlichen Meynung auff vorher gepflogene freye Handlung nicht vergleichen könte/

könte / nichts destoweniger solches alles / wie es von einem oder andern Collegiis bey den re- & correlationibus eingebracht worden / als einen unvollkommenen Schluß in ein gesamtes Bedencken an Ihr. Käyserl. Majest. verfassen zu lassen / zu dem End / daß durch dieselbe die fernere Vergleichung und Ausschlag bey ein- oder andern Stand gesucht werden möge.

Argumentor autem à fortiori; si ex consensu Electorali & Ducali, sive Principali, non constituuntur majora in Comitiis, semotis Urbibus, tunc multò minùs licebit majora colligere, ex consensu alterutrius illorum Collegiorum cum classe Urbium, & sic vulgaris ista sententia quòd duæ classes in Comitiis vincant tertiam, erit omninò falsa, cujus argumenti consequentiam agnoverunt duo superiora Collegia, in ihrer vor allegirten Erklärung verbis sequentibus: Ja es müsste auch endlich und zum sechsten / daraus dieses erfolgen / das / was das Städt Collegium bißhero den beyden höhern Collegiis nicht zugeben / noch sich an desselben majora binden lassen können / noch wollen / an

jetzt

jetzt zu allen Fällen die decisio deren zwischen beyden höhern Collegiis mißhelliger Meynungen einzig und allein bey den Städten / deren gefassten Rathschluß und affectirender pluralität stehen.

Sive igitur Electores & Principes secum consentiant, dissentientibus Urbibus, sive alterutrum illorum Collegiorum sentiat cum Urbibus, altero contradicente, nunquam ut dixi, sententiâ istâc stante majora fient; apparet autem, ex his, Electores & Principes, hanc cumprimis habuisse causam, non admittendi Civitates ad re- & correlationem unico actu expediendam, ne illæ per pluralitatem possent majora facere, adeoque authoritate nimis crescere, & sic mens fuit prædictæ declarationis, nullam dare, ut sic dicam, pluralitatem Classium Comitialem, sed amicabili viâ inibi agendum esse, primùm in ipsis Collegiis, deinde in re- & correlatione Collegiorum, tertiò dum sic conveniri nequeat, mediâ interpositione & authoritate Cæsareâ, ubi tamen vox illa und Ausschlag in verbis suprà relatis, peculiarem videtur habere ener-

energiam, quasi Imperatori in extremo casu discrepantium Ordinum, etiamsi ex parte illorũ, quòd ex præsuppositò benè notandum, nulla adsint majora liceat sententiam aliquam ad effectum Comitialis concluſi, approbare, de quâ re tamen, quid sentiendum sit, mox dicetur.

Ex adverso Urbes Imperiales in suâ declaratione ulteriori defenderunt dignitatis quidem respectu, sed non valoris, suum votum curiatum cedere debere Electorum vel Principum curiis singulatim consideratis, verba sunt perspicua: Und obgleich von den Stätten diese Wort ex Instrumento Pacis gebrauchet werden/ quòd ipsis competat votum decisivũ, non minùs quàm cæteris Statibus, uñ daß sie dẽ Superioribus æquiparit seyn/ solches doch allezeit mit der beygesetzten austrücklichen clausul geschehen / salvâ tamen Ordinis & dignitatis prærogativa, und so wenig ein Gelehrter in den beeden höhern Collegiis denen Gräffl. und andern höhern Standes-Personen darum an Stand/ Dignität und Gräfflichen Stand gleich durchaus zu achten/ obschon jener so wohl als dieser gleiches Recht/

Recht / und sein votum abzulegen hat; also wenig werden die Städt per omnia & in omnibus denen höhern Ständen gleich zu halten / noch einzubilden seyn / ob sie gleich auch ihr votum decisivum, wie andere Ständ / auszuüben begehren / dieweilen sie doch alle vota decisiva et curiata seyn / also einen effect auch haben sollen.

Secundùm hanc itaque sententiam, duæ Classes vincerent tertiam, non est incognitum unum vel aliud præjudicium pro eâdem allegari solere, quo quidem, usi fuerint ipsi Electores in casu dissensus à Principibus voluerintque cum junctis sibi Urbibus majora constituere, attamen in Comitiis non videtur rarum esse, ut pro rei exigentiâ & comoditate, quidquam fiat, ex quo deinde, præsertim quoad unum vel alterum actum, controversum & contradictum, Publicum Jus, præcisè metiri non licet.

In summâ ex hactenus deductis satis constat, hodiè non esse expeditum, quòd majora interpretanda veniant in Comitiis respectu Classium ac niti negativam hac in re sententiam, Electorum atque

atque Principum, vel omnium, vel certè plurimorum authoritate; quòd verò ad rem ipsàm attinet, hæc res infrà iterum occurret, ubi deduco, salvâ tamen proportionalitate vota ipsa numeranda regulariter esse, non Classes, adhunc effectum, ut majora fiant, quâ proportionalitate attentâ, nihil videtur decedere voto decisivo Urbium, sive illæ ad re- & correlationem pari passu admittuntur, sive secundùm modum hactenus usitatum, Electores & Principes inter se priùs deliberent re- & correferant, & concludant.

Porrò ubi Status inter se, vel per majora concluserint, offertur Statuum conventio ipsi Imperatori, quo similiter idem statuente fit conclusum Imperiale, ein Reichs-Schluß/qui deinde per Deputatos consuevit hactenus redigi in formam Recessus. At enim prætereà iste scrupulus supereſt, si fortassis Imperator Ordines Imperii convenire nequeant, quemadmodùm tunc retardationi Comitiorum, quibusvé mediis consulere liceat, nam ex dissensu illo Cæsaris & Statuum Imperii haud rarò Comitia in longum

gum extrahuntur, cùm, ut suprà est ostensum sine Imperatoris consensu, fieri nequeat pragmatica Sanctio Imperii, itaque accidit, ut hinc inde replicetur, duplicetur &c. atque adeò, dum ex unâ parte Cæsar, ex alterâ Ordines, acriter & pertinaciter in sententiâ persistunt, per moras illas Publicæ necessitates vel diu vel penitùs maneant indecisæ.

Huic malo multi occurrere satagunt inde, quòd Imperator tali casu debeat de plenitudine potestatis posse decidere; quam opinionem amplectuntur, Author der Donawerthischen Erinnerung/ *Besold. Reinking.* & alii relati *à Müllero apud Rumlin. in not. ad A. B. p. 2. dissert. 3. fol. m.* 410. Quorsum Electoris Saxoniæ Christiani Secundi votum in conventu Fuldensi de Anno 1608. per Deputatos emissum, plausibiliter admodùm, refert ex Camerario *Beckerus in Synops. Jur. Publ. p. 2. c. 3. f. m.* 50. inter alia his verbis: Muste ja einmahl ein Richter seyn/ und gebührte in solchen Fällen der Ausschlag Ihrer Majest. *item*, wolten oder könten Ihr Churfürstl. Gnad. der Käyserl. Majest.

Majest. Ihrer habende und herbrachte Jurisdiction nicht disputiren lassen / wer einsmahl an dem / daß dieselbe fons jurisdictonis, und daß alle exemptiones privilegia und Austrag / von dero herkommen / ꝛc.

Collimare etiam eodem videntur varia Recessuum Imperii exempla, quibus Imperatores Romano Germanici, de permissu Statuum deciderunt soli; cumprimis verò ejus sententiæ Patroni, in medium afferre amant Recessum Imperii de Anno 1544. §. Als wir aber in der Handlung befinden / verbis ibid. subjectis; da wir für uns selbst / und aus unserer Käys. Macht / und Vollkommenheit / Ordnung darinn fürnehmen und geben würden / daß sie solches geschehen lassen und dulten müsten / und in demselbigen uns / als Römisch. Käysern keine Form oder Maß zusetzen wüsten.

Cæterùm si de jure isthæc quæstio decidi deberet, copiam suppetere posse puto ex his, quæ superiùs jam deduxi, circa ventilationem intrinsecæ qualitatis & conditionis nostræ Reipublicæ, ubi suffragante Instrum. Pac. ostensum est,

Cæsa-

Cæsarem, & Status junctim, habere propè exequatam potestatem in Comitiis; ex eo enim absque dubio sequitur, in casu, ubi Status Imperii simul sumpti, in Imperatoris sententiam spontè concedere nolunt, nihil actum iri in Publicis. Tantum hujus loci quæstio est de commodo Reipublicæ & utrùm non videatur expedire Publicæ utilitati, si Cæsar & Ordines convenire nequeant, ut hi tandem, absolutæ potestati cedant, ac decretis hujusmodi Cæsareis constringantur?

Quâ in re omninò inspicienda venit facies Reipublicæ & cùm mixta sit atq; ex Monarchiâ & Aristocratiâ contemperata, profectò eidem nihil periculosius evenire vel excogitari potest, quàm si Status Imperii, aut idem cum Imperatore sentire, aut si dissentiant, nihilosciùs tandem decretis Imperatoriis, ut vocant de potestatis plenitudine latis, vel inviti acquiescere compellantur. Quid enim hoc quæso aliud est, quàm Rempublicam facere ex Mixtâ Monarchicam, & Statuum libertatem ac jura Imperatoriæ Majestati planissimè subjicere.

Enim verò etiam apud priſcos Imperatores Romanos, illud obtinuit, ut in condendis LLbus vota requirerentur Senatorum, ac deinceps, cùm iidem conſentiſſent in idem placitum, accedens Cæſarea confirmatio conſtitueret legem univerſalem; ſed nihiloſeciùs tunc obtinuit Monarchia, quia nimirùm, hoc ipſum tantùm pertinuit ad bene eſſe, ac ut LL. Publicæ, cautiùs ac vigilantiori ſtudio ſancirentur, tametſi verò Senatores illi alioquin contrarium ſtatuerent, Imperatoris tamen placitum valuit in vim Legis Publicæ; pari ratione Comitia Germaniæ noſtræ ex parte Ordinum tantùm, forent conſultativa, nec illis vota deciſiva competerent niſi dicis tantùm gratiâ, præſuppoſitâ illâ ſententiâ, quòd in caſu diſſenſus ſolus Imperator, poſſit decernere. Id quod libertati Germanicæ & Inſtrum. Pac. vigore cujus Imperator in conſultis nec conſentientibus Ordinibus, in Publicis Comitiorum negotiis nihil omninò poteſt, apertiſſimè reclamat & contradicit

Nec movent quæ in contrarium videntur

dentur allata, nam 1. quod concernit votum Electorale Saxonicum, illud sanè quæcunque etiam ejus mens sit atque intentio, præjudicare non potuit, reliquis Imperii Electoribus, Principibus & Statibus. 2. Recessus Imperii de Anno 1544. continet casum, non ubi omnes Ordines junctim sumpti ex unâ parte, ex alterâ verò Cæsar steterat, sed hinc Catholici erant, isthinc Evangelici, quorum hi in certis quibusdam capitulis, decisionem spontè ad Cæsarem detulerant, illi cùm verbis abnuissent, ut Decreta Imperatoris circa controversias illas, tantò justius lata viderentur, sub specie reluctantium eidem civiliter se submiserunt. Non ergò indè sequitur, Imperatorem posse vel debere, invitis Statibus junctim consideratis, quicquam decidere in Comitiis; quòd si Ordines ultrò interdum deferunt Imperatori istud negotium ac potestatem, profectò magis pro contrariâ parte signum est, Cæsarem videlicet, illud commodo Publico regulariter sibi vindicare, aut Status etiam persistentes extremè in suâ sententiâ, decretis suis ligare non posse.

Colligamus igitur conditionem noſtræ Reipublicæ expoſcere, ne ſub quocunque nomine, in caſu finalis diſſenſus Imperatoria poteſtas, ſibi uſurpare queat, etiam ſolitariæ deciſionis remedia ac prærogativam invitis Statibus. Verùm enim verò jam dubium ſuprà motum, quâ igitur ratione huic rei medela congrua adinveniri & applicari poſſit, nondum eſt ſublatum, ſed ulteriorem & aliam conſequenter deſiderat diſcuſſionem. At verò difficilè omninò eſt, hâc ex parte expromere aptum remedium, quando quidem perinde haberi debet, ſi quis ſtudeat modum tradere, quo Cæſar hinc, illinc Ordines Imperii ſimul accepti, in Comitiis invicem diſcrepantes cõmodè componi queant, ac ſi quis cujuscunque Polyarchici Regiminis vota ſtabili quadam lege, ad concordiam redigere ſatagat; ſanè propter hanc eandem cauſam, in Republica Romanâ veteri, quæ tamen alioquin in multis egregia fuit, conſultationum Publicarum ſciſſiones, ac diverſæ toties & contrariæ deliberantium ſententiæ, multum

tum detrimenti attulerunt, idem plerisque Rebuspublicis antiquitùs & hodienum accidit, in quibus ſumma poteſtas reſedit penes plures.

Quid igitur mirum, ſi ex illo quoq; capite Imperium Romano-Germanicum modernum, cujus Majeſtas, penes Cæſarem & Ordines junctim, abſque dubio exiſtiſtit, deteriùs habere videatur, quod in caſu diſſenſus, non ita obvia ſint remedia, quibus Cæſar & Status diſſentientes ad unitatem placitorum, in Comitiis revocari poſſint? Interim etiam in re quamvis difficiliori, laborandum eſt, ut quantum fieri poteſt, in melius reducatur; ſic itaque inpræſentiarum, ſi Imperator & Status adeò conſtanter diſſentirent in Comitiis, ut nec, ſufficienter ſuarum rationum, hinc inde expoſitis monumentis, in idem placitum tandem transirent, æquum omninò foret intercedere Conſilium Status, non jubendo, id enim eſſet incongruum, ſed humili vel condecenti reſpectu admonendo; quòd ſi nihil exinde efficeretur, ſed Comitia, quantum ad illum punctum, ſolverentur

citra effectum, aut res relinquenda venit sine decisione, aut si decidi eandem publicè interfit, hoc tali casu, vix aliud remedium sese offeret, quàm ut Consilium Status mentem suam, quid hâc de re sentiat, absque morâ aperire de novo debeat, cui si acquiescatur, benè foret; saltem minus, haud abs re erit, ut, intra certa Comitia, Lege totius Imperii definienda, ab eâ parte [Cæsare vel Statibus junctim,] cujus sententiam Publicæ utilitati minùs correspondentem, Consilium Status suffragio isto suo consultivo reputaverit, amicabili compositione, cum alterâ parte res sopiatur, aut lapsis tot Comitiis infectâ nec transactâ re, pars hæc, quousque aliter conventum fuerit, voto isto suo utpote verosimiliùs, ad Publicum commodum magis accedente, interea per Leges Imperii obtineat.

Ratio est, quia certè æquum videri poterit, ut, cùm Resp. Romano-Germanica, nec penes Cæsarem seorsim, nec penes Status seorsim habeatur, in casu finalis dissensus, de quo loquimur, altera pars saltem hoc modo vincere debeat, ut ejus votum, pro quo non modò est præsumptio

ptio ſuffragantis Conſilii Status, ſed etiam tot Comitiorum re nec transactâ præterlapſorum, interea quousque aliter conveniatur, Publicæ utilitatis gratiâ, quaſi in poſſeſſorio valeat.

Profectò tali caſu ſignum foret, alteram illam partem, nolle rem deciſam, nec æquo pacto & Reipublicæ utili finitam, id quod, cùm Respublica ad alteram partem, ex ratione ſuperiùs expoſitâ æquè pertineat, in perniciem Reipublicæ tolerandum nequaquã videtur, eaq; propter, ſi quæſtio ejusmodi caſu diſcrepantiæ, verſetur non ita ardua, haud ilicò proſiliendum eſt ad ſuffragationem Conſilii Status, videlicet propter levitatem cauſæ, & quia etiam expedit omnem lapidem moveri, ut Cæſar & Status, ut plurimùm, amicabili ratione conveniant, aut ſi id fieri nequeat, in his, ubi non ita præſentaneum eſt Reipublicæ inſigne aliquod intereſſe, potiùs rei deciſio maneat in ſuſpenſo, præterea cùm jura alterutrius partis vel Cæſaris vel Statuum, injuſtè ac notoriè carperentur, vel adverſum LL. Publicas violarentur Conſilium Status fideliter

liter intercedendo se gerere deberet, ad modum illum, qui jam suprà suo loco est traditus.

Cæterùm hi casus, quibus Imperator & Ordines Imperii, eousque ad extremum sententiis distrahantur, ut nulla amicabilis conventio locum invenire possit, sunt omninò rariores, nam vel Cæsar cessit tandem, vel Status, prout exempla docent. Hodiè præsertim verosimilius est, quòd Statibus vel omnibus, vel per majora consentientib⁹, Imperator suis rationib⁹ permoveatur, ut vel assentiatur in totum, vel certè remedia compositionis, seu temperamenta circa dissensum adhibeat; non quasi jus dissentiendi non habeat Imperator, sed quia sæpè ejus interest, contra tam Majestaticum propè Ecclesiasticorum & Secularium Electorum atque Principum cœtum, contraque tot Regias propè & antiquissimæ originis, familias, se unum, etsi fortè vincere possit, prævalere nolle, ob easq; causas etiam credideris, Carolum V. Imperatorem, cùm per Haunartum Legatum suum, in Comitiis de An. 1524. repugnâsset desideriis Statuũ tandem

tandem, certo modo, iisdem detulisse, ut videre est ex §. Damit aber dennoch/ &c.

Quin imò cui non optimè, notum est, quas difficultates in Comitiis ante hâc pepererit, religionis reformatio, & tamen diversi Imperatores, licet Evangelicis Statibus infensi, ad amicabiles tractatus concertantes Ordines, ne in hunc usque diem permoverunt, sed isti tamen casus, ut diximus sunt rariores. Profectò autem, ubi causa specialiter dissentiendi, prægnans adest, hodienum ita fit, ut vel unius Electoris vel Principis authoritas multùm possit in Comitiis, teste ipsâ experientiâ, quid ergò Status saltem per majora idem sentientes non præstiterint? Equidem verissimum est, inter Cæsarem & Ordines junctim sumptos exequatam haberi potestatem Comitialem, at de Praxi multa incidere possunt, ut nec velit altera pars planè dissentire vel negotia proposita etiã cum extremo renisu alterius partis decidere; amicabili viâ inter se utuntur Imperator & Status fœliciùs, si verò eidem locus esse nequeat, quandoq; ad mentem Statuum, præsertim unitorum itur.

Quapropter vulgatum istud, quod Cæsar Ordinum sententias vel concluſa, de plenitudine poteſtatis, pro lubitu confirmando, vel reformando, in esse decreti Imperialis constituere possit, vix obtinet & exercitio ac usu suis authoribus contradicente, refellitur. Tantùm de modo proponendi ac decidendi in Comitiis.

Illud deniqúe restat, ut de modo ac moderatione sumptuum Comitialium nonnihil dicatur, sanè enim non tantùm pro hoc rerum Statu, Publicorum conventuum impensæ, in nimium planè excrescere solent, sed maximè tunc hoc ipsum contingeret, si Comitia his tantis sumptibus haberentur stata nec longis temporum intervallis distantia, illud meritò dolendum est præsentem ætatem eousque luxu ineſcatam esse, ut etiam Germania nostra, antiquæ duritiei & frugalitatis immemor, studio deliciarum, secum quasi ipsa concertare videatur. Quòd autem hæc res fiat Publico detrimento, non multus labor est ostendere, ipsa experientia loquitur, quantis difficultatibus ex plebe & subditis Imperii exigantur collectæ, præsertim nupero

nupero tempore, ubi contra Turcam debuerant extra ordinem indictiones præstari.

Jam quia expensæ Comitiales, si non omninò, magnâ tamen ex parte, identidem in vulgus redundant, profectò inusitatâ isthac Comitiorum pompâ, cum primis certo tempore iterum habendorum, non possent non penitùs enervari & exhauriri, pauperes Germaniæ incolæ. At magnificum est dignitatis suæ externo etiam cultu ac splendore se exhibere parem? Imò verò vel pompâ isthâc magnificâ, majus quippiam ac præclarius haberi debet, sumptuosum hujusmodi splendorem, si res exigat remittere privatorum indigentiæ aliisque Reipublicæ oneribus; si enim quæreres, modernam Germaniam, quanti constet bellum Turcicum, & vicissim, quanti sustententur Comitia, profectò dubitare liceat, utrius rei sumptus excedant vel excedantur.

Ita fit, ut in uno bello, necesse sit geminas impendere pecunias, & ob eam causam, ne bella Germaniæ adeò de facili nutent, illud remedium suppetit, ut sumptus

ptus Comitiales, quatenus in nimium vergunt, revocentur ad congruum modum, ut enim convenit, Imperatoriam Majestatem, cùm Ordines singulos longè antecedat, majori etiam Comitatus magnificentiâ Comitiis interesse, deinde Electores, hinc Principes, posteà Comites &c. splendidè obversari, ita perinversum nihil magis luxum, Publico malo in-Imperium invehit, quàm si dignitate inferiores, ad superiorum ascendere velint cultum & magnificentiam; nam econtrario superiores illi sese exaquari dedignantur, ac splendori suo, gradum ulteriorem adjiciunt, ex hâc igitur causâ & radice, ut dixi, luxus crescit.

Quòd si de remedio cogitandum sit, non videtur promptius ac melius suppetere, quàm illud ipsum, quod antiquitus etiam observatum referunt, nimirum, ut quisque Statuum Imperii, pro diversitate dignitatis & conditionis certo quodam comitatus numero nec majori, ad Comitia compareat; cujusmodi apparet, illustre illud exemplum Babonis Comitis de Abensperg, quod Imperatoris Conradi

radi Salici tempore contigit; Cùm enim Babo iſte ſexaginta quatuor equitibus ſtipatus ad locum Comitiorum acceſſiſſet, hanc tantam contra Leges, ut videbatur, factam pompam, indignè tulit Cæſar, usq́; hac de re interrogatus Comes, reſpondiſſet, filios ſuos, quos genuerat triginta duos, cum ſingulis ſervis, numerum illum tanti Comitatus efficere, cui reſponſo quòd appareret, Babonem nil peccâſſe contra decreta Cæſarea, Imperator etiam acquievit clementer. In hunc igitur modum ſi Comitiorũ luxus cohibendus eſſet conſultum foret Publicâ lege ſtatui, intra certum nec ulteriorem numerum, habito reſpectu dignitatis, quemq́ue ex Ordinibus ad Comitia accedere, iisq́; intereſſe debere; quòd ſi transgrediatur legem, certam pœnam fiſco depenſurum, idemq́ue in aliis pro rerum circumſtantiis proportionaliter obſervari poſſet; equidem facilè credo, non accepta eſſe hæc talia, ſed percenſeri de genere rigidiorum monitorum.

Cæterùm ut in aliis, ita vel maximè hic, ab ipsâ re probè diſtingui debet abuſus, & aliud eſt, cum decenti magnificentiâ Comi-

Comitiis interſſe aliud ſuperabundanti luxu; poſterius hoc importat abuſum, qui Publicâ omninò utilitate rectè tolleretur, prius verò nedum imutandum non videtur, ſed potiùs Pragmaticâ ſanctione, ad Publicum decus Imperii & cujuſque Status dignitatem ſumptâ proportione, conſtabiliendum. Cætera, quæ ad hanc materiam pertinent, communia eſſe poſſunt his, quæ de repetendis Legibus Publicis, ſuper moderatione veſtitus & ſimilibus latis, jam ſuprà adducta fuerunt, quorſum propterea hanc rem brevitatis ergò remitto.

CAPUT XIV.

De milite Publico & Fortalitiis, Imperii nomine poſſidendis.

INter ea, quæ obſtant Germanorum Reipublicæ ne ad priſtinum faſtigium efflorescat, præcipuè etiam connumerari meretur, quòd non habemus militem, exercitio militari ac laboribus aſſuefactum, ſed quòd Imperator, ſinguli Principes & Status, pro cujuſque commodo & ingenio, privatim alant militiam, privatim

tim etiã munimenta teneant ac fortalitia; nec mirũ videri debet, me id genus militum, inter privatas copias referre, loquor enim in oppositione ad exercitus toti Imperio devinctos, quales verbi gratia, tempore veteris Regimenti fuerunt vel esse debuerunt. Hos tales milites hodiè nõ habemus in Imperio, ut constat; accedit alterum malum, quòd ea etiam militia, qualem nostro tempore conspicimus, non prius legi vel conscribi soleat, quàm cùm bellum incidit, pacis verò tempore omninò exulet, nam inde fit, ut hostes nobis duplici ex capite noceant, primò quia celerius copias contrahunt & inter Comitia Germaniæ, dum de numero indictionum ibi tractatur, unam vel alteram urbem occupant, prædas agunt, & nemine repellente, damni plurimùm inferunt; deinde, quivis ferè hostis copias habet exercitatas, Germanicus miles postquam ægrè conscribitur, novus tamen est, & ad negotia belli rudis.

Etsi verò habeantur alicubi, præsertim in locis Turciæ conterminis, etiam pacis tempore milites, veluti Gomorrhæ,

morrhæ, Rabæ & alibi, tamen illa præsidia per se tantum pertinent ad Coronam Hungariæ, non verò ad Imperatorem, in quantum est Cæsar vel Rex Germaniæ: deinde præsidiarii isti, loca illa munitiora, tueri quidem possunt, sed impetum hostilis exercitus, ne excurrendo noceat, ferro & igni terras Germaniæ populetur, propulsare non possunt. Itaque Imperium, per Præsidiarios illos milites, ad summum, hoc boni obtinet, ne quævis etiam parva barbarorum manus carpere ac deprædari fines nostros conetur, sed adversus numerosiores copias, ne detrimenta inferant, per illa fortalitia Hungariæ nequaquam sartum tectum est.

Quid quod etiam isthæc qualiscunque tandem securitas, Reipublicæ non eveniat, nisi planè ex accidenti, in quantum nempe est, ex re Hungariæ, illa loca teneri aptis præsidiis, si aliter videatur, Imperium Germanicum demandare non potest, cui duciquove militum numero custodia illarum urbium committi debeat. Ergò difficilis res est ac periculi plena,

plena, Germaniæ ſecuritatem pacemque Publicam, quod ad Turcam attinet, illinc dependere. Similis conditiones ſunt, diverſa per Germaniæ loca, Principum aç Statuum milites, delectus ſubditorum & fortalitia, ſpectant enim tantùm ad defendendam, hujus vel illius Principis ſive Status propriam Provinciam, ad cæteras Imperii partes, niſi cùm ex pernicie vicinitatis, juxta illud; Tua res agitur, cùm proximus ardet Ucalegon, periculum imminet, nil quicquam inde cõmodi dimanat.

Equidem in Ordinatione Executionis, multoties proviſum cautumque eſt, ut quævis violentæ & hoſtiles irruptiones, in cujuscunq; Status Territorium, circulari ope ac milite ſubmoveantur R. I. de Anno 1555. So fern aber ſolches vor ſich ſelbſt (nemlich dem Stand / in deſſen Land der Einbruch geſchiehet) nicht möglich wäre / alsdann ſoll er des Creyſes / unter den er begriffen / Oberſten / und zugeordnete / erſuchen / ihme nach Gelegenheit der Zahl und Macht / deß verſamleten hernloſen und andern Kriegs-Volck ꝛc. Hülff zu erweiſen / zuleiſten / und ſolch verſamlet hernlos oder

zweiffentlich Kriegs-Volck / wie obstehet/ mit Güte oder der That zutrennen.

Et paulò inferiùs, si Circulus non sufficit, disponitur, alios duos Circulos, vel casu insufficientiæ, adhuc alios duos Circulos, in subsidium vocandos, Im Fall aber berührte Kriegsempörung/Musterplätz / andere Rotirung und thätliche Vergewältigungen / gegen einem oder mehr Ständen/ oder einem gantzen Creys/ sich dermassen ereigneten / daß desselbigen Creys Obersten und zugeordnete/ die Sachen so beschwehrlich befunden / daß ihres Creyses bestimte Hülff dagegen nicht genugsam / alsdann sollen sie sich nichts destoweniger in ihrem Creys zum Widerstand gefast machen / und darzu Macht haben / der andern ihnẽ nächst angräntzenden zweyer Creys Obersten/und deren zugeordneten um Hülff anzuruffen ꝛc. & iterum wo nun dieser deß anruffenden und der andern zweyer erforderten und ihrer zugeordneten / Creys bestimte Hülff / auch nicht starck genug wäre / alsdann sollen sie sich nichts destoweniger mit ihrer Hülff in Rüstung und dannoch daneben Macht

und

und Gewalt haben / noch zweyer anderer Creyſen die den voriaen dreyen nicht zum weitſten entlegen / Oberſten und ihnen zugeordnete / fürter auch zu ſich zuerfordern.

Prætereà ratione quanti ſtatuitur. §. Ferner als hiebevor / ꝛc. So ſollen dieſe Hülff / auff deß Heil. Reichs-Anſchläg / der Geſtalt in einem jeden Creys geleiſtet werden / deß ein jeder Creys Stand ſein Anzahl zu Roß und Fuß / dem angeſetzten Anſchlag nach / auff deß Oberſten ſeines Creyſes erfordern / unweigerlich und ohnſeumlichen deß Orth / dahin er beſcheiden / zu benanter Zeit abfertigen ꝛc.

Quoniam vero de hinc accidere ſolebat, ut auxilia à Statibus miſſa non ſatis eſſent idonea ad militiam, ob eam cauſam Receſſus Imperii de Anno 1564. huic rei providere voluit §. Ferner dieweil; Sollen die jenigen ſo geübtes Kriegs-Volck unter ihnen nit haben / geübte tügliche / ſo in den Muſterungē beſtehen / ſonderlich zu Roß / in Dienſt- und Wartgelt / oder Beſtallung aufnehmē / oder in andere Weg deren gewiß ſeyn / damit ſie / ſo offt von den

Obersten sie ersucht / ihre geübte Kriegsleuth schickhen mögen ꝛc.

Quòd si planè non mitterentur auxilia ab hoc vel illo Statuum in hunc casum disposuit Recessus Imperii de Anno 1566. §. Den Verstricul ferner / ꝛc. hoc sc. fieri debere ex officio Præfecti Circularis sumptibus non parentium; und da auch einer oder mehr Ständ / in Leistung seiner Anschläg / säumig oder ungehorsam seyn würde / so soll denen Creysen oder denen Obristen und nachgeordneten zugelassen seyn / wo die säumige ihre Kriegsleuth auf ihre Anschläg nicht schickten / so hoch sich die ertragen / dieselbige Anzahl zu Roß und Fuß / selbst anzunehmen / aufzubringen und zuerhalten / alles auff deß ungehorsamen Kosten.

Pariter si fortè Præfecti militiæ circularis, vel Adjuncti deforent officio suo, cautum reperitur in d. Recessu de Anno 1566. §. Der disposition, ut alterius Circuli, Præfectus vel Adjuncti ejus rei curam suscipiant, & circulares milites ad depellendam in justam vim quantocyùs convocent; Breviter, in his capitibus consistunt

ſtunt nervi defenſionis Germanicæ, ſecundùm dictas Conſtitutiones, ut Præfecti vel Adjuncti cujusque, aut etiam vicini Circuli requirant auxilia Statuum, deinde ut Commembra Circularia, pro portione & exigentiâ Matriculari aptas copias mittant. Tertiò, ut ſi opꝰ fuerit plures Circuli, in unum coëant adverſus hoſtes, ſibique amicum præbeant adjutorium.

Verùm enim verò, quemadmodùm pax Publica, inde ipſo effectu conſtabiliatur, toties docuit ipſa experientia; cùm enim dudum jam latæ eſſent, illæ quas citavi leges, tamen poſteriores Imperii Receſſus valdè conqueruntur de turbationibꝰ Pacis Publicæ, quòd hiſce remediis difficulter averti poſſint, velut legimus in Receſs. Imp. de An. 1570. §. Welcher maſſen ꝛc. ibi, ſintemahl aber ſeithero vielmahl erfahren / daß nunmehr das Auffwickeln und Werben der Kriegsleuth / gantz geſchwind / und ehe man zu ſolchen Deputationis Tag kommen mag / ſie ihnen mit gantzer Macht auff ſeyn die Creys und Landen durchziehen / jederman betrüben

und beleidigen quæ querelæ etiam repetuntur in R. I. de Anno 1576. §. Zum andern ꝛc. in Recſs. Imp. de An. 1582. §. Wann aber & §. Ferners obwohl/ & in Receſs. Imp. de Anno 1594. §. Nach erledigten ꝛc.

Cujus rei cum fortean plures causæ ſuppetant, hæ tamen videntur eſſe præcipuæ, quod primò cura militaris hac ratione commiſſa ſit magnâ ex parte Statibus ſeu Civibus Imperii ſingulis, & quòd deinde non habeat Germania, militem Publicum perpetuum, difficile eſt enim ut tot Ordines cujusque Circuli, eâ promptitudine, quâ hoſtium aut cujusvis collectitiæ manus celeritas ac Reipublicæ neceſſitas, id ipſum exigit, ſingulatim contrahant apta auxilia, cumprimis quia pacis tempore exercitia belli plerisque in locis exulant, nec, cùm quieſcere etiam licet, ceu monitum eſt Periclis ad Athenienſes, bellum meditantur Germani.

Ob eamque cauſam, quia & viri exercitati non ita ſunt obvii, aut ſi ſunt ſponte nomina dant militiæ, non vinculo aliquo ad hoc antè obſtricti, ac præterea illi, qui

qui delectus agunt militum, plures sunt, ad Rempublicam diversimodè affecti, non est, ut miremur quamobrem, nec quicquam remedentibus, modò adductis Imperii Constitutionibus, quæ si vel centies reiterarentur, profectò haud sufficerent, in contrahendis copiis, Germania hodiè tantas nectat moras.

Quod ut adhuc dilucidiùs appareat, conferamus modò huc paululùm, veterem illam Romanam militiam; ibi sanè, quamvis primo post exactos Reges tempore, penes Senatum, ac deinceps penes populum summa rerum esset, non tamen singuli Senatores, nec totus populus, sed Consules tantum, & quidem post inductam & adauctam Tribunitiam potestatem ex permissu Tribunorum plebis, delectus militum habere solebant; Deinde robur militiæ Romanæ, potissimum, constitit ex indigenis ac Romanis, quo intuitu, allegavi, suprà locum ex Livio, ubi Scipio Africanus heros iste Ducum Romanorum in Senatu disserebat; Romanos cùm ab sociis deserti essent, suis viribus & Romano milite adversus Annibalem ste-

tisse sed etiam, delecti illi milites ad vicesima usque stipendia castra sequi, necessum habuerunt.

At verò in Germaniâ, inversa hodiè est ratio, nam, omnes illi, qui de Republicâ participant, ac Status sive Cives propriè vocari merentur, delectus agunt militares, per se quisq; seorsim, & quatenus proportio Territoriorum ad taxationem Matriculæ reflexa exigit; ita fit, ut ad Publicum quidem commodum seu protectionem salutis & tranquillitatis Publicæ, conscriptio illa copiarum suscipiatur, modus tamen eas contrahendi manere videatur privatus, & singulorum curæ principialiter relictus.

Quamvis enim, etiam Præfecti Circulares illorumque Adjuncti ex præcitatâ Imperii sanctione ad hoc munus vocentur, tamen, illud tantùm fit subsidiariè, si sc. unus vel alter ex Ordinibus Imperii, competentem militum numerum non convocet, aut alioquin viros imbelles, nec satis instructos ad Circulum transmittat; ast verò, dum negotium hoc primò incumbit ipsis Statibus, necessum est

hærere

hærere interim ac in ſuſpenſo relinqui, Præfectos Circulares eorumque ad junctos, utrùm nimirum, hujus vel illius Status, qui contingentem militiæ partem ex tempore non mittit ſubſidium, ex officio ſeligere, atque conſcribere oporteat, quod profectò difficile eſt ex diverſis, primò quia ſuſpicari poſſunt; ne Status ipſi hoc munus ſuum expleant & ita ex feſtinantiâ ſubſidialis illius delectus Circularis, duplici onere graventur. Deinde Præfecti & Adjuncti, cæteris Circuli Commembris, plerumque devincti ſunt favore, cum iisque agunt civiliter & quidem ob eam cauſam, quoniam ſc. ab ipſis ad hanc prærogativam ac munus, Præfecturæ & adjunctionis Circularis, per electionem ſunt aſſumpti, quinimò nonnulli Ordines Circulares adeò eminent, ut vel ſolâ autoritate ac reſpectu ſuo efficiant, quò minus Circulus, hoc ſuo efficio ſubſidiario contra ſe defungatur.

Cui denique accedit, quod deficiant ad hanc rem ſumptus, nec niſi per odioſas executionum ambages, confici ac reparari queant; priusquàm igitur hæc onera ex-

ra experiantur Præfecti & adjuncti Circulorum, sanè magis connivent omissioni delectuum, cumprimis si res fortean spectet ad alterum Circulũ, cui se omninò non immiscere, quàm istas, quas recensui & similes difficultates subire satius ducunt, adeoque bonum Publicum inde patitur.

Quid dicam de Chiliarchis, Subchiliarchis, aliisque militiæ officialibus, qui ipsi prius non habentur, sed cùm res exposcit, demùm eliguntur, item de commeatu, tormentis, aliisque bellicis necessitatibus, propter quas opus est Statibus, ut conveniant, deliberent, atque concludant; quod si fieri debet, profectò non possunt non necti moræ, interim hostilibus copiis, vel quâvis collectitiâ manu, damnum inferentibus, tametsi vel centies repetantur, ac quibusvis etiam clausulis, permuniantur; Imperii sanctiones de papercis Publicæ defensione, & modo exequendi conceptæ ac promulgatæ.

Porrò in Germaniâ militem Publicum, per diversa Imperii loca dispositum non habemus, nec etiam usitati sunt Publici

blici delectus, quibus miles indigena contrahatur, & exerceatur, sed si casus incidit, nomen militiæ ponere & castra sequi, cuique liberum est, quâ ex re evenit, ut ex variâ hominum colluvie, militia Germanica coalescat, qui nec sibi invicem noti, nec bellicarum actionum, nisi quis fortè fortunâ prius interfuerit bellis, gnari existunt atque periti.

Si quis igitur quærat, quemadmodum, quibusvé remediis, hæc talia vitia emendari debeant, responderi potest ex his, quæ jam sunt deducta, videlicet, deligendum esse ex flore juventutis Germanicæ, atque exercendum tum pacis, tum belli tempore, militem Publicum perpetuum, qui hostiles irruptiones vel intestinas seditiones promptè reprimere possit, locandumque per Provincias Imperii, maximè ad fines illos, unde hostiles verosimiliter metuuntur insultus.

Curam verò hujus rei atque inspectionem, è Rep. fore arbitror, comitti, non utique Præfectis militiæ Circularis in quibus non hoc observari solet, ut bellis sint exercitati, dum toties honoris ergò videntur

tur eligi, sed viris militaribus, quique artes belli tenent; nam si quibus hoc munus, dignitatis vel autoritatis intuitu, belli ramen ignaris defertur, necessum habent illi ipsi per deputatos commissam spartam exequi, jam fieri facilè potest, ut ista altera subdelegatio, ex favore vel affectu nonnullis committatur, similiter per se haud suffecturis, eoq; ipso Respublica inde patiatur detrimentum. Quidni igitur, pronius sit, statim primitùs ad delectus supplementa, & exercitia militum, hujusmodi viros, qui ipsi curæ illi ac inspectioni sufficiant, Publico nomine vocare ac deputare.

Sanè enim Dux exercitus, ejusque Præfecti & Subpræfecti meliùs judicabunt de his rebus, cum primis militibus suis, si ipsos habito delelectu ad bellum assumpserint, ac etiam pro usu militari exercuerint, confidentiores ac notiores erunt, propterea que expedit, curam militarem ipsis attribuere, quam rem, quòd sc. perpetui milites, præsertim etiam limitanei illi, omninò magnum momentum habeant, ad conservandam tranquillitatem,

tem, pacemque Publicam, exempli loco docere potest, vetus illa Romanorum Respublica, quæ quamvis multoties cum iniquiore fortunâ conflictata fuisset, ad ea tamen tempora, usque inconcussa stetit, quibus solutâ disciplinâ militari, limitanei illi milites, desierant.

Cujus rei causas compendiosè exponit *Avent. lib. 2. Chron. tit.* Von Unfleis der Käyser/ꝛc. hisce verbis; Nachdem die Römische Käyser gen Constantinopel sich setzten / huben Sie an eintzig zu feyren / in allem Unfleiß / nach Wolluſt des Leibs ihr Leben zuverzehren/ꝛc. Das Kriegs-Volck und die Knechte / so an Gestaden der Thonau und der Gräntz warten solten / musten viel leiden / wären gar arme / man schmälert ihren Sold / brach ihnen ihr Gestiffe und Pfründ ab / und wann einer mit Tode abgieng / erwehlet man keinen andern an seine Statt/ꝛc, Also nahme eintzig mit der Zeit / die Anzahl der besten gefliessenen Krieger ab / so an den Gräntzen und Gestaden lagen / dieselbige beschützen und bewohnen musten / da die Teutschen solches sahen / fielen sie stäts über die Wasser und Gräntzen /

ten / so unfleissig verhütet wurden / in das Römische Reich / verderbten / was sie ankamen / ꝛc. wie dann bey unsern Zeiten / als wir noch wohl empfinden / der Türck thut.

Ex quibus apparet, quod defensio Publica, quàm maximè innitatur, præsidio militari perpetuo, adeoque si Imperium Romano-Germanicum, tùm intra se, tùm extra adversus Turcas & alios hostes, sarrum tectum esse debeat, omnibus nervis in id incumbendum erit, ut habeamus militem exercitatum perpetuum, qui ubicunque opus sit, hostilibus turbis vel motibus, paratus occurrere possit. Deinde hunc exercitum, ex Germanis, & cujusque Circuli indigenis, legi convenit, non modò ex generali illâ Politicorum ratione, quòd videlicet, hi ipsi patriam magis quàm exteri diligant, sed etiam, quòd Germanica natio sit quasi naturâ bellicosissima, & ab antiquissimis usque temporibus, gloriâ bellicæ virtutis, nulli secunda.

Quæ enim recenseri potest reliqua gens, cujus arma Romani quondam Imperii, non jam decrescentis & inclinati, sed

sed florentissimi & adulti potentiam, salvâ semper libertate ac Marte dubio lacessiverit, & impugnaverit. Equidem meminerunt historiæ, Persarum quoque cum Romanis bella, ac fortunam victoriis & cladibus ambiguam; sed Persicum Imperium modernum, Republica Germanorum est multis seculis recentius, & ab Ismaële Sopho, ad eos, qui nunc rerum potiuntur Persarum Reges, nondum per ducentos annos derivatum, gloria verò isthæc vetustior, quanquam nihilosecius antiquitatem Germanicæ virtutis non attingit, ad præsens regnum Persiæ, id circò non pertinet, quòd Persia, per varias vices modò Saracenis, modò Turcis, modò Tartaris, ac Scythis, ab illo tempore quo cum Romanis Imperatoribus bella gesserat, subjecta paruerit.

Gens verò Germanica Imperium suum, inde à tot seculis, ad præsentem usq; ætatem, contra plurimos hostes, fortiter propagavit, atque defendit. Cùm igitur Germanus miles hodienùm vigeat, & à potentissimis Regibus, tùm ob fortitudinem tum ob fidem, pro robore exercitus lega-

legatur, quidni ex flore juventutis Germanicæ, egregias & hostibus formidabiles copias, accedente exercitio belli ad perpetuas Reipublicæ excubias colligere, & his ipsis injustam vim & impetum hostilem, ulcisci ac refringere liceat? Profectò in hac re Pacis Publicæ defensio, sita meritò videbitur.

At enim, illud quàm maximè objectum iri cerno, quemadmodùm quibusvé mediis exercitus perpetuus in Republica Romano-Germanicâ ali & sustentari possit? siquidem dictu facile sit, perpetuum constitui exercitum sumptus verò adhoc ipsum, expendi atque colligi, prout suprà pro præsenti Statu & modo contribuendi in bellum, idem sum confessus difficultatis & laboris pleniſſimum.

Cui dubio satisfieri partim potest, ex his, quæ inferiùs, de Publico ærario & mediis illud inducendi disseram, partim etiam inde respondetur, quòd perpetuitas illa sumptuum, adhibitâ moderatione stipendii militaris, omninò futura sit tolerabilis, nam pacis tempore, non parem laborem conferunt, pariavé pro Republicâ

blica pericula ſuſtinent milites, quæ obverſante bello, eosdem oportet ſubire. Quapropter æquum etiam eſt, ut duces belli, Præfecti, officiales & quicunque gregarii milites, à Republicâ non ſimiliter remunerationem accipiant, ſed durante quidem bello auctius, inter togam verò, remiſſius ſtipendium nanciſcantur.

Quam rem confœderati Germaniæ Status [uſitato & κατ' ἐξοχὴν ſumpto nomine, die Alliance] cautè admodùm obſervaverunt, dum belli Ducibus & Præfectis, ante præſens bellum Turcicum, circiter medietatem, tandem etiam, ſi vera fama fuit, quadrantem conſtituti alioquin ſalarii præbuerunt. Quid ergò repugnet, quò minus circa ſuſtentationem perpetuæ militiæ hoc idem obſervari, & Legibus etiam Publicis induci queat, planè nihil video.

Imò reſpicamus Suecorum Regnum, & ad Germaniæ vires conferamus, nonnè fatendum fuerit, illud multis modis, diſpar eſſe atque inferius, tamen Sueci non modò perpetuos habent mili-

tes atque delectus suæ nationis, sed etiam huic oneri ferundo, manifestè sufficiunt, quidni igitur etiam in Germaniâ illud Publico nomine imitari liceat, quod vel aliqui Germaniæ Status, ratione particularis fœderis, benè fecerunt, vel exteri etiã in usu habuerunt, & etiamnum cautè exercent? Cæterùm omninò præcavendum est, ne hi, qui militarem curam suscipiunt, per abusum officii Reipublicæ periculum creare possint, quemadmodum Dux Fridlandiæ, Cæsari Regnum Bohemiæ omnibus viribus adimere conatus esse fertur, quos ausus, ut nonnulli volunt etiam perfeciſſet, aut certè ingentes turbas hinc dediſſet, nisi maturius è medio sublatus fuisset.

Ad eum igitur finem, & ut ab hujusmodi machinationibus Imperium immune sit ac salvum, consultum videtur, primò, ne summa rei militaris simpliciter seu illimitatè committatur uni, sed ut prudentes viros militares, quippe quos ipsa etiam Ordinatio executionis requirit, Dux belli habeat Adjunctos, eosq; emergente casu in consilium adhibeat. Quod, ut com-

ut commodè fieri possit, expediet, hos ipsos Adjunctos in expeditione semper præsentes esse Duci & exercitui, & insimul castra sequi, ne si fortassis rerum gerendarum occasio adsit, per expectationem absentis Consilii, eadem è manibus elabatur, sive etiam, per Ducis erratum clades attrahatur.

Propter hæc duo enim, plura perierunt Regna & Respublicæ, quod vel Duces arma in easdem converterint, sicut fecit Julius Cæsar, contra Rempublicam Romanorum & Sforcia Cotiniola, adversus Johannam Neapoleos Reginam, nostraque ætate, rarissimæ astutiæ Anglorum Tyrannus Cronvvellius, adversus Regem Stuartum; vel etiam, quòd contra hostes res malè gesserint, negotia belli segniter administraverint, & Reipublicæ funestas clades attulerint, sicut accidit Athenienſium Democratiæ, in bello Siculo, nec non Venetis in prælio ad Vailam gesto.

Cæteroquin Ducem unum Generalem, restrictæ tamen potestatis, constituere, omninò in rem facere videtur.

Imperii, imò neceſſarium eſſe; ſi enim plures habeantur Præfecti militiæ pari autoritate, quorum adeò nemo alterius recognoſcat Imperium, exoriri ſolent diſſenſiones ac æmulationes, eoque facilius hoſtibus præbetur occaſio victoriæ, ut quondam contigit Gallis in Ravennenſi pugnâ, quibus Proregis Neapolitani, & Navarri Ducis æmulationes, ad victoriam valdè profuerunt.

Verùm planè differunt iſta duo; an Dux belli ſummus, cuncta ex ſuo ſolius arbitratu, circa militaria negotia agere, cum hoſte confligere, urbes & fortalitia obſidere, ad hoſtile vel amicum ſolum exercitus ducere, & id genus alia, nec convocato peritorum conſilio perficere debeat ac poſſit; & utrùm, cum hoc tale aliquid, communi placito aut certè majorum ſuffragio comprobatum eſt, ipſa expeditio ſive ſuſceptio negotii, unius curæ ac gubernationi principaliter committenda ſit, nec ne? Primũ illud, ut dixi, eſt periculoſiſſimum, multisque Imperiis extremam attulit perniciem; poſterius verò ad adminiſtrationem belli, resque

ſque præclarè gerendas, apprimè utile ac neceſſarium.

Deinde, ne Adjuncti illi certis pactis cum ipſo Duce, adverſus Rempublicam facilè conſpirare poſſint, ea cautela ſuppetit, ne habeantur perpetui, ſed ut ſtatis quibusdam temporibus mutentur & ſubinde alii viri militiæ ſimiliter periti aſſumantur; ratio eſt, quia ad evitandum conſpirationis periculum, alterutrum eligendum venit, vel ut Dux iſte ſit & habeatur temporaneus, vel ut illius Adjuncti, per certum tempus officio defuncti, ſucceſſores accipiant, poteſtatem Ducis ad ſalutem Reipublicæ identidem contemperaturos.

Crebrior officii Ducalis mutatio eſt omninò detrimentoſa Imperio, quandoquidem longè major paratur ex tempore & uſu, rerum gerendarum promptitudo; ideoque Dux iſte, qui novit fortitudinem & ingenia militum, aciem ſæpè inſtruxit, multisque præliis hoc milite decertavit, Urbes circumſedit, expugnavit, & quæ alia ſunt, meliùs omninò expediet belli munera, quàm is, qui noviter ad exercitum venit.

Unde Annibal, cùm apud Rhodanum procinctus ſtaret ad prælium, Cornelium Scipionem, Conſulem Romanum, habitâ ad milites oratione, ſemeſtrem Ducem vocat, quem veroſimile ſit demptis hinc inde ſignis, ignoraturum utrius exercitus ſit Conſul; Econtrà ipſe inter alia, in eo inſignem nec fruſtaneam ſpem concepit victoriæ, quòd ipſe militibus, & viciſſim milites ipſi, à tot fortioribus factis, partisq; decoribus, invicem multo tempore jam innotuerint, eoque ipſe Dux his militibus, ac milites ſeſe Duce, plurimum ſint confiſi; quotiescunq; etiam poſteà, Punica arma, per prudentiam nonnullorum Conſulum Romanorum, inclinari ac labefactari cœperant, toties momentum in eo poſuit Annibal, quòd Conſules illi per Comitia annua, mox ſint accepturi ſucceſſores, cum quibus deinde alia & facilior ſibi reddatur belli gerendi ratio.

Non itaque convenit ſummi Ducis officium, intra hujusmodi metam temporis coarctare, ſed præſtat potiùs, ejus poteſtatem, ut nimirum communicato conſi-

consilio & requisitis votis Adjunctorum, cuncta agere teneatur certis justisque cancellis circumscribere. Quâ ex re evenit, ne sit reformidanda continuatio officii, quæ alioquin Reipublicæ solet nocere, nam illud tunc demum obtinet, cùm Magistratus vel potestas commissa nimia est, sicut fuit antiquitùs apud Romanos Dictatura, sed cum debitis limitibus, est definita, nihil periculi est, hinc suppressum iri Publicam salutem.

Porrò cùm suprà suo loco apparuerit, Consilium Status tum ex viris militaribus, tum ex doctis & peritis Politicis Practicis, constare debere, facilè suppetet copia; unde Duci militiæ, per vices constitui queant Adjuncti, nempe desumendi erunt ac deligendi ex Consiliariis Status, præcipuè iis, qui militiæ longo usu sunt gnarissimi, verosimile est enim, hos tanquam ad munus Consiliarii Status assumptos, & per deputationem Imperii statis temporibus visitatos, etiam hîc ceu bonos viros decet, Reipublicæ sese præstituros utiles.

Quanquam hæc res antè libera fuerit, nec

rit, nec præcisè ad Consiliarios Regimenti quasi aliunde constitui nequeant adjuncti, restricta. Unde in Recessu Imp. de Anno 1500. *Tit.* Von den Räthen/ꝛc. dispositum invenimus, sex Consiliarios adjunctos esse Duci militiæ, de quorum consilio omnia suscipiat belli negotia, apparet etiam ex subjectis eorum nominibus, hos fuisse viros militares, dicuntur enim equites, alle Ritter/ꝛc. sed quòd fuerint membra Regimenti, non constat, imò contrarium colligere licet, ex d. R. de An. 1500. *tit.* Hie werden bestimt/ꝛc. & etiam tit. subsequent. Ubi nomina ad Regimenti consortium assumptorum planè alia exprimuntur; dummodò itaque fuerint periti militiæ, haud utilius visum est, sive cautius de numero Assessorum Regimenti, designare belli adjunctos.

Cæterùm, quia & fides certior præsumi potest, & similis, ut præsuppono, adest experienia belli, certè pronius videtur, committere hoc munus Consiliariis Status, sic tamen, ut nihilosecius viri alii singularis prudentiæ militaris, ad officium adjuncti admitti queant nec ideò, quòd non sit mem-

membrum Consilii Status ab eodem præcisè quis excludatur. Verùm fortassis objicietur, non esse ex re Imperii, si quos haberet Consiliarios Status, eos ita per vices Ducibus militiæ adjungi, quandoquidem Publicis negotiis ac deliberationibus interesse illos, non ab istis abstrahi expediat.

Ad hoc respondeo primùm, bella non esse ita continua, adeoque posse Consiliarios Status, ab adjunctorum officiis pacis tempore, si non omnes, plures saltem abesse, ac deliberationes Publicas suscipere, præsertim, quia pace existente milites per Provincias Imperii divisos esse convenit, ut propterea nihil periculi fore videatur, ne, non semper præsentibus adjunctis, summus militiæ Generalis, aliquid novi moliatur, vel alioquin utpote separatis viribus, per otia illa quippiam agat Reipublicæ adversum. Itaque sufficiet, adjunctos illos, tunc, cum pax est, diverso saltem tempore adesse Duci, ejusque actiones observare.

Quin si vel maximè, ut omnis occasio nocendi & suspicio declinetur, Lege Publicâ adjuncti continuò cum Duce versari ju-

ri juberentur, non habitâ distinctione temporum pacis vel belli, tamen satis foret paucos aliquos, ex Consiliariis Status militaribus, hoc munere defungi, eoque cæteri consultationibus Publicis nihilominus absque intermissione adesse possent, nec Respublica inde videretur, acceptura detrimentum.

Tertium principale requisitum, quo medio præcaveri possit, ne supremus militiæ Dux tyrannidem arripiat, vel defectionem aut aliud hostile, adversus Imperium moliatur, sive etiam contra placita adjunctorum ex suo solius arbitratu belli negotia agat, consistit in juramento, ut scilicet Cæsari & Ordinibus Imperii non modò ipse Dux Generalis corporali juramento fidelitatis astringatur, sed cumprimis etiam milites hanc fidelitatem jurent, cujus rei dispositionem animadvertere licet in Recessibus Imperii de Anno 1500. tit. Von der Söldner Ayd ꝛc. tit. deß Hauptmans Ayd / & tit. der Unterhäuptleuthen Ayd ꝛc. nec non in Recessu de Anno 1570. in der annectirten Reuter Bestallung / tit. Von Bestellung deß

Felds

Felds und Reuter Rechtens / art. 6. item in articulis auff die Teutsche Knecht art. 1.

Verùm iſtud juramentum videtur in illo deficere, quòd milites nihiloſeciùs poſſint ſequi conatus alicujus mali Ducis contra Rempublicam, & ideò nihil juviſſet v. g. juramentum à Duce Fridlando Imperatori præſtitum, ſi exercitus à partibus ejus ſtetiſſet, ratio eſt nam juramentum militare legitur conceptum, de obedientiâ militum erga ſuum Ducem, quæ quidem etiam neceſſaria eſt, ſed quia Adjuncti eidem adſunt, ob hanc eandem causam, ut poteſtas Ducis contra Rempublicam quicquam molituri cohibeatur, certè non videtur ſufficere juramentum militare in tali præcisâ formulâ, ſed oportet caſibus emergentibus, poteſtatem cum Adjunctis communicatam eſſe, ex ipſo tenore juramenti militaris, aliàs Dux militiæ rebellis, dubio procul è medio tollet adjunctos, ſi non ipſis liberum ſit comonefacere milites jurisjurandi, ne in hoc tali caſu adverſus Rempublicam, ſuum velint ſequi Ducem.

Itaque clauſula illa videtur expreſsè adden-

addenda juramento militari; si vel contra Cæsarem, vel quemquam ex Statibus Imperii, ipse Dux aut Subpræfectus vel quicunque alius officialis, posthabito juramento arma moverent quòd tunc eundem non juvare sed pro viribus resistere, alioquin verò Ducis Imperio in omnibus, ubi ipsis per adjunctos contrarium non significatur, devotè sint parituri, excepto tamen isto casu quando contra Statum aliquem Imperii, de cõmuni consensu Comitiali, bellum foret denandatum, quia tunc jure, exercitus suo debet defungi munere.

Cujus rei ratio & utilitas manifesta est, quia in casu rebellionis ira Ducis Generalis parùm potest, si destitutus sit militibus, unde veteribus Romanis Imperatoribus summum studium fuit in conciliandis & ad se pertrahendis exercitibus, in quem finem olim Septimius Severus Imperator Antonino Caracallæ & Getæ filiis suis moriens reliquit, ut milites, quorum tunc favor plurimùm valebat, colerent ac locupletarent, cæteros quòd viribus destituti nil possent nocere, non admodùm curarent.

Dein-

Deinde quod expeditiones belli concernit, ne Dux verbis & in speciem consilium convocet, reverà autem, imperando militibus, agere possit ex suo solius arbitrio vicissim consultum est, ut adjuncti indicando cæteris militiæ Præfectis etiam minoribus commune placitum Consilii, hos ejusmodi conatus Ducis queant ac debeant elidere, ob eamque rem, & ut milites juxta tenorem comunis placiti, quoad hoc tale aliquod negotium, habeant & norint, quemadmodum se gerant, congruum videtur ipsos sequi, aliquem ex adjunctis vel præfectis, pro Duce, quam personam anteà expediret, in eventum determinari, ac militari juramento inseri, ne hoc casu Ducis sed adjunctorum, quemvè illi ad hoc negotium gubernandum constituerint, ductum sequantur; quo remedio verosimile est, Ducem non ita ad lubitum declinandi concluſum consilii, habiturum facultatem.

Atqui hujus sententiæ & utilitatem & necessitatem docere nos possunt, sequiores illi eventus, qui ex contrariis exemplis, dum nempe Duces belli, ex suo tantùm

tantùm arbitrio, militiam administrando, Rempublicam in discrimen adduxerunt, noscuntur provenisse; Sic populus Romanus ad Thrasymenum lacum funestam cladem accepit, quòd Consul Flaminius pro suâ solius ferocia, cum Annibale prælio decernere properaret, ab eoque per insidias ad iniquiora loca pugnæ, pertractus esset, nec revocanti Senatui pareret; Ipse Annibal perdidit fortunam Carthaginensium, quod delectis ad Cannas exercitibus Romanis, Maharbalis Consilium, cruentum militem absque morâ, ad mœnia Romanæ Urbis ducendum suadentis, haud secutus esset, eoque ejus lassitudinis suæ, sed serò ipsum pœnituit.

Itaque facilè fieri potest, ut prudens consilium, à peritis belli suggeratur, quod ante Ducis mentem haud penetraverat, nam omninò verum manet vulgatum illud; plus vident oculi quàm oculus. Quocircà ut dixi, perneccessarium est, summum belli Ducem, non modò suos habere adjunctos, de quorum consilio agat & incidentia belli negotia suscipiat,

piat, sed si quid communi adjunctorum calculo, ut fiat vel omittatur, complaceat, hocidem omninò veniet attendendum.

Unde dicitur in d. Recess. de Anno 1500. tit. **Von Sechs Räthen/ꝛc. sind dem gedachten Hauptmann von uns und der Versamlung sechs Räth zugegeben und verordnet/ mit derselben Rath er handeln/ und fürter Unterhauptleut machen soll/ꝛc.** Cùm igitur initio assumptionis suæ, miles in hunc casum, non Ducis, sed adjunctorum obsequio devinctus existat, ac etiam, si contrà se gerat, severas pœnas, de quibus mox, pertimescere cogatur, verosimilius est, tùm nefarios Ducis ausus, contra Rempublicam, vel quodvis ejus membrum, tùm errata ejusdem, auxilio exercitus velut nervo suo destituta, nocentissimis caritura esse effectibus.

Forsan autem dicetur, annon etiam adjuncti illi errare possunt, vel bonum Ducis suffragium hâc ratione interturbare, sive etiam pro communi placito id divendere, quod fortè esset tantùm sententia paucorum? Scilicet, possent errare, fa-

re, fateor; at quoniam in Politicis hujusmodi rebus, non per demonstrationes infallibiles progredi licet, id sequi solemus, quod est vero magis consentaneum. Atqui probabilius omninò videtur, id fore ex re Publicæ utilitatis, quod Adjuncti tanquam usu edoctissimi viri, vel communi vel plurium placito, circa administrationem bellicam, ponderatis pro re præsenti circumstantiis comprobaverint, adeoque consultius profectò erit, hoc ipsum, quàm unius Ducis Consilium sequi.

Alterum quod attinet, probabile est rariùs ejusmodi casus emersuros, quis enim crederet, Adjunctos, qui & periti præsupponuntur rerum belli, & Imperio, fidelitatis juramento obstricti, posthabitâ fide juratâ adversus Ducem eousq; per ambitionem & affectus privatos, ad tale aliquod commentum Publico malo conspiraturos, & hujusmodi suæ functionis Cæsari & Statibus Imperii rationem reddendam, vel ad unum omnes fore immemores? aut quemadmodum, quod in Consilio communiter vel per majora placu-

placuiſſe notatur, ejus contrarium deinde iſto nomine obtrudi queat?

Omninò igitur convenit in bello cuncta agi de communi peritorum conſilio, nec fortunam Reipublicæ committi unius Ducis arbitrio, ſed unumquemque militem, initio ſtatim devinciri juramento fidelitatis reſpectu totius Imperii & cujusvis membri illius, adeò ut, nunquam ſub cujuscunque ne quidem ipſius, quem vocamus, Generalis ductu contra illud, illavé militaturum, ſeſe obliget, & etiam reſpectu Ducis hactenus juret, quòd eidem parere velit, ac viciſſim ſi Adjuncti de communi conſilio belli, contrarium ipſis injungant, quòd tunc Adjunctorum illud præceptum, reipsâ ſint obſervaturi.

Ad quem ſcopum conſequendum, hæc ulterior cautela ſuppetit, ut conſtituatur pœna banni, & privationis omnium bonorum, ipſo facto, adverſus eum, eosvè, qui contra Imperium, aut membrum aliquod illius, nefaria arma arripere conati fuerint, adverſus eos verò, qui imperia Ducis & Adjunctorum, de quibus modò dixi, transgredi præſumunt, congruum

est, pro circumstantiis, ex arbitrio graviter animadverti.

Ratio est, nam disciplina militaris desiderat severam observationem, & magnâ ex parte in eo consistit, ut cujusque imperio, prout Leges Publicæ exposcunt, absque renitentiâ pareatur. Quas Leges militiæ Germanorum veteris, fusiùs licet legere in Recessu Imperii de Anno 1570. in der Reuter und Fuß-Knecht Bestallung/ꝛc. Videmus etiam apud Romanos, qui vulgò militaris ordinis, inter omnes ferè gentes, insignem prærogativam ac laudem obtinent, quàm strictissimè observatum fuisse, ut quisq; pro conditione ac functione suâ, alterius agnosceret atq; revereretur mandata; imò si is, cui summa rerum non erat commissa, quamvis expresse non prohiberetur, absque speciali imperio ad prœlium prorupisset, profectò vitæ discrimen ex hâc ipsâ causâ subire cogebatur, sicut testatur exemplum Manlii Torquati, qui filium suũ, quamvis victorem ea propter interfici jussit; & L. Papyrius Cursor in simili causâ, adversus Q. Fabium non prius quievit, quàm to-

tu

tus populus Romanus pro eo intercederet, ac erratum illius sibi condonari peteret.

Verùm rigor iste magis videtur eò pertinere, quando quis limites interdicti transgreditur, ultrò vel voluntariè, si verò necessitas ei extorquet conflictum cum hoste, tunc non habere potest Legem vel culpam quicunque etiam sit rei eventus, velle enim copias cædi magis propter deficiens mandatum conflictus, quàm necessariam defensionem suscipere absonum apparet atque ridiculum.

Porrò qui Præfectus, quivè miles, facto rebellionis adversus Rempublicam vel renitentiâ legitimi Imperii, pœnam banni ac privationis bonorum incurrit, seu etiam ex arbitrio, parte bonorum mulctatur, ejus bona non videntur in ærarium inferenda, sed cæteris militibus in officio persistentibus distribuenda, probabile est enim hâc ratione, facinora defectionis ac renitentiæ militaris, fore rariora, propter triplicem causam; primò propter juramentum, deinde propter gravissimas pœnas, tertio

propter lucrum & accedens, ex aliorum improbitate commodum; si qui enim sint, qui violatâ religione jurisjurandi ac post habitis, atrociſſimarum pœnarum comminationibus, tale aliquod crimen committere haud averſentur, cæteros tamen collatio impendentis mali & ſperandi boni, à ſocietate improborum, veroſimiliter divellet.

Et hæ quidem ſunt illæ artes Politicæ, quibus vires Germaniæ exteris rurſus fieri poſſe videntur formidabiles, nempe cura militaris, non uti hactenus, ad ſingulos eſt rejicienda cujusque Circuli Status, ſed committenda omnium nomine uni ſummo Duci, non tamen cum abſolutâ poteſtate, ſed adjunctionum temperamentis reſtrictâ, miles legendus eſt ex flore juventutis Germanicæ perpetuus, qui tùm belli tùm pacis tempore, ſeverâ diſciplinâ exercearur, ac pro Republicâ excubet, reprimendisque periculis propediem adſit, ſalarium conſtituendum venit moderatum habito inprimis reſpectu ad labores belli & pacis deſumendumque ex Publico ærario, de quo diſſeram paulò inferius; nevé ſeditio con-

contra Rempublicam aut ejus aliquod membrum, ſuboriatur, tum jurejurando, tum pœnis ad commoda fidelium militum, ac diſpendia improborum ſtatutis, ſollicitè præcavendum eſt.

Quòd verò hi verè ſint modi reſtabiliendi efflorescentiam Germanicarum opum, apparet ſatis ex collatione temporum noſtræ ætatis, cum priſcis illis, quibus Circuli nondum erant conſtituti, nec per ſingula eorundem membra, conductus exercitus confluxit, ſed ab uno aut paucis tamen, conſcribi & ex publico ali ſolitus fuit; nam Carolus Magnus, Henricus Auceps, Ottones, & alii Imperatores, quæ non bella fœlici ſucceſſu perfecerunt, eo, quòd hujusmodi ambages Circularium delectuum non expectare cogerentur, ſed liberiores ipſi contraherent copias? Imò Fridericus Primus & Secundus Imperatores adhuc ſuis temporibns cum maximo barbarorum metu in Aſiam penetrârunt, non præſtolati, dum Turca vel Saracenus hoſtis horſum moveret; ex adverſo Solymañus Vieñam diu obſedit, ac niſi fortiſſimè ac propè divinitùs defenſa fu-

sa fuisset, priùs expugnâsset, quàm ulla Imperialia auxilia ex Circulis convenissent; ac hodienùm, quemadmodum res isthæc sese habeat, in aprico est omnibus.

Quamquam verò non negem, etiam priusquàm in Circulos divideretur Imperium, quod demum contigit in Comitiis de Anno 1500. bella aliquoties habuisse sua impedimenta, ac Cæsares fuisse ab hoc vel illo Principe Imperii, in administratione belli desertos, sicut Henricus Leo Saxoniæ & Bavariæ Dux, quondam deseruit Fridericum Primum Imperatorem in bello Medionalensi, quinimò sæpiùs etiam oppugnatos, ceu contigit Henrico Quarto Imperatori & aliis compluribus, tamen difficultas ista adhuc major est, si in tali Imperio, ubi Ordines prout apud nos hodiè contingit, ex diversâ ratione Status non cohærent intimè, sed variè tùm ad se invicem, tùm ad Imperatorem sunt affecti, si inquam in tali Imperio, cura delectuum ac sustentationis militaris deferatur singulis membris per Circulos. Ubicunque enim aliquis defectionem meditatur, aut suâ saltem assisten-

assistentiâ denegatâ, imminutas cupit Imperii vires, nullâ profectò ratione hunc ipsum scopum commodius exequi potest, quam istis circa delectus & rem militarem, latis legibus.

Dixi superiùs, Imperatores solitos fuisse in contrahendis copiis Imperii, remedium banni adhibere, adversus denegantes auxilia, sicut ibi relatum exemplum Friderici Primi adversus Henricum Leonem declarat, potuisset sanè idem Fridericus Imperator ex iisdem causis posteà prætensis, Ducem illum Saxoniæ & Bavariæ Henricum, in bannum declarare, sed tutus is fuit, usque dum militiam Imperatoris sequi detrectaret; itaque antiquitùs Imperatores detonuerunt fulmine banni in eos, qui bello assistere recusabant, nec nudis tantùm verbis, sive per ambages cujuscunque Processus fiscalis, sed ipso etiam effectu, & ad summum, id quod Fridericus, Cæsar etiam cautè fecit, per Comitialia placita, Principatibus vel Territoriis illos expellebant ac deturbabant.

Quamvis verò, si præsentem rerum faciem

faciem inſpicimus, non admodùm videatur eſſe ex Republicâ, uti medio iſto declarationis banni pro acceleratione militiæ, videlicet, quia exinde rebellio vel Civilis belli ſemina, quo Imperium foris abhoſtibus conquaſſatum, in præcipitem ruinam tantò penitiùs vergeret, exoriri fortè faciliùs poſſent, tamen oportet omninò expediens aliquod, ad illud applicare, ut nervi Reipublicæ in rebus agendis, præſertim, quod ad Publicam defenſionem attinet, promptius poſſint coire, & ſic remanet, nihil paratius, quàm ut miles, Publico quidem & ſingulorum civium nomine, ſed non per ſingula Circulorum membra, verùm curâ ac moderatione periti alicujus Ducis, cui iſthæc res comiſſa ſit, ſic tamen, ut is propter reſtrictionem poteſtatis tyrannidem arripere nequeat, legatur atque conſcribatur.

Cæterùm quæritur, an itaque Publica utilitas, de quâ ſemper loquor, poſcat, Ordines Imperii, planè & eousque vacare, delectibus militum, ut omninò nullas copias debeant conſcribere poſſe? Reſpondeo, hæc res conjuncta eſt certo mode-

moderamini, nam proprium militem contrahere, nihil mali importaret, sed sic, ut juramento ejus directè inseratur, ne contra Imperatorem, vel quodvis Imperii membrum capere arma, sed potius Imperio fidelis esse velit, quàm illi Principi aut Statui, à quo seorsim sit collectus. Fateor si militiam Publicam hactenus descriptam in Imperio haberemus, non tunc, uti nunc, peræque opus foret privato milite, sed ita est, ut miles ab hoc vel illo Statu Imperii privatim conscriptus, interim censeatur deservire defensioni illius Principis vel Status, qui illum assumpsit sc. quia varia sunt rerum discrimina variæque vices, propter quas contingere posset, Publicos etiam exercitus, sicut Romana potentia quantumvis in flore suo constituta, diversas accepit clades, detrimentum pati aut reprimi, seu aliunde ex insidiis damnum sentire.

Quapropter detur hoc æquum esse ut quisque ex Ordinibus Imperii, facultatem illam teneat defensionis gratiâ conducendi milites, his ejusmodi & quibuscunque casibus insperatis tempestivè

occurſuros; Cæterũ ut eò tutior ſit Resp. à privato milite, omnes pœnæ ſibi locum vindicabunt, adverſus eos quamvis privatos milites, qui Imperium vel ejus aliquod membrum bello aut per ſeditionem aggrediuntur, tùm etiam merita emolumenta, conſtitui debebunt his, qui pro Republicâ, adverſus ſeditioſos vel tumultuantes arma capiunt.

Quæ res non modò apud milites obtinebit, ſed etiam apud viros togatos & cujusque Status Imperii ſubditos obſervatu digna eſt, nam non poteſt firmius Pacis Publicæ vinculum ullum adhiberi, quàm ſi milites & ſubditi quicunque per univerſum Imperium *, in bello vel tumultu civili prohiberentur ſequi ſuum Dominum alios aggredi machinantem. Sic enim eidem inciſæ erunt vires & nervi ad nocendum Reipublicæ, quibus tamen ad ſeſe defendendum, hâc ex re nemo privaretur.

At dices; quemadmodùm vero hæc ipſa congruunt faſtigio ſummo? vel quâ ratione Cæſar aliquid cum effectu mandare au prohibere poterit, ſi quisque miles

les & ſubditus, ne contra Statum Imperii quemcunq; militet, juramento ſe devinxit ? Reſpondeo Cæſarem poſſe imperare tripliciter ; vel ſecundùm vel præter, vel contra Leges Publicas. Quando aliquid imperat ſecundùm Leges, vel Statui, vel ſubdito alicui Imperii, juſtum eſt non modò eidem parere, ſed etiam adverſus refractarios, Cæſaream Majeſtatem, Publicis ac privatis copiis autoritatem ſuam vindicare, veluti exempli gr. ſi per ſumma Tribunalia Imperator aliquid faciendum vel omittendum mandaret, ſi quid reſcriberet, Privilegium congruum impertiretur, ſive illud contra violatores tueri vellet &c.

Secundò illo caſu, cùm nempe aliquid jubet vel vetat Imperator præter Leges, idem meritò obſervatum iri videtur, nam culmen Cæſareum non debet ita reſtringi, ut nihil poſſit, præter quàm, quod verbis expreſſis extat in ipſis Legibus, ſiquidem Cæſar vigore Capitulationis obligatur Legibus & ad illarum obſervantiam, ſpeciali illo pacto ſeſe obligat, adeoque in caſibus noviter emergentibus, qui ſcilicet

cet

cet nec sunt secundùm nec contra Leges, retinet potestatem Imperatoriam, reverà liberam

Ratio ulterior est, nam initio Reipublicæ Romano-Germanicæ, Imperatores habuerunt potestatem magnâ ex parte absolutam, quæ subsecutis temporibus pedetentim cœpit inminui, & magis magisque Legum cancellis circumscribi, quapropter limites, illi Cæsareæ Majestatis strictam sortiuntur naturam ac se quasi in modum exceptionis habent, potestas verò isthæc Imperatoria sapit ipsam regulam. At verò inquis, cur ergò superiùs dictum est, Imperatorem inconsultis nec consentienibus Ordinibus nil posse; jam autem ejusmodi multa sunt præter Leges, veluti an pax fiat cum Turcâ, fœdus cum Gallo &c. in quibus tamen Cæsar non habet potestatem liberam.

Respondeo, hæc & similia alia, quamvis in se spectata sint præter Leges & indifferentia, tamen respectu personæ imperantis, sunt de numero per LL. prohibitorum, ob eamque causam, contra Leges agere potest Imperator, etiam in re suâ

ſuâ naturâ per Leges non prohibitâ & adeò præter Leges non agit, niſi quando id, quod imperat, quâ ratione imperat per Leges agere non prohibetur.

Tertiò demum caſu, quando nimirum Imperator contra Leges agit, ac limites illos ſuæ poteſtas transgreditur, injuria fit Statibus Imperii, eorumque prærogativæ ac privilegiis, ob eamque cauſam jure merito, hæc talis intentio debet non juvando deſtitui effectu, conſimili ratione, quâ juſtius eſt hunc vel illum Principem aut Statum Imperii, alterum quemcunque bello impetiturum deſeri, quàm Rempublicam, ſi milites vel ſubditi ipſum ſecuti fuiſſent, accendi civilibus bellorum furiis.

Hoc unum ſupereſſe videtur, cuinam competat interpretatio in eo, an Cæſaris actitata ſint ſecundùm præter vel contra Leges, ſi enim militibus vel ſubditis facultas illud dijudicandi contribueretur, futura eſſet res peſſimi & omninò periculoſi exempli, nam hi, qui nollent obſequi ſemper dicerent, Cæſarem agere contra Leges; ita contra fas & æquum

Cæſa-

Cæsarea Majestas pateretur depressionem. Ad hoc respondeo, in hujusmodi casum, illa, quæ Cæsar prohiberetur per Leges facere, vel omninò, vel ex suo solius arbitrio, sunt nominatim exprimenda, Ducibus ac toti exercitui, seu Publico seu privatim conducto, imò quibusvis, etiam subditis, eorundemque juramento inferenda, ne in his talibus adversus Status Imperii velint assistere, quòd si qui prætextus fortassis adhibeantur, & sub bonâ specie, alii conatus contegi velint, jam prudentia Consilii Status, pro salute, quorumcunque Statuum Imperii invigilaret satis.

Quin alia foret planè, quàm quæ nunc est, rerum facies; hi enim, qui suis etiam stipati essent copiis, cùm Imperatori, Imperio vel ejus membris injustam vim inferre tentarent, hac ex re istis ipsis diffidere cogerentur, quippe quos nossent, perjurium commissuros, & capitalem pœnam omniumque fortunarum dispendium subituros, ubi adversus Cæsarem, Imperium vel ejus aliquem Statum arma de facto arriperent, si igitur difficile est,

est,ut omninò est,hoc tali milite inniti,ac præsumere, è tot Præfectis belli legionibus ac turmis militũ,omnes aut plerosq; fore jurisjurandi oblitos, imminentium pœnarum ac periculorũ contemptores, profectò probabile est,ausus qualescunq; contra Rempublicam, vel singula ejus membra fore rariores, & hæc quidem artes illæ sunt,quæ caput & membra Imperii inter se continerent in pace ac Publicâ tranquillitate.

Porrò altera pars præsentis propositi,agit de fortalitiis Publico nomine possidendis,in quâ etiam revaldè peccatum hactenus fuit, nam urbes munitæ ac fortalitia Germaniæ,nulla habẽt præsidia Publica, sed quotquot sunt ad Principes vel certos Status singulatim pertinent; si quis igitur ex illis Pacem Publicam turbare vult,paratiora non habet remedia, quàm fortalitia sua adeoque illa,quæ præsidio Reipublicæ esse debebant, in ejus vertit detrimentum; non cumulabo hâc in re complura exempla,quæ tunc præsertim, cùm diffidationes licitæ adhuc essent,frequentiùs contigerant;neminem

sanè

sanè latet, quantas difficultates, obsidio & expugnatio Gothæ, Imperio pepererit, quantisque sumptibus isthæc, adversus Johannem Fridericum Saxoniæ Ducem, suscepta expeditio constiterit.

Nec intromittam me hoc loco, in merita causæ Erffurtensis, utrùm justa fuerit nec ne? Illud sanè notum est, Cives ejus Urbis non fuisse fulmine banni, sed armis domitos, videlicet quòd urbe suâ ac mœnibus confiderent, ac sese defensuros sperarent. Hæc verò & id genus alia, non sunt bona Reipublicæ, nam quò magis declaratio Imperialis banni, floccipenditur, eò etiam magis Imperii autoritas vilescit, ac susque deque habetur.

Hujus verò rei præcipua causa est, quam modò dixi & supra quoque tetigi, nimirum, quòd Principes & alii Status Imperii, arces & fortalitia teneant pro se privatim; hæc mala radix est, unde plures ac periculosæ pullulare possunt adversus Imperium rebelliones. Quale verò huic rei applicari debeat remedium, ex anterioribus, & his, quæ circa

passum

passum militiæ dicta sunt, jam satis animadverti potest.

Nimirum quâ ratione ad Publicam pacem & tranquilitatem miris modis conducit, si singuli milites ac subditi juramento fidelitatis toti Imperio astringantur, ne contra illud, vel quodcunque ejus membrum unquam insurgere, vel hostes sese gerere audeant, eadem inquam ratione, Publicam causam insigniter juvabit, si usus fortalitiorum nemini planè in Imperio concedatur, nisi his ipsis imponat præsidia Publica. Quam rem olim adeò severè præceperunt Imperatores Honorius & Theodosius, ut in *l. 2. C. de fund. Limitroph.* capitalem pœnam adversus eos dictaverint, qui Legem istam transgredi & munitiora loca extra milites Castellanos [erant castellorum præsidiarii] privatim detentare ausi fuissent. Sed rursus video, objectum iri Statuum Imperii libertatem, quæ sic nimis videretur restringi, imò durum fortè dixeris, hoc ipsum poni pro ratione Status Germaniæ, ut Ordines Imperii, jure fortalitiorum à tempore immemoriali exer-

cito ſeſe velut abdicent, eidemque magno ſui damno planè renuncient.

Talia & id genus ſimilia probabile eſt, eos, qui magis quid in Imperio obtinuerit, quàm quid publicè expediat, inſpicere ſolent, præprimis notaturos; at verò is ipſe morbus vulgaris eſt, ut non curemus remedia Reipublicæ, ſed quæſtionem illam, quid obtineat, cum eâ quid è Republicâ ſit, ſæpe numero confundamus, etenim munitas urbes vel fortalitia poſſideri ab Ordinibus ſingulis omninò, ut deduxi, detrimentoſum eſſe poteſt Reipublicæ; ponderandum igitur, non modò quid uſu obſervatum fuerit, ſed principaliliter etiam, quemadmodum & quale temperamentum ſalvo jure Ordinum, huic rei adhiberi queat, ne publicè noceat.

Quod quidem minùs difficile futurum arbitror, nam miles iſte Publicus, quem dico Cæſareis ac ſingulorum Statuum caſtellis ac munimentis magno Imperii bono, præſidii loco imponi poſſe, juramento fidelitatis ipſi Cæſari ac cuivis ex Ordinibus, ad quem proprietenus

fortalitium pertineret, astringendus utique esset, quòd pro viribus Dominum loci, præsidii jus habentem, illudque ejus castellum vel fortalitium tueri velit, salvo tamen totius Imperii juramento, priori.

Hoc sanè ad jus præsidii conservandum satis foret locorum dominis, nam & præsidiarium militem sibi specialiter devinctum haberent & locum etiam munitum, quorsum se, resque suas in casu necessitatis, defensionis gratiâ recipere possent, nec tamen, contra Rempublicam ex confidentiâ, quamvis munitissimi loci, quippiam machinari liceret, videlicet, cum ipsum præsidium, antiquiori jurejurando, devinctum foret ipsi Reipublicæ.

Et hoc est idem illud, quod omnes boni & verè Germani, quàm maximè optare debent, cunctos sc. Principes & Status Germanicos, potentissimos ac florentissimos esse, qui tamen contra se sive, quod eodem redit, in detrimentum Publicum sint valdè debiles; si contrarium existimas, nec mirandi sunt effectus,

quos præter ſpem experiri ſolemus.

Sed ut materiam præſentem perſequar, non ea tantùm, quæ nunc exiſtunt, Germaniæ caſtella ac fortalitia, Publicum præſidium ſingula depoſcunt, ſed & ſi quod fortaſſis de novo extrueretur, ejusdem planè conditionis eſſe debet, nam par omninò utriusque ratio eſt, ſive vetera præſidiario milite privato teneas munimenta, ſeu nova, ut id fiat, extruere ſatagas. Oſtendit hoc ipſum non ita retrò multos annos, Serinius Illuſtriſſimus Hungariæ Comes, dum Seriniam novam, caſtellum, vulgò Serin-War/ usque dum à Turcis deſtrueretur, pro munimine hoſtilium deprædationum ac ſuo ſuorumque receptaculo, quanquam ut referunt, locus non admodùm munitus fuit, diu tenuit atque defendit.

Quæ res cùm bonum finem ac laude dignum ſortita fuerit, indicat tamen, quantum Publica ſecuritas ac tranquillitas extructis arcibus referat acceptum, ob eamq; cauſam loca præſidiaria ſeu vetera ſeu nova, non debebunt, niſi à Publico Imperii milite teneri, quem ſc. propter ratio-

rationes expositas, verosimilimum est, & Statuum securitati & Publicæ tranquillitati, valdè profuturum, tùm etiam adversis machinationibus utilissima frena injecturum.

Quòd si ejus rei probabilis desideretur ratio, statim est in promptu, nam Principes illi vel Ordines Imperii, satis nossent præsidiarios milites suorum fortalitiorum, jurisjurandi religione sibi obligatos, adeoque adversus quemcunque exterum, seu etiam Commembrum Imperii, fortè injustam vim illaturum, quàm fidelissimos; At contra Imperium aut ejus aliquod Commembrum, ipsi via facti processuri, non tantùm fortalitiis illis suis, ac præsidiariis militibus, confidere ac niti non possent, sed è contrario, ex virtute juramenti anterioris eosdem sibi scirent adversarios. Unde eveniret salutaris iste effectus, ne facilè Respublica, à quorumcunque hostilitate, damna vel ruinam reformidare cogeretur.

Verùm de terris tantùm Imperio subjectis loquor, nam cùm extrà Imperii Provincias, Regna & amplissimæ possessiones

siones aliæ teneantur, quæ ad Rempublicam Romano-Germanicam vel nunquam pertinuerunt, vel ex variis causis, eidem subesse desierunt, sanè tamẽ ad hunc locum nõ spectat de illis dicere; occurret isthæc mentio, infrà commodiùs, satis sit hîc in fine, admonuisse, id quod dixi, de imponendo milite Publio, castellis & fortaliciis Imperii intelligendum esse, de terris Imperio Germaniæ jure feudali vel allodiali revera incorporatis atque subjectis. Tantum breviter de hâc materiâ.

CAPUT XV.

De Puncto Justitiæ & ejus per Imperium emendatione.

NOn multis laborabo, ut ostendam, pertinere ad rationes Status Germaniæ, ut Justitia omnibus secundùm jus & æquum administretur, quandoquidem ex communi effato Politicorum unaquævis benè constituta Respublica omnibus nervis eò incumbere debeat, nec nomen Reipublicæ absque Justitiâ mereatur, sed in latrocinium degeneret, quin nec consistere

sistere sine eâ ullo modo possit; ubi enim justitia suum deperdit vigorem, ac judicum malevoli affectus, æquo præponderant, vix fieri potest, quin exoriantur inter cives ac subditos, quippe qui jus suum aliter consequi nequeunt, turbulentæ seditiones, Rempublicam, nisi eis remedium adhibeatur, progressu suo faciliùs conquassaturæ.

Ob eamque rem & quia oportet ante morbi causam ac radicem nosse, quàm medelam eidem applicare velis, retuli suprà suo loco capita illa, propter quæ in Germaniâ nostrâ, administratio Justitiæ videtur frigere. Tria verò ad Justitiam vividam in genere requiruntur, primò bonæ leges, & quantum fieri potest, breves ac perspicuæ; secundò boni Judices, Advocati & Procuratores; tertiò parata decretorum Executio. Sub primo puncto complector non forenses modò actiones, sed etiam ipsa Judicia vel Tribunalia, quatenus nimirum per Leges Publicas conveniat eadem constitui, vel à quo personæ eorum debeant ordinari ac dependere.

Quòd si itaque ordine de his loqui volumus, cum applicatione ad Germaniam nostram, constat primò duo haberi hodiè suprema Tribunalia, Aulicum & Camerale, vulgò der Käyserl. Reichs-Hofrath/uud das Käyserliche Cammergericht/ de quorum præsertim verò Aulici Judicii, tùm ordinandis Assessoribus, tùm etiam Jurisdictione, res non planè est extra omnem scrupulum posita, repetam verò illam breviter ab origine. Et quidem antiquis temporibus, cumprimis ante Maximilianum Primum Imperatorem, Judicium Cameræ non habuit certum locum, sed debuit sequi Aulam Cæsaris, itaque Camera tunc fuit idem, quod hodiè Judicium Aulæ, oder was man heut zu Tags den Reichs-Hofrath nennet.

Ratio autem intima ejus rei videtur fuisse, quia Imperatores soliti fuerant, solenni pompâ Aulam celebrare, Ihren Königlichen Hof begehen/ cujusmodi exempla multa apparent in antiquitate, ac specialiter in historiâ Friderici Primi, Sigismundi & Caroli Quarti Imperatorum; tùm

tùm temporis autem, quando sc. Aula celebrabatur, in solenni consessu, fuit Regio nomine jus dictum, & quidem in causis feudalibus, junctis paribus curiæ, unde suprà innui, probabiliter emersisse das **Fürsten-Recht**; in causis verò civilibus dubio procul Imperatores habuerunt suos Consiliarios, nam Convasalli tunc non fuerunt Judices aut certè non Judices necessarii.

Cùm itaq; Imperator in causis Civilibus judicaret, credi potest judicium illud fuisse das **Cammergericht**/ ad quod fortè etiam pertinuerunt, negotia Imperii secretiora, quatenus ad ipsum Imperatorem spectabant, seorsim à Statibus consideratum, cujusmodi sunt verbi gratia Investituræ feudorum, die **Lehens Verleihungen** concessiones Privilegiorum &c. Verùm quia Camera tùm temporis non habuit fixam sedem, sed sequi consuevit ipsum Imperatorem, qui sæpè in terris longinquis & extra Imperium agebat, ex altero autem capite omni tempore, aditus ad jurisdictionem Cæsaream patere debuit, hinc in diversis Imperii districtibus constituta legimus varia judicia

Imperialia, velut in Saxoniâ, Palatinatus, qui fuit Magdeburgi, unde multos apparet ex veteri Marchionum Misniæ prosapiâ, modernorum sc. Saxoniæ Ducum, Majoribus, fuisse Palatinos Saxoniæ, **Käys. Pfaltz-Richter in Sachsen**/in quibus etiam fuit Fridericus præter alios Admorsus & ejus generis etiam videntur, ista Dicasteria Cæsarea, quæ hodienum hinc inde per Imperium veluti Herbipoli, item Onoldi &c. reliqua manserunt.

Hæc autem Tribunalia cuncta, quoniam jus dicebant, ex authoritate Cæsareâ, videntur etiam minùs culta fuisse, decrescente Imperatoris culmine, vel alioquin, ut sæpè factum fuit, inter plures controversa. Hinc probabile puto, provenisse judices Austregarum, vulgo **die Außträg / weil nemlich die Ständ deß Reichs vor solchen selbst beliebten Richtern**/ quasi ex defectu jurisdictionis Cæsareæ, **ihre strittige Händel außgetragen.** Et maximè in interregno illo ac turbulentissimis temporibus, mox post Frid. II. Imperat. subsecutis; Unde fatetur alicubi *Dn. Conring.* Vir in omni antiqui-

antiquitate versatissimus, se diligenter inquirendo, non potuisse Austregarum originem invenire antiquiorem seculo post Chr. nat. XIII. quæ res huic meæ præsumptioni pulchrè correspondet quoniam sc. Imperator iste Frid. II. seculo 13. nimirum, Anno 1212. habenas Imperii consecutus est.

Hi igitur, quos dixi, Austregarum judices, adhuc hodiè durant, & sunt triplices primò Legales, quatenus competunt Lege Ord. Cam. inter Principes, Comites & immediatos Nobiles Imperii; secundò pactitii ut vocantur qui conveniunt hujusmodi familiis ex pacto, plerũq; ab Imperatore confirmato; tertiò Privilegiati, qui dantur certis Imperii Urbibus, ex speciali Privilegio, quod nõ est, ut prius illud, in codice Recessuum Imperii clausum. Et hic quidem fuit Status judiciornm ab antiquo partim ad nos derivatus.

Cæterùm post Maxim. I. cùm Camerale judicium jam sollennibus LLbus esset introductum, præter alias rationes Status, de quibus alii dicunt, ut mihi videtur, ipsa experientia suasit, adhuc opus esse Imperatori-

ratoribus alio consilio, nam multa nihilominus supersunt Imperii negotia, quæ ad Cameram non pertinent, sed ab Imperatore suscipiuntur; ad illa igitur expedienda præter Cameram oportuit adesse novum consilium, quod dictum fuit Aulicum, & sic progressu temporis cæperunt haberi duo Tribunalia, nam Imperator, noluit ab se ut loquuntur abdicativè, in Camerale judicium translatam esse jurisdictionem, maximè quia Status ipsi modò super hoc, modo super alio negotio civili decidendo, omissâ Camerâ, ipsum Imperatorem adibant, nihilosecius non ubique antehac approbari voluit Aulæ Processus, sed per Legem Imperii fundamentalem, nempe Instrumentum Pacis, ejus authoritas ac jurisdictio fuit constabilita, ut sic Camera & Aula habeant aut saltem habere debeant concurrentem jurisdictionem, eundemque Processum ac Judiciarum Ordinem.

Questiones autem adhuc duæ supersunt, prima de constitutione Judicii Aulici, an nimirum ad solum Imperatorem seorsim à Statibus Imperii illa spectet;

ctet; secunda, de ejus jurisdictione in passu illo speciali circa reservata feudorum, Regalium; utrumque non extra controversiam positum videtur, nam quod ad primum attinet dicunt, non debere Assessores Aulici Judicii, vulgò die Reichs-Hofráth / præcisè ab Imperatore dependere, exclusis Ordinibus, unde fertur ista res acriter controversa fuisse, in proximis abhinc Comitiis de Anno 1654.

Ratio fortean allegatur, quòd Status Imperii nostri ex intrinsecâ suâ naturâ sit mixtus, adeò ut circa jura Majestatis, in quibus omninò etiam est constitutio Magistratuum ac Judicum majorum, Imperator cuncta teneatur agere ex communi consensu Comitiali. Respectu secundi similiter ex parte Ordinum reponitur, cognitionem super feudis Regalibus ex antiquissimo tempore, jure quodam Principum singulari, wegen deß bekanten Fürsten-Rechts / pertinuisse ad pares Curiæ, hoc est, ad Convasallos ejusdem dignitatis, auf die Mitlehen-Leuth / so gleiches Standes seyn / de quâ re differui suprà *cap.* 2.

Si hâc

Si hâc vice aliquid dicendum sit, opinor omninò, quod priorem Controversiam concernit, rectiùs dici & principiis historicis conformiùs, quòd ipse Imperator per se solus quidem, cæterum juxta LL. Imperii fundamentales, & cumprimis juxta dispositionem Instrumenti Pacis Judicium Aulicum constituendi facultatem habeat, quanquam enim Consilium istud sit ipsius Imperii Tribunal, tamen Imperatores, etiam ex antiquo exercuerunt jurisdictionem Imperii in causis Civilibus seorsim, adeoque inde colligi potest, ipsis hoc jus, nemine contradicente, competiisse, maximè quia ut suprâ fuit deductum, pro Imperatoriâ potestate, in his quæ Lege expressâ vel consuetudine notoriè firmatâ aliter se non habent in dubio semper sit præsumptio.

Nihilominùs tamen hæc res in dubitationem vocatur, per enixam aliorum contradictionem, & videtur omninò pro sententiâ contrariâ illud quasi quoddam præjudicium facere, quòd emendatio vel correctio Ordinationis Aulicæ, soleat simpliciter ad Comitia trahi, ac

hi, ac inibi deliberari, si enim ad Comitia pertinet, consultare de isthâc re, cujus omninò pars etiam est præcipua, potestas constitutiva Consiliariorum, profectò Status ipsi hâc viâ participes fieri videntur, potestatis legislatoriæ, & superioris circa Ordinationem Aulicam ac ejus Judicii Assessores, ut per consequens à Cæsaris solius arbitrio, non videantur præcisè dependere.

Planè *Instrum. Pac. art.* 1. §. ac proinde 54. satis clarè ostendit, Imperatori quidem competere istam facultatem, ut solus Consiliarios Aulicos, ceu etiam usus adstipulatur, recipiat, non tamen contra terminos Legis, vel modum ibi præscriptum, verba ita habent: Cæsareaque Majestas mandabit, ut non solùm in isto judicio Camerali causæ Ecclesiasticæ, ut & Politicæ inter Catholicos & Augustanæ Confessionis Status, vel inter hos solos vertentes, vel etiam quando Catholicis, contra Catholicos Status litigantibus, tertius interveniens Augustanæ confessionis Status erit, & vicissim quando Augustanæ Confessionis Statibus, contra

ejus-

ejusdem Confessionis Status litigantibus, terveniens erit Catholicus, adlectis ex utraque religione pari numero Assessorum, discutiantur & judicentur, sed idem etiam judicio Aulico observetur, huicq; fini aliquot Augustanæ Confessionis doctos & rerum Imperii peritos viros, ex iis Imperii Circulis, ubi vel sola Augustana Confessio vel etiam simul Catholica viget religio, adsciscat, eo quidem numero, ut eveniente casu paritas judicantium, ex utraque Religione Assessorum observari possit.

Ex quibus verbis apparet, duo hæc Cæsari per LL. Publicas convenire [1] quòd ipse solus, neque enim de Imperio, vel Statibus simul mandaturis, ibi ulla fit mentio, Aulicum judicium statuat sive personas ejusdem ad Publica illa officia recipiat, [2] quòd isthæc receptio fieri debeat secundum Leges, sic quidem, ut Assessores Aulici Judicii mixti sint ex Romano-Catholicis & Lutheranis, & quidem non quomodocunque, sed eâ ratione, ut emergente casu, ex utraque Religione judicantium, inveniri possit numerus

rus æqualis. Num verò inde ſequatur, præcisè tot eſſe debere in judicio Aulico Conſiliarios Lutheranos, quot Romano-Catholici ſunt, de eo non immerito dubites inſpecto cortice verborum, nam paritas iſthæc Aſſeſſorum Aulæ, adhuc ſervari poteſt, ſi tertia tantùm vel minor pars de Conſilio Aulico foret Evangelicæ Religionis.

Et hinc videmus Ferd. III. glorioſæ memoriæ Imperatorem, *in Ord. Aul. tit.* I. Von Erſetzung des Reichs-Hofraths/ §. Wir wollen/ *junct.* §. Und dieweil immediatè præcedenti, Inſtrumento Pacis circa punctum paritatis Conſiliariorũ ſatisfacere voluiſſe, etiam tertiam circiter partem numeri illius, ex Aſſeſſoribus Lutheranæ Religionis aſciſcendo, idq; in tantũ ut vel ipſe tenor Inſtrum. Pac. manifeſtè legatur inſertus ibidem: Wollen ſechs der Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwande und der Reichs-Sachen erfahrne Männer/ aus denen Reichs-Creiſen/ darin entweder die Augſpurgiſche Confeſſions-Verwande allein/ oder zugleich die Catholiſche Religion/ im Schwang gehet/ an-

nehmen / damit auf begebenden Fall / die Gleichheit der Richter von beeder Religion Assessorn, observiret werden möge / thun auch hiemit befehlen / daß nicht allein bey dem Cammergericht / sondern auch bey unserm Käyserlichen Reichs-Hofrath / so wohl Geistliche als auch Weltliche Sachen / so zwischen den Catholischen und Augspurgischen Confessions-Verwanden schweben / oder auch wenn Catholische wider Catholische streiten und der Tertius ein Augspurger Confessions-Verwander ist / und hinwiederum / wenn der Streit zwischen der Augspurger Confession zugethanen Ständen wäre / und der Tertius interveniens ein Catholischer seyn würde / mit Zuziehung beederseits Assessoren, in gleicher Anzahl erörtert und entschieden werden / ꝛc.

Quæ sanè verba ipsum Instrum. Pac. tenorem complectuntur. Dixi autem, non præter rem, circiter tertiam partem Consilii, ab Imperatore, ex Augustanæ Confessioni addictis assumptam, quia *Ord. Aul. in d. §.* Und dieweil / circa numerum Assessorũ est negativè concepta, ibi

ibi; Jetzt ermeltes unſers Reichs-Hofraths Mittel/über 18. Perſonen ſich nicht erſtrecken ſoll. Jam verò ſi in univerſum duodecim tantùm habeantur vel pauciores Conſiliarii, etiam non exceditur numerus iſte perſonarum, & ſic præcisè dicere non poſſumus, computato Præſide hujus judicii, quem Ord. Aul. comprehendit, ſeptendecim Conſiliarios Aulicos, benè autem, non plures, eſſe debere, tum quia Inſtrum. Pac. numerum illorum nullum exprimit, tùm quia Ord. Aul. loco citato, terminum quidem numeri ſed ſolum negativum ſive non excedendum ſtatuit.

Et quanquam determinata mentio octodecim illarum perſonarum ſubnectatur in *d. §.* Wir wollen/*ibid.* unter dieſen 18. Perſonen/ nec non in §. ſubſequenti, mox ab initio; Alle dieſe 18. Perſonen/ ut ſic Cæſar etiam poſitivè illum terminum vel numerum perſonarum ſtatuiſſe videatur, tamen iſta res non eſt neceſſitatis, quia ſi Imperator pauciores recipiat Conſiliarios, nihilominus hoc ipſo nec Aulicam iſtam ſanctionem, transgreditur, nec contra alias Imperii

Leges facit. Quinimò etiamsi ponemus, præcisè ac necessariò ex octodecim personis Consilium Aulicum debere constare, nondum tamen haberemus positivum ac necessarium numerum Consiliariorum, sed liberum utique Cæsareæ Majestati relinqueretur, ex istis octodecim personis, unum vel plures facere Vicepræsides vel planè alios Officiales, Consiliariorum partibus propriè non defuncturos, sicut quidem in Camerâ Imperiali, præter judicem plures sunt ac esse debent Præsides, ipsis Officiis ac titulis ab Assessoribus distincti.

Secundùm hæc itaque si quis asserat, numerum Consiliariorum Aulici Judicii, non peræq; ut Assessorum Cameræ, expressum esse, meâ sententiâ haud aberraverit. Sed redeo nunc ad locum Instrum. Pac. paulò antè relatum de paritate Assessorum Aulæ, & quæro quicunque sit illorum numerus, num Legi censeatur ex omni parte satisfactum, tametsi v. g. tertia demùm pars Consiliariorum ex Evangelicis accipiatur? Et quidem per ea, quæ dicta sunt jam antè, haud abs re esse credi-

crediderim, literam Instrum. Pac. non stringere ad hoc, ut præcisè constituantur tot Consiliarii Lutherani, quot habentur Romano-Catholici; at iste scrupulus manet, quid igitur dicendum sit, si causa quædam pro sui gravitate, desideret plenum Consilium, nam quia etiam tunc, quàm maximè paritas judicantium exigi videtur, sanè existimari potest Instrumentum Pacis hoc voluisse, ut tametsi actu constituti Consiliarii Aug. Confess. addicti, numerum Romano-Catholicorum haud exæquent, tamen tot interim habeantur, quò facilius sit, emergente causâ majoris momenti, plenumque Consilium exposcente, reliquum numerum istius religionis Consiliariorum, ad paritatem inducendam assumere.

Cæterum dispositio Instrumenti Pacis de paritate Assessorum Aulæ, loquitur tantùm de duabus religionibus, Romano-Catholicâ & Augustanæ Confessioni addictâ, quòd nimirum Imperator ex utraque debeat Consilium Aulicum formare, quid verò de Calvinianâ dicendum, anne debebunt isti etiam Religio-

ni addicti, in Consiliarios Aulicos recipi? Si inspicimus Instrum. Pac. *art. 7. §. unanimi* dicendum videtur, omninò etiam reformatis sive Calvinianis, emergente casu, quo Romano-Catholici vel Lutherani hoc jus habent, licitum fore paritatem judicantium suæ religionis desiderare, nam possunt hoc sine dubio duæ istæ religiones, Pontificia nimirum & Lutherana, sed quicquid per Leges Publicas, & in specie etiam per Instrumentum Pacis, in modum beneficii, his religionibus convenit, illud etiam *d. §. unanimi*, manifestè tribuit Reformatis.

Et juxta hunc sensum, Schema præsentationis Assessorum Cameræ *d. Instrum. Pac.* insertum, in usum venit, dum nimirum Sereniſſimus Elector Brandenburgicus, virum quendam Reformatæ religionis insignem, Cameræ Imperiali ante paucos annos in Assessorem præsentavit, qui etiam ibidem, utut Schema prædictum tantùm de Assessoribus præsentandis Aug. Confessionis mentionem faciat, fuit in Senatum Assessorum receptus, quidni igitur idem asserendum dixeris

xeris circa Consiliarios Aulici Judicii? Fateor æquitatem militare videri pro istac sententiâ, quòd nimirum Reformati etiam Principes & Status Imperii, hactenus pari jure gaudere debeant cum cæteris religionibus per Leges Publicas approbatis.

Verùm nec huic temerè adversabor, si quis dicat, non posse stringens argumentum ex *d. §. unanimi*, adduci. Nam objici posset, nec Romano-Catholicis nec Lutheranis, hoc permissum esse, ut alios, quàm Pontificios ac Lutheranos Aulici Judicii Consiliarios, pari numero desiderent, sed ad istas duas religiones, beneficium paritatis in Aulâ judicantium, præcisè esse restrictum, nec teneri Imperatorem, judicium Aulicum aliter constituere, inter Romano-Catholicos & Calvinianos Status, quàm illud idem formatum foret inter Romano-Catholicos & Lutheranos; sed hoc utique casu satisfieret Legi, si judicantes illi ex unâ medietate essent Romano-Catholici, ex alterâ verò Augustanæ Confessioni addicti, ergò etiam illo priori. In quo certè

puncto subsisto, etsi de Lege loquendum sit sepositâ æquitate vix reor literam Instrumenti Pacis, stringenti ratione ad hoc facturam, ut Reformati privilegium paris numeri Assessorum in Aulâ, sibi possint sensu prædicto vindicare.

Præsertim si consideremus usum & Praxin, juxta Ordinationem Aulicam antè citatam, ubi nimirum non ultra octodecim, & quidem connumerato Præside, judicium istud debet habere personas, ex quibus cum sex Consiliarii Augustanæ Confessionis [quanquam tot re-ipsâ non conspiciamus] determinentur, certè difficilius apparet, ut adhuc alii sex, sive etiam pauciores, quicquid sit in Camerâ, ubi autoritas hujus tanti Electoris jus præsentandi exercentis, magnum momentum affert, de Reformatâ Religione admittantur. Hoc modò adjiciam, Instrumentum Pacis loco paulò superiùs allegato, tantùm loqui de casu, ubi Principes & Status Imperii, vel directè, vel saltem per modum tertiæ interventionis in lite versantur.

Unde sequitur, cum ista res in modum

dum privilegii sit inducta, non fore locũ constitutioni, si ex neutrâ parte, ne quidem ut interveniens tertius, ullus Status sese litis fecerit participem, & sic processus Nobilium contra Nobiles, & quorumcunque privatorum, contra privatos, beneficio isto paritatis judicantium, si res veniat secundum communem naturam privilegiorum dijudicanda, haud videntur gaudere.

Illud palàm est, Consiliarios Aulicos, à solo Imperatore salarium accipere, annon verò cautiùs feciſſent Ordines, si ab eo statim tempore, quo Cameralis judicii sustentationem susceperunt, nimirum ab Anno 1548. petiiſſent, ut in unam massam pecuniæ ab Imperatore & ipsis ad solutionem Aulici & Cameralis Dicasterii, proportionaliter contribuerentur & in eo utriusque fori Imperialis par conditio haberetur, in medio relinquam; sed de primâ istâ quæstione satis.

Porrò quod alteram quæstionem attinet, omninò Principes Imperii, illâ prærogativâ gaudent, ut causæ feudorum Regalium in consessu parium Curiæ sint decidendæ, nec eâ in re jurisdictio Aulici

Consilii videatur fundata, uti pulchrè deducit, Author deß kurtzen und gegründeten Berichts über die Frag / ob die Römische Käyserl. Majest. in Sachen Fürstenthumb/ꝛc. belangend / allein und zwar durch dero Reichs-Hofräth / oder mit Zuziehung der Chur- und Fürsten des Reichs / als Parium Curiæ, zuerkennen und zusprechen/ & ratio potissima ex adverso allata, pulchrè dissolvitur, quòd quamvis in Ordinatione Cameræ *part.* 2. *tit.* 7. inveniatur expressum, Cæsarem sibi reservare cognitionem Regalium feudorum, tamen non potuerit, vel etiamnum possit, reservatio isthæc aliter intelligi, quàm eo sensu, quo ipse Imperator hanc cognitionem ex antiquo habuit, jam autem solus non cognovit, sed associatis paribus Curiæ, ergò etiam sibi ita reservavit cognitionem, more Majorum scil. instituendam, h. e. accersitis Principibus Convasallis ejusdem dignitatis.

Ex quibus sanè apparet, si jus ipsum in antiquâ consuetudine fundatum aspicias, nec Aulicum Consilium nec Cameram Imperialem habere decisionem super

per

per Majoribus feudis, in cæteris verò plerisque saltem, sortiri concurrentem jurisdictionem, de quâ quidem concurrentiâ, sed in aliis quæstionis terminis, dicam paulò inferiùs.

Præter suprema verò Judicia ista, adhuc supersunt nonnulla alia, ut Rothvvilense vulgò das Käyserl. Hofgericht zu Rothweil/ à Conrado III. Imperatore institutum, nec non similia Dicasteria certis terrarum spatiis præfinita, de quibus & quâ origine verosimiliter emerserint, dixi paulò superiùs. Non est autem bonum Reipublicæ, habere tot Judicia, inter se valdè difformia, cumprimis verò sumptus dehinc requisiti, multò possunt meliùs collocari, si ea planè tollerentur, quæ pro præsenti rerum Statu apparent minùs necessaria, & quidem ratio primævæ erectionis vel Ordinationis in his Judiciis particularibus videtur cessare, quòd hodiè habeamus Cameram Imperialem, certâ & fixâ sede constitutam; unde quandoque ea res in Comitiis occurrit, cumprimis verò etiam in Instr. Pac. injecta est mentio de tollendis istis Judiciis

parti-

particularibus, verum ad Comitia futura, remissa, ubi adhuc dum desiderat decisionem.

Deniqúe Principes & Status Imperii, in suis Territoriis, gaudent juris dictione secundùm vulgaria, & ideò quot Provinciæ Imperii, imò fermè quot locorum Domini, tot propemodùm diversa jura Provincialia, Statutaria & consuetudines admodùm varias animadvertere licet. Ut nunc taceam, ea quæ suprà sunt adducta de juris civilis, Canonici, Feudalium, constitutionum, Recessuum Imperii, totque per jure Consultos editorum Commentariorum, partim perplexitate, partim desuetudine, partim prolixitate, & quæ cætera sunt, quæ hanc rem in deterius vertere possunt.

Quod si igitur, recurrendo ad primum requisitum justitiæ benè se habentis, his vitiis obviam ire volumus, non est alia via, quàm ut jura, si non omnia, saltem communia, quibus connumerarem, jus Civile, Canonicum, Feudale, Recessus Imperii, & consuetudines Germaniæ Universales, modo & ordine quo fieri potest, brevio-

breviori ac conciñiori, in unam aliquam, ad imitationem Juſtiniani Imperatoris, redigi curemus conſonantiam, priusquã verò hâc de re, ſpecialius diſſeram, lubet præmittere hoc loco quæſtionem illam, de juris Civilis Juſtinianei & juris Canonici inter ſe comparatorum, valore & authoritate, utrum nimirum alteri præponderet?

Notum eſt, ſi Praxin conſideremus, pro diverſitate materiarum vel hoc vel illud alteri prælatum fuiſſe, unde reſpondere poſſum primò præcipuè inſpiciendum eſſe uſum, quid nimirum, quâque in re, vel materiâ obſervatum fuerit, ad conformitatem juris Civilis vel Canonici, illudque jus quod quaque in re notoria Praxis præfert, ſortiri debere primas; ſic v. g. in cauſis matrimonialibus, & illis, quibus vertitur ratio peccati, jus Canonicum ſequi ſolemus; è contrà verò, quod ad contractus & materiam ſucceſſionis attinet, jus Civile præponderat.

Tantummodò quæſtio ſupereſt, quidnam obtinere debeat, ſi ejusmodi caſus unus vel plures incidunt, ubi uſus directè in

ctè in unam vel alteram partem nihil determinat, ſicut facta varia ſunt, an tunc jus Civile vel Canonicum imitari conveniet? Reſpondeo jus Civile imitandum eſſe, ratio eſt, nam hoc ſine dubio vocatur das gemeine Recht/ & pro regulâ, exceptis his, quæ contrarius uſus in deſuetudinem perduxerit, in Germaniâ introductum eſt, ex adverſo Pontifices Romani non potuerunt, poſſuntvè Germanis jura condere, ſed Canones & Conſtitutiones Pontificiæ, in certis juris articulis, ſpontè ſunt ſuſceptæ, & adeò ligant Cives & ſubditos Imperii non ſimpliciter, ſed pro modo ſuſceprionis.

Cum igitur utrumque illud jus, Civile & Canonicum, in Judiciis Germanicis, non uno jam ſeculo pro Lege allegari conſueverit, & verò, jus Civile vocetur maximè das gemeine beſchriebene Recht; hinc ſequitur circa authoritatem ac poteſtatem, jurium illorum, inprimis diſtinguendos eſſe tres caſus, vel enim jus Canonicum aliquid ſtatuit ſecundùm jus Civile, vel contra illud, vel præter; Primus caſus difficultate caret, nam tunc, niſi

fortas-

fortassis Lege aliquâ Imperii recentiore, vel manifestâ consuetudine contrarium obtineat, hoc observandũ veniet, pro jure, quod abutroq; statuitur conformiter.

Secundo casu, jam dixi prærogativam tenere jus civile, tanquam jus commune Imperii; nec huic rei obstat, quòd etiam in multis jus Canonicum valeat contra dispositionem juris Civilis, hoc enim non propter sui ipsius autoritatem, sed quia usus in certis illis materiis, specialiter jus Canonicum approbavit, ita est receptum, ut propterea extra casus exceptos, jus Civile Canonico prævaliturum, meritò haberi debeat.

Tertiò demum casu, jus Canonicum probabilius vim & vigorem obtinet Legis, ex eâ ratione, quia inde ab aliquot seculis, in Germaniâ allegatum & ita usurpatum fuit, ut ex eo quoque sumerentur sententiarum rationes, ideoque si qui casus jure Canonico determinatus, in corpore juris Civilis non est expressè decisus, meritò in regulâ recurri debet ad jus Canonicum, & ex eo sumi controversiæ decisio.

Hæc

Hæc cùm ita sese habeant, operæ pretium foret, jura Romano-Germanica in unam conformitatem, reducere hoc modo; ut primò considerentur Pragmaticæ Imperii Sanctiones, & Consuetudnes universales, velut jura præcipuæ in hodierno foro potestatis, deinde jus Civile, tertiò jus Canonicum, ideoque si quid per Recessum aliquem Imperii vel consuetudinem benè firmatam, obtineret, hoc ipsum absque dubio inseri deberet operi, quicquid etiam LL. Justinianeæ his non contrarium statuerent, ac similiter, quicquid Canones vel Constitutiones Pontificiæ præter ista omnia ponerent, facere posset partem juris.

His ipsis simul adjici deberent perspicuâ brevitate jura Feudalia, nec minùs exponendũ foret, quam vim haberent, quid vè & in quibus à juribus istis cõmunibus differant, id versa locorum statuta & consuetudines particulares, pariter etiam haud abs re foret, cùm casus omnes non ita possint in terminis exprimi, ut ex tot Interpretibus juris, circa casus in compilatis istis juribus, non expressos nonnulli approbentur, & præ cæteris valituri, salvâ tamen

tamen Legum consequentiâ quasi canonizentur. Cujusmodi prærogativa, olim Papiniano attributa fuit, sic, ut ejus autoritas valeret contra alios jure consultos singulos, nec nisi ad minimum à duobus vinceretur.

Prætereà cùm in condendis Legibus, præprimis naturale justũ & æquum, inspici debeat, & ex altero capite, prædicta jura, toties obscura, in nonnullis etiam, ab æquitate illâ non scriptâ, deflecti videantur, ob eam causam novæ jurium congestioni, non modò bonos jure consultos, sed & Philosophos morales, nec non modernæ Germanorum Reipublicæ, peritos viros, qui pro diversis factorum circumstantiis, quid naturalis illa æquitas ad Publicam salutem, in Imperio suadeat, probè considerent, si quæ æquitati minùs consona apparent, amoveant, dubia, clariore sensu explicent, ac corpus ex his diversis juribus compilatum atque perfectum, ad rati habitionem Imperatoris & Ordinum Imperii, remittant, Publico nomine adhiberi convenit.

At verò inquis, difficilimum esse creditu, ut hoc tantum opus, quod infiniti propemodùm laboris existeret, ad exitum fœlicem ac finem perduci possit. Respondeo eadem difficultas Justiniano quondam Imperatori & Compilatoribus Corporis Justinianei objici poterat, quandoquidem ex infinitis fermè, veterum Jureconsultorum Responsis, Prætorumque Edictis, aliisque partibus, corpus illud juris Justinianeum, consarciendum fuerat, tamen intra pauciores annos, cœptis affuit fœlix meta & eventus. Jam quod idem circa novam compilationem juris sperare liceret, ex his modò persuaderi posse puto;

Primò, quoniam è jure Civili, multa longo tempore jam obsoleta prorsus exterminarentur ac omitterentur adeoque jus Civile, quod ad seipsum attinet, redderetur hâc ex parte concisius. Deinde, multa extant in jure Canonico, juri Civili aut etiam Recessibus Imperii, conformia, quæ propter superfluitatem, eidem non adderentur, multa etiam ex hoc jure tanquam obsoleta, vel alioquin propter

pter contrarietatem Receſſuum Imperii, Legumvè Civilium decederent, adeoque augmentum illud, quod ex jure Canonico proveniret, relinqueretur minùs amplum ac fortaſſis plus ex jure Civili, propter deſuetudinem detraheretur, quàm ex Canonico accederet.

Quod ad feudalia attinet, multa in his ſæpiùs reiterantur, eoque uti per ſe jura illa ſi ſc. ſuperflua reſecentur, conciſiora ſunt, ſic ſi quivis articulus feudalis, competenti Ordine ac ſemel tantum explicaretur, acceſſu ſuo tanto pauciores facerent paginas. Statuta & Conſuetudines locorum, ex aſſe conſcribi in illud tale volumen juris non deberent, ſed tantùm authoritas eorum exprimi, quatenus nempe à Legibus Publicis, iisdem deflectere liceat. Deinde adduci poſſent, ſi quæ fortè illuſtriora apparent, ac brevibus annecti ea, in quibus hæc talia à communi compilatorum jurium diſpoſitione differant, quæ res, ceu illam etiam Interpretes noſtri ac Conſiliorum authores datâ occaſione obſervant, dum quæ ſint celebriora hujus vel illius loci Statuta ac

consuetudines, breviter enarrant, profectò sine magnâ prolixitate ac vasti operis aggestione fieri posse videtur.

Deniqúe Recessus Imperii sunt multis verborum ambagibus concepti, quas si modò res ipsas teneremus, haud difficile reputaveris, compendiosiùs complecti, tantoque magis, quoniam Codex eorundem, plures alias materias, Statum ipsius Reipublicæ directè spectantes, continet, ac de illis disponit, veluti de redintegratione Matriculæ, indicendis collectis, Capitulatione Cæsareâ & id genus similibus, nam hæc talia ad distributionem, administrationemque Justitiæ, propriè haud pertinent, & adeò Corpori Juris, quippe cujus Principalis scopus ad justitiam privatorum causis reddendam tendit, nec oporteret eadem inseri.

Cui accedit, quod vel in ipsis Recessibus Imperii, etiam quoad materias directè concernentes Punctum Justitiæ, plura habeantur, vel usu antiquata, vel recentiore sanctione abrogata. Si igitur ea præcipuè excerperentur, ac novis jurium voluminibus inscriberentur, quæ hodie-

hodienum vigent, immutata, nihil video quid obstet, quò minùs dispositiones Imperii circa Justitiam, in Codice Recessuum contentæ, absque amplis voluminibus congeri, ac debitis locis, cum cæteris Imperii juribus usitatis exprimi possint.

Est quidem aliquando, ut historiæ gratiâ, de obsoletis etiam Legibus dicatur, quâ ratione Justinianus in Institutis & Codice suo multa attingit, priscis ante usurpata, quæ ipse sibi sumit corrigenda; attamen res ista, si quandoque placeat, vetera conjungere, fieri potest ac debet, breviter, alioquin tædiosior, quàm utilior futura, neque id quidem solùm in desuetis Legibus, sed & in his, quæ adhuc dum obtinent, benè observari potest. Consideremus modò exempli loco Authenticas Codicis Justinianei, quâ non brevitate & accuratâ paucis exceptis, concinnitate, ex Novellis Justiniani Constitutionibus, si tamen vulgaris sententia ponit verum authorem, extraxit eas Irnerius, quamvis vel suo tempore Justinianus Imperator, longa Constitutionibus

à se latis ac præsertim Novellis illis, exordia præmisisset, ac de ratione impulsivâ Legis, multo verborum apparatu disseruisset.

Sanè conditores Legum, magis eò respicere debent, quemadmodum, æqua jura, quæque ad Rempublicam pro Statu tunc præsenti applicari possunt, breviter ac perspicuè sanciant, quàm his ipsis, nescio quam superfluam facundiam ostentent. Veteres Reipublicæ Romanæ Leges, Senatusconsulta, Edicta Prætorum, & similia, conceptionem habuerant verborum brevem, sed multum rei ac succi continuerunt; e. g. uti quisque Paterfamiliâs super pecuniâ rei suâ legâssit, ita jus fasque esto, sunt pauca verba, continent tamen, dispositionem, quæ circa ultimas voluntates observari debeat, idemque in cæteris Legibus ac juris Romani partibus.

Porrò ut accuratiùs evidentiusque appareat, quemadmodum corpus jurium in Imperio obtinentium commodè conscribi possit, nonnihil specialiùs hæc ipsa percurram, dixi verò paulò superiùs, obso-

obsoleta, cujusmodi sunt maximè tituli de Magistratibus quondam Romanis, in novâ juris compilatione omittendas esse, propter desuetudinem, uti v. g. constat quod dudum potestates illæ cum prisco Romanorum Imperio interierint. Unde major ferè Libri primi Digestorum pars, similiter plures Rubricæ ex Codice, præsertim in tribus posterioribus libris nec non à titulo 23. usque ad finem libri Primi ferè decederent.

In Novellis Constitutionibus habentur similiter multa ad hanc tam obsoletam materiam pertinentia, veluti Novella, de Comite Isauriæ de Proconsule Cappodociæ, de Moderatore Arabiæ &c. quæ ex eadem desuetudinis ratione, haud deberent facere partem novæ jurium digestionis. Deinde cùm *in L. 2. ff. de Orig. jur.* vetera Romana jura ab incunabilis usque suis, & inde à Romuli temporibus deducantur, commodum imò necessarium videtur, circa explicandam originem juris Romano Germanici, tria tempora distinguere antiquissima illa usque ad Justinianum Imperatorem [2] inter-

media à Justiniano usque ad avulsum occidentem, quæ quidem duo tempora exponi possent summariter & concisè [3] recentiora, quæ initia & progressum Status Germanici complecterentur, & diversorum jurium successivè receptorum.

Hæc res, quod mirandum, vulgò solet negligi, cũ sit multò majoris & necessitatis & utilitatis, quàm tædiosa isthæc commemoratio de Origine juris Romani vetustissimi historica certè magis, quàm si usum fori moderni respicias juridica. In hac autem tertiâ jurium ætate, congruum erit, exordium capere usque à Caroli Magni temporibus, quippe qui Imperii Romano-Germanici, primus extiterit Conditor & Autor, ac summatim quemadmodum priscâ illâ ætate jus dictum, ususque Romani & Canonici juris successu temporis, & à quo quantum, sciri potest, invectus sit, quemadmodum etiam feudales consuetudines, obtinuerint, Ordines Imperii permissu Imperatorum statuta condere cœperint, & quæ hodiè habemus Imperii Tribunalia, constituta fuerint, adducere atque referre.

Non

Non possum verò hoc loco præterire iteratam mentionem Judicii Austregarum, qui cùm varios gignant in Processu circuitus ac præsertim in puncto competentiæ fori, complures tricas ac incertitudines, dicerem profectò esse ex re Imperii, totum Tractatum Austregarum, Pragmaticâ quadam sanctione Imperiali, penitùs tolli, & corrigi. Cui rei, ab his, qui contrà sentiunt, illud unum præcipuè objicietur, quòd Status Imperii pro singulari Privilegio primæ instantiæ, Austregas soleant habere, adeò ut non modò Capitulationibus Cæsareis, sed & Instrumento Pacis ac Receſſibus Imperii, cumprimis Noviſſimo, inserta legatur isthæc cautela de conservando Privilegio primæ instantiæ, **haben wir seither unser angetrettenen Keyserl. Regierung solche Privilegia allezeit gnädigst beobachtet / dasselbe auch weiters zuthun / vor ermelten unsern Reichs-Hofrath / ernstlich und gemessen eingebunden.**

Est ita, majoris momenti censentur privilegia isthæc, si rem consideramus tantũ ab extrinseco, at si inspicere libeat, rationem dispositivam omnium Austrega-

rum, non opinor difficultates amplius apparituras insuperabiles, propter quas Austregarum ambages ac varietates, in foro Imperii tolerare sit necesse. Quid enim præstant Austregæ Statibus, vel aliis istorum Privilegia nactis, præterquam hoc, ut non minus, quàm privati contra sententias salva habeant sua juris remedia.

Atqui, hoc idem dico potuisse sc. ac hodienum posse obtineri, etiamsi dispositio illa Austregarum ob rationem prætactam vel primitùs introducta non fuisset, vel nunc tolleretur. Res autẽ ita se habet; adversus sententias in Sumis Imperii Dicasteriis latas constat, duplici viâ regulariter permissum esse querelam instituere, vel quòd iniquè aut nulliter sit pronunciatum, quæ res ex prioribus actis judicialibus venit dijudicanda, ac in speciem revisionis, supplicationis, vel syndicatus incidit, vel quòd aliqua justa causa omissa fuerit in processu, quæ nunc noviter deducatur, sic ut ex æquitate & justâ causâ Legibus approbata, judex possit ac velit à rigore prioris judicati resilire ac illud rescindere, cujusmodi species nomine re-

ne restitutionis in integrum solet indigitari.

Hæc autem ideò commemoro, nam, quia à supremis tribunalibus appellare non licet, Status Imperii secundùm Leges & præsens exercitium Jurisdictionis, non possunt in processu contra sententiam Aulicam vel Cameralem instituto, uti remedio isto sive juris beneficio; *Non deducta deducam, non probata probabo*, & hinc mihi videtur provenire moderna ista consideratio, quòd demptis Austregis, Status Imperii forent deterioris conditionis, quàm privati, si enim privatus aliquis omisisset inprimâ instantiâ exceptionem quandã, v.g. pacti de non petendo vel similem, tunc dubio procul posset in Judicio appellationis illam nihilosecius deducere *per text. in l. fin. §. 4. C. de tenq. & repar. appell.* licet sub legitimis istis requisitis, de quibus in R. N. §. Wie ebenmässig.

At verò Ordinibus Imperii & Immediatis Nobilibus, visum fuit his Legibus & hoc usu fori, si Austregæ tollerèntur, contra accidere, cùm videlicet ipsi propter

pter immedietatem & primam instantiam secluso Austregarum respectu, consequenter in Aulâ vel Camerâ peragendam, statim deberent ad remedium revisionis confugere, eò quòd restitutio in integrum propter omissam exceptionem, vel quodcunque aliud vitium in anteriori processu commissum, non ilicò decernatur, *per l. 2. C. sent. resc.* non posse, & Recessum Imperii de Anno 1654. §. Es soll auch hinfüro/ꝛc. vigore cujus omnes exceptiones dilatoriæ vel peremptoriæ, in primo termino sunt inferendæ sub pœnâ præclusi, adeoque restitutio in integrum, ne iste §. Es solle auch/ꝛc. sit frustraneus, ex capite non deductæ exceptionis impetrari nequit.

Ut igitur ad rem perveniam, si Statibus & Immediatæ Nobilitati, in Supremis Imperii Tribunalibus, concederetur duplex remedium gradatim, sic, ut in primo liceret ipsis deducere, anteà non deducta, & probare anteà non probata, consimili planè modo, quo privatis ac subditis idem est permissũ in processu appellationis, ad Aulam vel Cameram devoluto, sub modera-

deramine tamen d. §. Wie ebenmäſſig/ ꝛc. in ſecundo verò, iidem Ordines Imperii vel immediati Nobiles, ſubmittere ſe deberent formalibus & requiſitis Judicii reviſorii, tùm ſanè nihil apparet, unde deterioris conditionis, iidem haberi poſſent præ privatis & mediatis, etiamſi irregularitates Auſtregarum propter rationes expoſitas placeret penitùs è medio proſcribere.

Nec ſtringet, ſi quis urgeat, ſublatis Auſtregis lites in Supremis Tribunalibus, valdè accumulatum iri, quia omnes cauſę Statuum in primâ inſtantiâ ſic eò deferrentur: Nam propter hanc rationem duo ſunt in Imperio Summa Tribunalia, ut juſtitiæ in omnibus cauſis ad ea devolutis ſuus conſtet vigor & effectus, nec tàm quærenda eſt litium reſtrictio ex reſtrictâ ſuperiorum judiciorũ cognitone, quàm ex intricati & ſupra modum prolixi juris emendatione, tùm etiam paratiori decretorum executione.

Sed progredior nunc ad Judicia à Cæſaribus per certos Imperii diſtrictus olim conſtituta. Hæc, cùm hodiè ad Aulam

lam pateat acceſſus & Cameram certâ ſede ac Legibus conſtabilitam habeamus magis videntur ſupervacua, eorundemque ſumptus aliter & melius collocandi, ob quam cauſam, nihil video obſtare, quod eadem, præſertim ſi ex utilitate Imperii rem iſtam metiri volumus, Publicâ Lege ſimiliter abrogari impediat, idq; tantò minus dubium eſt, quia jam per Inſtrum. Pacis haud valdè diſplicuit, ſi modo tùm ſine aliarum cauſarum impedimento ad effectum perduci potuiſſet.

Quicquid ſit tandem, aut placet, retinere inſtantiam Auſtregarum, nec non Particularia iſthæc Cæſarea judicia, & tunc deberet in materiâ jurisdictionis quam vim ea haberent & effectum, exprimi, aut melius apparebit legem ferri, de eorundem abrogatione, & ſic conveniret ſaltem eandem circa rubricas jusdicentium inſeri.

Porrò ſunt, qui putent, Imperio utilius futurum, ſi unicum tantum haberemus Tribunal Imperiale, & ſi adminiſtratio juſtitiæ, ſoli committeretur Cameræ, abrogatâ Aulâ. Sed hanc ſententiam

tiam ego meam non facio, primò quia, sunt multa negotia Imperii per se ad Cæsarem pertinentia, quæ à Camerâ tanto intervallo remotâ, expediri commodè nequeunt, ut paulò antè dixi, adeoq; Imperator præter Cameram indiget in his talibus rebus utiq; aliquo Imperii Consilio. Deinde in specie per Instr. Pac. jã est constabilita, concurrentia jurisdictionis inter Aulam & Cameram, & sic utrumque judicium approbatum. Tertiò non videtur unicum Tribunal omnibus litibus, quas hodiè, inter Status Imperii, Nobiles & subditos, conspicimus, suffecturum esse, si enim vel Aula vel Camera tolleretur, alterutrius judicii de præsenti pendentes processus ad alterum deberent trahi, vel contra.

Finge tibi autem, tot mandata, tot appellationum processus, totque causas simplicis querelæ, ut de revisionibus, restitutionibus in integrum, & similibus nihil dicam, à Camerâ ad Aulam vel contra avocari, ac insimul, ibidem tot alias causas pendentes reperiri, profectò concesseris opinor, conjuncta illa functionum onera

onera ſive Collegii Aulici ſive Cameralis vires longè exuperatura.

Ex diverſo igitur capite neceſſum eſt, haberi, duo ſaltem Imperii Tribunalia, quæ adminiſtrationi juſtitiæ pariter vacent, & hæc quidem res hodiè eſt expedita, adeò ut vigore Inſtrumenti Pacis, etiam idem judicarius proceſſus & Ordo, qui in Camerâ habetur, nec minùs in Aulâ obſervari de jure teneatur.

Cæterùm quod ad concurſum jurisdictionis Aulicæ & Cameralis attinet, ambigi omninò poteſt, an is ſit Reipublicæ utilis? Primò quia ipſa judicia Aulicum & Camerale dehinc materiam æmulationis inter ſe ſortiuntur, ſecundò quia ex hoc fonte oriuntur multæ lites præventionum, & Statuum gravamina, conquerentium, cauſas jam pendentes aliò & cumprimis ad Aulam, per vias indirectas Commiſſionum, cauſæ continentiæ non dividendæ, & ſimiles avocari. Unde poſtmodùm nova rixarum copia prognaſcitur, dum contra partem adverſam decerni ſolent, Citationes ad

vid. ſe incidiſſe in pæn. l. ult. C. de in jus voc:

Quan-

Quantumvis enim per Constitutiones Imperii & maximè in Recessu de Anno 1654. §. Ebenmässig sollen/ avocationes hujusmodi processuum, à Camerâ ad Aulam, quorsum per partium technas frequentius accidere consueverunt, districtè prohibeantur, tamen si Praxin respicimus, utrum isthæc res fuerit semper & ubiqúe observata, judicent illi, qui causis agendis fuerunt occupati.

Prætereà Ordo judiciarius de praxi per omnia haud convenit in Aulâ & Camerâ, non tantùm quo ad extractum initialem, sive in puncto fundandæ jurisdictionis, sed cùm primis etiam in progressu causæ, imò quandoque in ipsis litium decisionibus, maximè circa formalia latis, veluti, si in causis provocationum super puncto devolutionis sive desertionis judicatur. Exemplum diversitatis in processibus decernendis capere possumus vel ex eo; Si in Camerâ supplicem, regulariter decernitur processus vel denegatur, prout fundata apparebit jurisdictio vel non, aut certè, ubi minùs legitimè libellus foret conceptus, formiter concipiendum

esse decreto significatur; at in Aulico judicio ad talem supplicam non est infrequens accipere decretum merè communicativum: Solle der Gegentheil hierüber sub certo termino, seinen Bericht erstatten/ quæ communicatio deinde fit mediante Imperatoris rescripto, cui libellus includitur & parti insinuatur.

Etsi verò isthæc adversarii responsio post exhibeatur Consilio, nondum tamen scis, utrum in processu propriè verseris vel non, sed est res isthæc ab arbitrio Consilii adhuc dum suspensa. Nec est ut quis objiciat, etiam in Camerâ Imperiali obtinere literas informatorias vulgò Bericht-Schreiben/ si processus præprimis petatur à subditis contra Magistratus; quia extra omnem hujusmodi respectum in Aulâ decernitur rescriptũ istud cõmunicativum, ut constat & mihi in aliquot causis ita evenit. Intentio autẽ subesse potest non mala, nam si Consilium Aulicum sciat, hanc vel illam Illustrissimam domum supplicantem aliis processibus valdè involutam, tunc parciùs satagit decernere novos, præsertim si qualiscunq; scrupulus oriatur fundatæ alicujus contra agentem exceptionis.

Sed

Sed Camerale Tribunal volenti existimat non fieri injuriam, ideoque periculo partis si fundata sit jurisdictio, processus rectè decernit, & sic in eo videntur differe illa duo judicia. Deinde, ut hoc tantùm de progressu causæ adducam; sæpiùs scripta sine numero in Aulâ inferuntur, & quidem interdum præter judiciarium ordinem utrinque, hoc est, modò infert Actor modò Reus, & etiam antequam facta communicatione, ad intentionem Actoris propriè respondeatur; idem accidit in sequentibus scriptis quæ res hoc mali habet, ut causę inde, scilicet quasi geminis replicis ac duplicis &c. fiant intricatiores & magnâ actorum farragine diffusæ.

Denique Ordinatio Aulica, Consilium istud Imperiale, ad formalia processus non æquè stringit, sicut Ordinatio Cameralis, illius summi judicii Assessores. *vid.* Reichs Hofr. Ordn. Ferd. III. Imp. *Tit.* 2. Vō Sachen in Reichs-Hofrath gehörig. §. Sie wollen & §. Hingegen. *Imò d.* §. Sie wollen nec præcisè ad substantialia processus Cameralis, obligare videtur Consiliarios

Aulicos, propter illa verba: **Von der Ordnung/wie ſie im Käyſerl. Cammergericht eingeführt und verbeſſert werden möchte/** in ſubſtantialibus proceſſus **nicht abweichen ſollen.** Ubi verbum **eingeführt** ſignificare etiam poteſt futurum tempus, ut ſenſus ſit, Conſiliarios Aulicos, aſtringi ſubſtantialibus proceſſus Ordinationis Cameralis inducendæ & corrigendæ non verò jam inductæ, quâ hodiè utimur. Quicquid ſit, hoc certè uſus oſtendit, v. g. in fatalibus neglectis, leniùs Aulam agere, Camera enim adverſus lapſum fatalium introducendæ appellationis difficulter adverſus lapſum verò fatalium interponendæ difficilimè aut planè non reſtituit, id quod in Aulâ ſecùs ſe habere, ex diverſis præjudiciis commemorant.

Subeſt etiam aut ſæpenumerò evitari non poteſt reſpectus partium ex variis cauſis, propter quas Imperator & conſequenter Judicium Aulicum utplurimùm mavult, bonâ gratiâ rem componi, & quaſi arbitratorio more, quàm per figuram ſententiæ vel Judicialis arbitrii, quæ

quæ quidem Publicorum considerationes in camera Imperiali magis cessant.

Quanquam autem supra institutum meum esse meritò indicem hoc in passu certi quippiam determinare, tamen illud palàm est, quando in similibus causis à diversis Judiciis non fiunt similes decisiones, vel ex capite formalium vel materialium, sive meritorum causæ, tunc posse de facili, in Imperio excitari confusionem, nec non in animis Ordinum ac subditorum, pro rei controversæ ponderè livorem atque turbulentos motus.

Inquis sc. ita se res habet, sed non monstratur, aut fortè ne extat quidem remedium, quo in melius mutari queat. Fateor salvis his Legibus, vix fore penetrans medium, declinandi gravamina litis præventæ vel id genus similia; absolutè tamen dari posse haud inficior, hoc nimirum sensu, ne duo illa Suprema Justitiæ Tribunalia, habeant jurisdictionem concurrentem, & tamen juri dicundo, pari ferè autoritate incumbere possint. Id quod ad hunc passum [nec enim de cæteris emendandæ justitiæ Capitibus, in hac

quæstione loquimur Jutiq; satis esse videtur, & litium avocationibus, præventionibus, nec minùs difformitatibus processuum, ac decisionum inprimis salutiferum.

Expedit autem ad hunc scopum consequendum vix aliud quàm hoc, ut dividatur Aulica & Cameralis jurisdictio; verùm divisio isthæc contingere posset dupliciter, primò ratione certorum districtuum ac Circulorum Imperii, ceu quidem antiquitùs Romani Magistratus partim in Urbe, partim in hâc vel illâ Provinciâ jus dixerunt, adeò ut quamvis aliqui ex illis essent autoritate pares, tamen jurisdictio non extenderetur extra Territorium, sive unam aut plures Provincias administrationi commissas, unde v. g. Præfectus Prætorio Orientis non dixit jus in Africâ &c. Quam administrandi rationem secuti etiam fuisse videntur veteres Imperatores Romano-Germanici, in constituendis judiciis istis Particularibus, per certos Imperii districtus, de quibus dictum est superiùs. Deinde dividi poterit summa jurisdictio ratione causarum, sic

ut Au-

ut Aula circa certas Camera etiam circa certas causarum species versetur.

Existimo divisionem juris dictionis, priori modo consideratam, non fore utilem Germaniæ rebus, ratio est, nam contingeret eo ipso, Germaniam magis esse divisam, & prout quisque, sub Circulis Cameræ aut Aulæ assignatis comprehenderetur, etiam hoc vel illud judicium magis minusvé coleret, cumprimis hodiè, ubi ex veriore sententiâ, ipsa potestas jurisdicundi, & alia nonnulla Imperii negotia, de quibus dixi paulò antè, ad Imperatorem & respectivè ad Imperium pertinent, non ratione hujus vel illius Circuli, sed ratione omnium & singularum Imperii partium, adeoque fieri nequit, ut jurisdictio & functio Aulica, certis districtibus terminetur, sive inter Cameram & Aulam potestas illa jurisdicundi respectu Territoriorum separetur.

Hoc igitur unum remedium relinquitur, si volumus scopulos istos antè monstratos declinare, ut causæ forenses dividantur, illarumq; certæ species Aulæ,

certæ Imperiali Cameræ assignentur, ultra quas horum Tribunalium se non extendat jurisdictio. Quem sanè modum præter vetera illa exempla, etiam multi ex Imperii Statibus, præsertim verò Civitates, hodienum exercent, ac diversas justitiæ causas huic, diversas alii committunt Magistratui.

Cæterùm ut tantò dilucidiùs appareat, quàm conveniens, hoc idem nostræ Reipublicæ existeret, si ipsa quidem Suprema judicia, Aulicum & Camerale, cæteris cassatis, pari authoritate retinerentur, causarum tamen diversis figuris invicem internoscerentur, deducam hanc rem, paulò fusiùs; notum est, quòd Camera non suscipiat cognitionem in his, quæ specialiter sunt reservata decisioni Imperatoriæ, prohibetur enim Lege Ordin. hoc idem facere.

Pariter circa causas criminales, non habet fundatam jurisdictionem, nisi fortassis per viam mandati de non procedendo contra Constitutiones Carolinas, quatenus nimirum Magistratui inferiori, ad instantiam partis, quæ gravari metuit, sub gravi pœnâ injungitur, non ultra

ultra vel contra limites der Peinlich-Halß-Gerichts Ordnung Caroli Quinti, procedere, vel sententiam ferre. Hæc ob liqua via, ut sacra Anchora, ex defectu interdictæ hoc casu appellationis, à Practicis apprehendi solet.

Sed quamvis rebus ita stantibus, hoc idem in Camerâ quoad Criminalia, unicum fermè remedium suppetat, tamen reverâ haud satis hinc consultum esse videtur innocentibus, si enim Magistratus ille inferior, pro more sustineat Processum, & minas illas declarationis pœnæ perferat, aut etiam planè dictam pœnam persolvat, nihilosecius tamen pro lubitu, ac fortè etiam ex affectu sequiori decernat, sanè patitur justus inde nequicquam sublevatus, ulterior enim seu etiam arctior inhibitio non ita citò emanare poterit, ut supplicium gravati antevertat, & sic quidem res habet, cùm in judicio inferiori vertitur quæstio criminalis, sive quando mediatus aliquis coram suo ordinario, vel ad instantiam alicujus, vel processu inquisitorio, criminaliter impetitus, querelam hoc nomine ad

Tribunal aliquod Imperii deferre vult per viam provocationis.

Quòd si delatio criminis, contra immediatum institui velit, ac in primâ statim instantiâ, accusationem coram Supremo judice intentandam, qualitas Rei exigat, jam sanè, quod ad cameram attinet, omne auxilium deficit. Cæterùm coram ipso Imperatore hoc posteriore casu *arg. l. fin. C. ubi Sen. vel Clariss.* res disceptanda adhucdum videtur; sed tamen magis in Comitiali Consessu, dum notum est vel ex actis præsentium Comitiorum, nec Aulæ nec Cameræ Cæsareæ, attribui jus declarandi Statum aliquem in pœnam banni. Unde sequi videtur, regulariter Aulici judicii jurisdictionem in criminalibus, non magis fundatam esse, quàm ipsius Cameræ; aut enim res ad Comitia pertinebit, nisi fortè Immediatos Nobiles excipias; aut subditum aliquem concernet, ut priori illo casu, quo non magis, quàm ipsa Camera, cognitionem habere potest Aula Imperialis, cùm scilicet appellationes in criminalibus, consuetudine Germaniæ nescio quali, certè satis antiquâ,

quâ, imò per ipsum Recessum Imperii de Anno 1530. §. item als jetzt/ &c. approbata prohibitæ noscantur.

Quoniam igitur, jurisdictio Cameræ Imperialis, per se circa criminalia admodùm tenuis est, & verò Aula Cæsarea, si quandoq; potest, certè rarò potest suscipere in his causis cognitionem, sanè convenit alterutrum horum judiciorum, de criminalibus jus dicere indistinctè, adeoque etiam per viam provocationis, circa criminalia habere jurisdictiònem fundatam, satis enim, frigidum esse videtur, ob eam causam, uti quidem hactenus obtinuit, appellationes in criminalibus velle sublatas, quia per calumniam & ad suspendendam executionem, damnati sæpiùs soleant provocare, cùm per contrarium, ab omni ratione alienum videatur, in causis, ubi omnis fortuna, fama ac vita hominis periclitatur, justum defensionis remedium contra sententiam planè denegare, & illud tamen in minoribus ac pecuniariis controversiis, parti gravatæ indulgere.

Neque satis est, ut hodiè vulgò faciunt,

ciunt extstimare, innocentiæ reorum in criminalibus satis consuli, exinde, quòd acta ac factorũ species ad Consilium Prudentum, soleant ac debeant vigore Carol. Const. plerumq; deferri, ac deinde ex illorum arbitrio, sententia concipi; quia cum ne in pecuniariis quidem litibus, solùm confidamus arbitrio Prudentum, ad quos acta transmittuntur, sed liberum habere volumus provocationis auxilium, cur in majoribus illis causis, spretâ appellatione ad hoc, ut candidè omnia fiant, sufficere arbitramur, transmissionem actorum ad aliquod Collegium Juridicum, cùm tamen Academia vel Collegium ejusmodi pari synceritate & diligentiâ, judicaturum sit, ut in controversiis merè civilibus?

Quod ad causas matrimoniales attinet, personæ Mediatæ solent conveniri, coram Judiciis Consistorialibus Principum ac Statuum Imperii, verùm si sententiam tulerint adversam, ad Cameram provocare non licet, quippe, quòd & usu, & Mem. aliquo Visit. hoc idem disertè denegetur, minus enim congruũ visum est, Ca-

est, Cameram tanquam judicium merè seculare, de spiritualibus hujusmodi rebus judicare, quin in universum de aliis quoque causis Ecclesiasticis, veluti de decimis & similibus, non judicant Domini Camerales, nec se in eas intromiscent, nisi fortassis super possessorio & per viam obliquam mandatorũ id contingat, in quo ipso tamen haud leviter vel passim decerni processus, licebit animadvertere.

Aula Cæsarea partim ex jurisdictionis cum Camerâ concurrentiâ, partim, quòd in Ordinatione Aulicâ, haud reperiatur, hoc ipsum specialiter eidem judicio reservatum vel exceptum, similiter id genus causis, directè haud videtur vacare, ob eamque rationem justitia hisce partibus esse claudians. Quoniam igitur, tempore Jurisprudentiæ veteris, ipsæ etiam Ecclesiasticæ causæ, ad forum civile, prout quidem tam diversi tituli & leges in Corpore juris Civilis ostendunt, haud dubiè spectabant & secundùm saniores Politicos meritò spectare debent, nihil impedimenti supereſſe videtur, quo minùs, iterùm hodiè Tribunal aliquod Imperiale,

periale, hujusmodi de rebus judicet, ac fieri posset, ut assumerentur, Assessores hujus talis judicii, jurium Ecclesiasticorum, & etiam conscientiæ casuum, satis gnari.

Annon igitur ut ad rem redeam, si omnes litium species, & illæ etiam, in quibus de præsenti, quodammodo ignoratur, ad quod forum pertineant, vel saltem ad Imperialia Tribunalia vix patet accessus, si inquam hæ omnes causæ, ceu quidem perfecta justitia exposcit, cæteris paribus Imperiali examini subjicerentur, tunc ex re fore existimas, ut Summa Dicasteria causarum qualitatibus invicem dignoscantur, & sic præventionum querelæ, vel similia gravamina omnibus præscindantur.

Sed digressus sum aliquantò longius, illud certè constat, potestatem jurisdicundi publicam, ad plura negotia, extendendam, indeque novo corpori juris circa punctum jurisdictionis inserendos esse unum vel plures titulos, de autoritate & potestate judicii Aulici & Cameralis, quaque ratione utriusque illius Tribunalis juris-

jurisdictio, certa negotia & qualia sibi proposita habeat. Porrò quoque tituli illi, de processuum formalibus & partibus, qui in jure Civili, ac partim, scilicet respectu primæ instantiæ, per quatuor priores Digestorum libros ac tit. prim. libr. 5. nec non librum tertium Codicis, ab initio, usq; ad materiam inofficiosi testamenti; partim verò & respectu secundæ instantiæ, ac remediorum restitutionis in integrum, appellationis, supplicationis, restracttationis &c. utpote de quibus omnibus remediis continuâ serie non agitur, *in ff. & C.* sparsim traduntur, post articulum jurisdictionis, methodo longè concinniori ac cohærentiori, exponi possent.

Si modum requirimus, idem congruus foret, quo illæ rubricæ habentur, magnâ ex parte in jure Canonico, per integrum librum secundum Decretalium, idque hâc ratione, ut tùm ea, quæ sunt juris Civilis & Canonici ad unam quandam consonantiam reducta, tùm inprimis etiam dispositiones Ordinationis Aulicæ & Cameralis, Recessuum item Imperii

perii ac præsertim Novissimi de Anno 1654. nec minùs Sctorum Cameralium, circa processum & judiciarii ordinis materiam hac parte operis explicarentur, ac primò quidem, de extractu, expeditione, insinuatione ac reproductione processuum, quæ animadvertenda sunt, edicerentur.

Deinde sic traderetur, quid in partibus & requisitis judiciorum, veluti litis contestatione, probatoriis & similibus, Actori vel Reo, incumbat observare, quos terminos, & quanti temporis, quisque illorum ad agendum, excipiendum, replicandum, duplicandum habeat, item quemadmodum, concipi ac ferri debeat sententia, quis ejus sit effectus & modus executionis, prætereà qualiter & per quæ remedia sententia, à vigore rei judicatæ possit suspendi, quæque sint cujuslibet talis remedii formalia, & ratio procedendi; ubi Statuum Imperii Privilegia de non appellando & similia, commodè explicabuntur, indeque & ex his omnibus fiet, ut Candidati, ac Licentiati, sive etiam, si dicere fas est, interdum majoris famæ

jure

jureconsulti, circa processum Camerale vel Aulicum, non sint, ut hodiè sentimus, adeò frigidi & sicci.

Porrò postquam de formalibus processuum ad hunc modũ satis dictum fuerit, occurrent materialia, sive ipsæ actiones, in foro proponi solitæ, quæ cùm aut civiles sint, eaque vel in rem vel in personam, quarum hæ rursus vel ex contractibus, vel ex testamentis similibusvé causarum figuris descendunt, aut criminales, sc. ad vindictam Publicam, conveniet, hoc eodem ordine, qui quidem etiam potissimum in Digestis est observatus, hæc ipsa pertractari.

Quâ in re similiter interspergi poterunt, quæ ex jure Canonico vel Recessibus Imperii, recentiùs obtinuerunt, & tota quidem materia juris feudalis, posset ad emphytesin, quippe cui vicina esse videtur, referri cum eaque, aut si magis libeat, nec malè cum doctrinâ usus fructus combinari. Tractatio mandatorum, haud insulsè, unà cum interdictis traderetur, sunt enim mandata, naturâ suâ nihil aliud, quàm interdicta, seu præcepta

judicis, quibus aliquid fieri injungit vel prohibet, & hac saltem formalitate, quod ad rem ipsam attinet, ab interdictis quadantenus dignosci videntur, quòd antiquitùs Prætores Romani, non soliti fuerint, aliquid sub hujusmodi pœnâ decem, vel quotquot marcarum auri, sed simpliciter tantùm & absque tali comminatione præcipere, ac si eorundem interdictis vel Decretis non pareretur, pro autoritate parti læsæ reipsâ, & juxta qualitatem negotii, manu militari succurrere.

Sed in Imperio Romano-Germanico, cùm via facti per diffidationes sæpius usurparetur, præceptaque supremi judicis, præsertim à potentioribus, flocci penderentur, introduci cœperunt, & hujusmodi interdictis annecti commiationes pœnarum pro gravitate & exigentiâ rei arbitrariæ, quæ usu hactenus, & variis Imperii Constitutionibus, eousq; invaluerunt, ut totus cardo executionis sententiarum in Imperii Judiciis prolatarum, ab his ipsis hodiè omninò dependeat.

Dixi autem arbitrariæ, quia licet in-

R. Dep. de Anno 1600. §. Und obwohl frivolis appellationibus pœna minima, ad unam auri marcam, maxima verò ad decem marcas determinetur, tamen ut ibi textus innuit, res est respectu intermediæ quantitatis arbitraria. Imò de Praxi liberum est judici, etiam sub pœnâ ultra 10. marcas auri, aliquid præcipere vel inhibere. Verùm ex hâc, quam attuli causâ, haud immeritò de mandatis, cum vel sine Clausula, simplicibus, ulterioribus, vel arctioribus, inter interdicta agetur, cæterùm jura fiscalia & his connexa, prout fit in jure Civili, ad finem operis, nec malè reservari poterunt.

Opinor autem non ita multas paginas per Recessus Imperii, quoad materialia juris immutatum iri, nam constitutiones illæ, quæ de puncto etiam justitiæ agunt, hanc rem utplurimùm accelerandi processus gratiâ, in medium attulerunt, eaque propter de formalibus judiciarii ordinis, seu ut vulgò vocant processus, præcipuè disposuerunt, quid verò in re ipsâ, justum vel injustum haberi debeat, in eo paucis exceptis, inter quæ Ord. Po-

lit. de Anno 1548. & 1577. nec non Constitutio Recess. Imp. de An. 1551. §. Diessen zubegegnen/ & Constitutiones Arestorum ac pignoratitia, nec minùs sanctio illa R. D. de Anno 1600. §. So viel nun super usuris quincuncibus & quidem etiam in contractu mutui à tempore moræ solvendis, lata similiter Recessus Imperii, de anno 1654. quoad beneficium quadrantis, & partialis intra finitum nunc decennium solutionis &c. præcipua quædam sunt, à jure civili rarò fecerunt saltũ.

Quamvis verò ad hunc modum habituri foremus, in Imperio Romano-Germanico, jus suo ordine & perspicuitate donatum, tamen cùm casus extent in variorum interpretum ac recentiorum Jureconsultorum commentariis, voluminibus decisionum, sententiarum, consiliorum &c. quàm plurimi, qui ipsi sanè, adhuc dum multum obscuritatis parere possunt, profectò insuper perneccessarium fuerit, huic malo remedium quærere, ob eamque causam videtur operæ precium futurum, si casus juribus modernis nec decisi, celebriores, & frequentiùs accidere soliti, ex diversis probato-

batorum authorum scriptis colligerentur, ac inspectis decidendi momentis, rejectâque contrariâ sententiâ, per sanctionem Pragmaticam, ipsi novo juris corpori inserendam, expressè comprobarentur.

Id quod sic v. g. factum novimus, in Constit. Carolinâ, de Anno 1521. repetitâ in R. I. de Anno 1529. ubi illorum JCtorum sententia, qui filiis fratrum in hæreditate patriâ successionem in capita, tribuerunt, expressè confirmata fuit; quod cumprimis in dubiis Cameralibus sæpè accidit, ut nimirum alterius partis sententia, Publicâ Lege comprobaretur, quorsum sanè & in reliquis dubiis Cameralibus, R. I. de Anno 1654. §. ratione dubiorum, satis manifestè inclinat. Itaque prima autoritas ipsi juri ex his diversis partibus ac operibus congesto, prout meritò debet, veniret deferenda adeò, ut omnes decidendi rationes, eidem innitèrentur, atque superstruerentur.

Cæterùm quod ad casus non expressos attinet, præ reliquis seligi possent, certi authores, quos ipsos terminatim loquen-

quentes allegare in judicio liceat, judicis tamen facultate, ex similibus in jure expressè decisis judicandi, haud sublatâ, ratio hujus rei est, quia cum omnes omninò casus, uno volumine complecti, propemodùm impossibile appareat, & verò casus celebriores crebrioresque, sic excerpti forent ac certâ sanctione inter cætera, novo corpori juris inserti, cui non probabitur, quoad casus reliquos fortè rariores, hoc medium sufficere, ut certorum Jureconsultorum scripta, ad instar Patrum in Theologicis, valitura reciperentur.

Omnes enim, quotquot extant, interpretes, retinere velle, res est pluribus modò, perplexitatibus devincta, cumprimis, quoniam satius haberi debet, cæteris proscriptis, pauca utilia retinere, quàm tot tricis justitiam involvere. Verùm ne subinde per novos commentarios, prout quidem nostro præsertim ævo accidit, justitia vel jus ipsum, tantùm perplexitatis patiatur, Publicâ sanctione, videtur Justiniani Constitutio, *in l. 2. C. de vet. jur. enucl.* retinendo circa novas

vas emergentes formas, quas natura ſemper edere deproperat, novæ ſanctionis remedio, ad uſum reducenda, cavendum etiam, ne ad honores juris, cuivis ferè, quantumvis ſæpè rudiori, ita pateat acceſſus.

Secundum requiſitum rectioris juſtitiæ eſt, ut jure jam repurgato à tot nubibus & mendis, boni habeantur judices, Advocati & Procuratores, quos ut Imperaror & Status Imperii tantò meliores & conſtantiores in amplexu juſtitiæ experiantur, maximè requiri arbitror, ut Leges modis prædictis rectificatæ, quàm ſtrictiſſimè cuſtodiantur. Satius eſt enim, etiam unum aut alterum civem pati per rigorem Legis, cui ſc. rei novâ ac mitiori ſanctione facilè conſulere licet, quàm ſi contra jus judicando, verba Legum ſiniſtrè detorquendo, illarumvé ſententiam circumveniendo, toti quodammodò noceatur Reipublicæ. Quod ne fiat, de cætero tùm Judices, tùm Patroni & procuratores cauſarum, ubi in fraudem Legis, aliquid excogitâſſe deprehenſi fuerint, certâ multâ abſque remiſſione juſtis-

justissimè punirentur, pro rei gravitate & circumstantiis etiam infamiæ notam, litis æstimationem vel alias pœnas subituri.

Quòd si quis objiciat, ne sic quidem jus ipsum in suam perfectionem ex asse deduci, ipsamque justitiam adhuc, non ita recto calle processuram asserere velit; respondebo, cuncta humana jura, quantumvis vigilanter condita, non ita sanciri, ut Physicâ necessitate perstent immutata, & undequaque perfecta, sed sufficere, si quod justum & æquum est, qualiter fert ejus natura, juxta varias circumstantias, sanctione Publicâ comprehendatur, est autem omninò verosimiliùs, ex hactenus deductis, jura, in Imperio Germanico moderno, usitata, benè habitura, cùm sic Interpretum pessima licentia coerceretur, tot spinæ juris, tot superflui codices rescinderentur.

Cæterùm quoniam bonæ leges frustrà feruntur, nisi sit, qui eas jugiter observet, quivè obedientes præmiis, transgressores debitis pœnis afficiat, ob eam causam, quantumcunq; in meliorem Statum trans-

transformatis Germaniæ juribus, consequenter valdè opus erit, custodiam Legum sartam tectam haberi & ut hoc fœliciùs obtineri possit, cumprimis secundum Principale requisitum justitiæ, sc. de bonis judicibus, Advocatis & Procuratoribus causarum recipiendis vigilantissimè observari.

Et quidem in hanc rem deservire deberent, quod ad Suprema Imperialia judicia attinet, legibus Imperii statutæ visitationes, sed omnibus notum est, has ipsas hodienum frigere, imò usu planè destitui, licet non ita retrò multos annos Instrumentum Pacis, concesso Episcopis Protestantibus, jure voti Comitialis obstacula visitationum Cameralium, quò etiam Recess. Imp. de Anno 1654. §. Wie nun die überhäuffte / alludit, penitùs amoviſſe, & alioquin etiam Aulæ Cæsareæ visitationibus per Electorem Moguntinum suscipiendæ, providisse videatur. Sanè tota hæc res, si quidem bonæ leges hinc inde per Imperium non verbis tantùm, sed reipsâ coli debeant, non in eo modò consistit, quemadmodum omnia ex præ-

ſcripto legum, in ſupremis Tribunalibus fiant, ſed etiam, quemadmodum hoc idem contingat judiciis inferioribus.

Cæterùm non poteſt utriq́ue generi judiciorum, propter ſpecialem diverſitatem ſimiliter conſuli, ſicut apparet ex his, quæ mox dicentur, nam quantum ad obſervantiam legum in Supremis Tribunalibus cumprimis expediet, ſi viſitationes illæ Camerales & Aulicæ ſtrictiùs cuſtodirentur, unde ſufficit excogitari ejusmodi aliquem modum, quo quàm veroſimilimum foret, easdem denuò introduci, Statusq́ue Imperii, aut eos, quibus res iſthæc eſt commiſſa, huic ſuo muneri, imposterùm haud defuturos; ac ratio quidem iſta, ut edicto Publico, ſolùm hoc idem demandetur, hactenus haud viſa eſt, remacu tetigiſſe.

Itaq́ue quoniam ex alio capite, de facto huic negotio providere, absq́ue plaeitis Publicis, haud licet, tali remedio, forſan huic rei conſultum foret, nempe ſi Pragmaticâ Imperii ſanctione caveretur, ut viſitationes ab ordinibus Imperii, intra certum terminum, & quidem Ordine eodem

dem, quem Cam. Ordin. expreſſit, vel ſecundum ſchema jam confectum, quod ad extraordinarias viſitationes attinet, quantocyùs inchoentur, ac ſtatis temporibus continuentur, nevé quis ex illis, ad hoc tàm neceſſarium & utile negotium Commiſſarium deputare omittat; quod ſi neglexerit, uti certam pœnam, eamque gravem ac lege determinandam, ipſo facto incurrat, & uti Cameræ Fiſcali hoc nomine decerni debeat contra negligentes Citatio ad *vid.* ſe declarari in *pœn.* neglectæ viſitationis, ſummariſſimo proceſſu expedienda, utique à præſentibus Deputatis, nihiloſeciùs viſitatio ſuſcipiatur, ſumptibus inter negligentes ex æquis partibus, diſtribuendis ceu quidem iſthæc ſumptuum refuſio conformis appareret R. I. de Anno 1654. §. Zum andern 129.

Quod ſi immediatè ſecundâ vice, juſto ordine contactus, emaneat, nec ſuo nomine quenquam, ad Publicum hoc munus, deputet pœnam dupli incurrat, ſi tertiâ, pœnam quadrupli, inſerendâ Citationi clauſulâ, ad *vid. ſe priv. munere viſit.*

fit. in perpetuum, quæ tamen perpetuitas ad vitam tantum privati exæquitate videtur extendenda, nec ad posteritatem vel successores porrigenda, ac si qui, de quaque serie vel ex ordine Electorum, Principum, Comitum, aut Civitatum emanserint, suosq; Commissarios, ad destinatum negotium, haud ablegaverint, cæteris, immediatâ vice subsecuturis, de eodem Ordine licebo, visitationis suæ actum anticipare, d. §. Zum andern / ratio horum omnium est, partim quod hactenus quamvis non impunè, si leges spectemus, tamen sine tanto incommodo, visitationibus sese subtrahere, licitum fuerit, partim quòd inter alia, hoc negotium justitiæ tam necessarium suspendi videatur propter sumptus.

Dum itaque hi, qui emanent, & maximam pœnam, & sumptus etiam multis modis majores reformidare debent, verosimile certè est, visitationes Camerales, haud ita iri procrastinatum, quia quem sumptus longè minores potuerunt abstrahere, quò minùs compareret, & visitationis actui, interesset, hunc certè, quadru-

catæ

plicatæ aut ulteriores etiam expensæ, præsertim cum aliâ tantâ pœna, in casu non comparitionis metuendæ, multò certiùs permovebunt, ut hoc negotium statò tempore vel ipse vel per suos suscipiat. Quin ponas licet, unũ vel alterum nihilosecius emansurũ, tamen difficile creditu est, hac tali circa visitationes obtinente provisione, omnes uno spiritu, ut ante, visitationum negotia, declinaturos, nec tot saltem comparituros, Ordinum Imperii Consiliarios, quot huic muneri obeundo sufficiant.

Sed carpet fortassis aliquis, quòd suprà interventionem Fiscalis, in puncto contributionis Turcicæ, ipse non agnoverim pro remedio satis apto, ad resistendum hostibus, nunc verò eandem statuam, medium quoddam fore, acceleradarum visitationum. Ad hoc respondeo, rationem utriusque esse longè diversissimam, nam præsentia seu impetus hostilis, plerumque exposcit paratam resistentiam; notum verò est, & experientia hactenus docuit, non satis cautum esse Patriæ, si cùm Annibal jam est ad portas,

cùm

tùm demùm miles, prævio adversus contumaces, qui nempe pecuniam illam conductitiam haud solvunt, processu fiscali, conscribi ac colligi debeat.

Econtrà quod visitationes attinet Camerales, quamvis expediat, illas quoque maturari nec de tempore in tempus protrahi, tamen interstitium aliquod & moram hæc res pati potest, irruptio verò hostium imminens, ut dixi, non ita potest, idcirco etiam ad processuum maximè præsentium ambages ac difficultates, restringi commodè nequit.

Deinde causa, cur fiscales illi processus, quibus hodiè ad declarationes pœnarum agi solet, susque deque habeantur, ea videtur esse, quòd executio justitiæ nostræ, juxta præsentem modum, fermè nulla detur; at verò huic rei satis occurreretur, si executionem modo mox tradendo, ex publicis legibus haberemus, ob eamque etiam rationem, certè probabilius est, Status Imperii, citationes illas fiscales ad *vid. se incid. &c.* haud ita nihili instar æstimaturos.

Porrò non abs re additum est tum decre-

decretam iri Citationem, *ad. vid. ſe incid in pæn. dupli &c.* ſi quis emaneat ſecundâ, eâque immediatâ vice; quoniam nempe, qui poſt primam neglectionem, proximo ſuo ordine contactus venit, poſteà verò iterùm emanſit, niſi tamen alternationem talem ſtudiosè & ex propoſito fieri manifeſtè appareret, perindè habendus videtur, ac ſi ſemel tantùm non miſiſſet Commiſſarios ſuos, cùm pœnâ dupli conſtringere regulariter ſoleat, perſeverantem non partionis contumaciam. Sic qui tribus vicibus, tam utiliſſimum, ac neceſſarium viſitationis munus haud ſuſcipit, profectò dignus videtur, ut eo careat, ac pœnam illam taliter per gradus exaggeratam, ac multiplicatam ſolvat nullo præjudicio ex hoc circa privationem illam generando poſteritati vel ſucceſſoribus, qui culpæ ejusmodi non forent pariter rei. Et hæc quidem de viſitatione Camerali.

Quod attinet viſitationes Aulicas, ſunt eæ vigore Inſtrm. Pac. §. Viſitatio Conſilii &c. curæ ſolius Moguntini Electoris commiſſæ, nec ad certum tempus, prout

prout quidem Camerales, ex legibus Imperii annuæ esse debent, determinatæ, sed ad arbitrium hujus Electoris, quoties ei opus visum fuerit, positæ. Ratio hujus sanctionis collocari fortè solet in eo, quòd Elector Moguntinus sit Archi-Cancellarius Imperii per Germaniam, jam autem visitatio Aulæ Cæsareæ, est munus aliquod Archi-Cancellariatus, meritò igitur deferri debebit Archi-Episcopo Moguntino, & hactenus quidem res ista hæc dubium nullum continet.

Cæterùm cùm totius Imperii, plurimùm interfit, suscipi non minùs Judicii Aulici, quàm Cameralis visitationes, ut ea, quæ in utroque illo Tribunali fiunt, tantò promptiùs, ad normam Jurium ac constitutionum Imperialium dirigantur, nescio sanè, an præcisâ istâ Instrumenti Pacis sanctione, condebito Justitiæ cursui satis videatur prospectum, nam primò certè non præter rem visitationes Camerales, tempus nactæ sunt ex legibus publicis ordinarium, quoniam sc. ea, quæ arbitrariè contingere debent, eò majori videntur, obnoxia incertitudini, dum rectè

rectè feciſſe, aut ſaltem excuſabiles haberi poſſumus, in utrumque caſum vel adhibitæ concredito muneri vel etiam omiſſæ curæ.

Deinde ſicut inſpectio Conſilii Aulici, ex officio Archi Cancellariatus, pertinet ac meritò pertinere debet ad Electorem Moguntinum, ita viciſſim, quò minùs illud, ſemper & ubique fiat, præpedire poſſunt Electoralem illam Eminentiam, varia ac juſta impedimenta, videlicet Publicarum functionum, vel quæcunque alia, an ergò adminiſtratio Juſtitiæ, quæ profectò totum Imperium, concernit, dehinc carebit, ac deſtituetur ſuâ non utili magis, quàm neceſſariâ inſpectione?

Propter hanc itaque cauſam, benè actum foret, ſi primò tempus ſuſcipiendæ hujus talis viſitationis, certum exprimeretur, hoc ſenſu, ut anticipare quidem, ſed non protrahere, negotium iſtud liceret; prætereà ſi quodcunque impedimentum incideret, propter quod viſitatio, in tempore Publicâ lege ſtatuto, ab Electore Moguntino, haud ſuſcipi poſſet, quid prohibet, cur non unum vel alterum, aut ex cæ-

terorum Principum, aut saltem Electorum secularium vel Ecclesiasticorum classe, sanctio aliqua Pragmatica eventualiter ad istud negotium in subsidium vocare possit? Maximè cùm per subsidialem hujusmodi sollicitudinem, nequaquam intervertantur jura præeminentiæ Archi-Cancellariatus, sed liberum semper maneat, statis terminis visitationem susscipere.

Sanè crediderim hac ratione confore, ut visitandi opera, sive quæ modò circa remedia restabiliendarum Cameralium visitationum differui, huc quoq; applicare seu ex reverentiâ Moguntinæ sedis, saltem eventualem istam surrogationem statuere libeat, processura sit longè expeditiùs ac minori incommodo, quippe cùm verosimilius appareat, quatenus unumquodq; , ordine pluribus in eventum committitur hac ratione, dum nemo facilè per alterum sibi quicquam detrahi patitur, certius etiam iri susceptum atque expeditum.

Porrò paulò superiùs jam incepi dicere, de visitationũ objecto, illas nimirum

rum in eo occupari, ut quæ minus juſtè, ſeu juribus & Conſtitutionibus Imperii difformiter, in Supremis judiciis peracta, vel decreta conſtiterint, revocentur ac corrigantur, actum Aſſeſſores, qui Judicum vice defungi debent, tum aliæ Judiciorum perſonæ, ut Advocati, Procuratores &c. de officio ſuo moneantur in ordinem redigantur, ſive etiam pro rei qualitate & circumſtantiis, ab officio ſuſpendantur, gradu dejiciantur, pecuniâ mulctentur aut planè caſſentur ac removeantur, quam quidem ſeveritatem, ſi diſtrictè obſervare libeat, credi poteſt, juſtitiam æquo utique tramite proceſſuram, nec tot artibus, benè poſitas leges, ſubinde declinatum iri, atque eluſum, ſed de hâc viſitationum materiâ, pro inſtituto ſatis.

Erat alterum ſuperioris diſtinctionis membrum, quemadmodum, nempe, in Dicaſteriis inferioribus Principum & Statuum Imperii, medium adhiberi queat, quo æquilibrium Juris & Juſtitiæ in viridi uſu & exercitio conſervetur. Fateor hanc rem videri admodum difficilem,

cilem, nam cùm quàm plurima habeantur, in Imperio Electorum, Principum, Comitum ac Urbium judicia, ex multiplici capite, visitationes Imperiales sibi quoad hæc inferiora Tribunalia, locum vindicare nequeunt.

Ergò sicut hactenus obtinuit, ut quisque Imperii Status, territorio suo, justis ac congruis judiciis prospiciat, hisq; judices bonos ac eruditos viros præficiat, visitationes suscipiat, nec non Ordinationes, Juribus Imperii & Cameræ Processibus conformes Inducat. Recess. Dep. de Anno 1600. §. Dieweil aber hiebey / ita non ferre aliter, ista Reipublicæ conditio videtur. Quòd si fortè contingat, in unâ vel alterâ secùs, quàm ex legibus ac regulis Justitiæ judicari, parti læsæ pro re natâ prostant remedia varia appellationum, nullitatum, restitutionum in integrum &c. quibus sibi vicissim consulere ac jus suum consequi possit.

Equidem, diversa Statuum Privilegia, de non appellando simpliciter vel respectu certæ summæ, aut causarum, non evocando, electionis, & similia, ab Impe-

Imperiali culmine, in ſignum quaſi prærogativæ conceſſa, huic rei, perſæpè ſolent eſſe impedimento, ne gravatis jus ſuum, coram alio Judice, perſequi liceat; ſed cùm accipi oporteat res, prout exiſtunt, & hodiè conſpiciamus, Rempublicam his ejusmodi Privilegiis, quæ certè Status ſibi eripi meritò haud patiuntur, valdè plenam & refertam, videtur primò convenire, uti Publico nomine, exprimatur modus, quo judicia illa ſupplicationum, leuterationum, ober-leuterationum &c. ad eundem judicem, [ſc. Principem vel alium Imperii Statum] denuò compellandum, ſubſidiariè inducta, procedere debeant, ne ſimpliciter ita prior judex, pro adminiſtratione Juſtitiæ, iterùm veniat implorandus.

Ac ſolent quidem in hujusmodi caſibus reſponſum Prudentum, ex Academiâ aliquâ vel Collegio exquirere, verùm quia ea res plerumque eſt arbitraria, ac etiam hoc tale reſponſum ſæpius non in vim ſententiæ, ſed nudè informationis fertur, cui conſequenter Princeps in inſtantiâ reviſionis vel oberleuterationis, ſtrictè

haud tenetur inhærere, cùm primis si Privilegiis suis hinc præjudicium gigni reputare possit. Facit R. Dep. de Anno 1600. §. Es soll aber *circa fin.* & R. I. de Anno 1654. §. Doch mit diesen Zusatz *in fin.*

Propter eam causam, forsan haud abs re esse videbitur, cardinem negocii, ad conservandam in Statuum Imperii Judiciis, justitiam sive fas & æquum, in eo præsertim ponere ut in Instantiis illis revisionum seu leuterationum, quibus propter privilegia obstantia de præsenti, non ad aliquod Imperiale Tribunal, sed ad eundem judicem eundum est, adhiberi debeant, alii etiam exteri jurisperiti, à Principe illo vel Statu ad instantiam partis denominandi, qui unâ cùm Consiliariis, prioris instantiæ acta, diligenter de novo percurrant, rationes decidendi benè ponderent, ac deinde illis semotis, ex potestate & Commissione Principis vel Status, sententiam ferant.

Ratio hujus rei est in aprico, nam revisiones istæ particulares, prout hodiè sese habent, non satis solatii afferunt læsis, cùm sciant eosdem illos Consiliarios

rios, qui pro anteriori ſententiâ ſuffragium tulerunt, ac dominum ſuum, ad eam factâ relatione forſan inflexerunt, ſive ſaltem eorum Collegas, ac probabiliter neceſſarios vel affines, à prioribus placitis difficilimè abituros, eoque iteratis vicibus, idem decretum ac ſententiam latum iri, ut vocant inhæſivam. Dixi verò à Principe vel Statu denominandos Jurisperitos illos, judicum vice ex commiſſione defuncturos, quoniam ſi alterutra partium litigantium eosdem ſeligere deberet, procul dubio nominaret tales, qui ipſi affectu forſan, ultra quàm par haberetur, devincti forent.

Verùm objicies primò, ita futurum, ut ipſe Princeps vel alius iſte Imperii Status, quoniam veroſimiliter faveat ac patrocinetur anteriori ſententiæ, hujusmodi Jurisperitos accerſat, qui in partem remedium tale reviſionis vel leuterationis intentantem, minùs æqui ſint, & fortaſſis plus juſto, in partem adverſam inclinent. Ad hoc reſpondeo, propterea concedendum eſſe, parti imeptranti, remedium proteſtationis vel remotionis ſuſpecti,

quo nimirum, intra certum terminum à factâ nominatione, hunc ejusmodi unum vel plures futuros judices, ex justis causis rejiciat, & pro aliorum neutri partium, addictorum denominatione noviter supplicet, quo casu videmus totâ die, in casu rotulationis ut vocant, ac transmissionis actorum, adversus Academias, vel Collegia juridica saltem quadantenus suspecta, interponi à partibus protestationes. Objices secundò, cùm Jureconsulti isti, sententiam in revisorio, ex delegatione ferre debeant, annon Princeps vel Status, Dominus ille territorii interesse possit huic negotio ac petere, ut sibi ante conceptam vel latam sententiam referatur.

Respondeo, proprium esse Statuum Imperii, ut habeant jurisdictionem in suis territoriis, pro modo & privilegiis cuique concessis, inpræsentiarum igitur, non posse hoc jus interverti, sed videri distinguendum & temperamentum afferendum hoc modo: aut Princeps vel Status committens, circa ferendam sententiam, consentit cum illis de-

lis delegatis Jureconsultis aut non; priore casu res benè sese habet, & promulgabitur sententia anterioris vel confirmatoria vel reformatoria; hoc verò posteriore casu, videtur vel omninò res in suspenso relinquenda, vel latâ etiam sententiâ, deferendum remedium Supplicationis in Aulâ Cæsareâ vel Camerâ proponendum.

Ratio est, quia magna sanè præsumptio militat, hoc casu, Principem illum, vel Statum privilegiatum non rectè anteà, & contra æquitatem judicâsse, cùm Jurisperiti, neutri partium devincti, ex suis rationibus re benè ponderatâ, sententiæ priori noluerint inhærere. Quoniam itaque de jure etiam Civili, supplicatio dabatur, ab eâ sententiâ, à quâ non licebat appellare, veluti à sententiâ, Præfecti Prætorio, secundùm *l.* 19. *C. de appell. l. un. C. de sent. Præfect. Præt. Auth. quæ supplicatio. C. de precib. Imp offer.* nihil video absurditatis consequi, si dicamus, hoc tali casu, ubi in revisorio præsumptio est contra priorem sententiam, concedi supplicationem ad Aulam Imperialem vel Cameram.

Quinimò ob rationem paulò antè adductam, ne videlicet in revisione vel leuteratione ipso effectu ac simpliciter ad eundem judicem redeundo, læsis non sit consultum, statui posset in regulâ, ut antiquitùs, supplicatio, cumulativè quasi, seu Jurisdictione concurrenti, vel ad Cæsarem, vel ad Præfectum Prætorio concessa fuerat, *per allegat. text.* sic absque distinctione, haud inconcinnè dicere liceret, in casu ob privilegium denegatæ appellationis, supplicationem ad Supremum aliquod Tribunal Aulæ vel Cameræ, non excludi, sed cumulativè ad Cæsarem, h. e. Aulam vel Cameram, aut ad eundem etiam judicem admitti.

Verùm cùm Principes cæteriquè Status Imperii hodiè sint tenaces jurisdictionalium, & privilegiorum suorum, saltem in eâ facti specie, ubi intentatâ revisione vel remedio æquipollenti, dissenserint invicem Princeps aut alius Status Privilegiatus, & delegati Jurecosulti, haud absre fuerit, remedium illud supplicationis admittere, præprimis cùm privilegia strictam sortiantur naturam & alioquin ex re-

ex receptiore maximâ, privilegium adversus appellationem concessum non extendatur, similiter adversus nullitatem, ex altero verò capite, de jure Civili satis appareat, supplicationis & appellationis remedia, quorum v. g. hoc, beneficium noviter deducendorum obtinet, illud non obtinet, esse longè diversissima.

Sanè cùm supplicatio, revisio, vel quod simile remedium, quale in Saxonicis Provinciis est oberleuteratio, locum sibi vindicat, minimè insulsè asseritur, deferendum etiam esse, cæteris paribus, petitioni supplicationis in Supremis Tribunalibus; quouscunque verò non omne auxilium deficere videatur in inferioribus judiciis, etiam delatio ad superius forum haud immeritò conticescat.

Ratio est, quoniam ex unâ parte, in id incumbere oportet, ne lites in Supremis judiciis, nimiùm crescant, ex alterâ verò ne apud judicia Statuum, læsi careant ac planè destituantur, Imperiali præsidio, maximè cùm privilegium adversus appellationem propter diversitatem remediorum

diorum, eo ipso se non etiam porrigat, contra supplicationem, ut videmus serem habuisse in sententiis veterum Præfect. Præt. à quibus appellare non licuit, benè tamen contra illas supplicare prout dictum fuit hac de re paulò superiùs: aut si omninò expressus tenor alicujus privilegii illam quoque complecteretur, tamen in illo speciali & rariore utique casu, quo Princeps vel alius ille Status & accersiti Jureconsulti circa sententiam revisionis vel similis processus discrepant, explicatio condonanda videtur. Publicæ utilitati, & inculpato justitiæ amori.

Porrò ad promovendam justitiam ista etiam cautela subest, ne quivis passim, ad munus Consiliariorum cujuscunque Status in Imperio assumantur, cùm enim, curæ nobis sit, ne hi, qui documenta transsumunt, processus à supremis locis emanatos insinuant, aut qualiacunque instrumenta conficiunt similesvé actus susçipiunt, ne inquam hi, præter meritum ad munus Notarii subrepant, quantò majori vigilantiæ esse debet, ut qui in Impé-

rio,

rio, Judicum vel etiam Advocatorum, aut Causidicorum vicibus defungi cupiunt, sufficienti prudentiâ, eruditione, ac morum probitate reperiantur imbuti. Quæ res, quantæ considerationis haberi debeat, præter cætera loca, abundè cognoscere possumus ex R. Imp. de Anno 1442. *Tit.* Von dem heimlichen Gericht/ *& maximè d. §.* Dieweil aber hiebey d. R. Dep. de Anno 1600. Ubi dicitur, id summæ necessitatis esse, Es erfordere solches die höchste Nothdurfft.

Non est abs re, quod huc colliment, solennia ista graduum Doctoratus, vel Licentiæ, hodiè passim usitata, quæ de studiis testimonium præbere debent, verum tamen adhuc duplices obstant defectus, primò, quòd non omnes, prædictis muneribus, Consiliariorum Assessorum seu Advocatorum &c. defuncti, vel defuncturi, pro substantiali prærequisito, obtinuisse debent hujusmodi aliquem gradum. Deinde si vel maximè hoc ita observaretur, nec contingeret cuiquam, tale officium, nisi ut vocant, graduato, tamen videmus, in quem hodiè abusum isti honores

nores devenerint, quibusvé & quot indignis, multoties soleant conferri.

In veteri Romanorum Republicâ, ad lubitum cuivis licitum fuerat de jure respondere, quem modò confidentia studiorum suorum tenebat. Sed Augustus Cæsar cùm animadverteret, passim alios, qui sæpe minùs digni apparebant, titulum & nomen JCti sibi arrogare, velletque majorem juris haberi auctoritatem, constituit, uti ex ejus auctoritate jus diceretur, ob eam verò causam posteà contigit, ut hoc munus peteretur pro beneficio, cujusmodi petitores videntur nostris temporibus esse Doctores illi Bullati, qui nudâ Imperatoris gratiâ & diplomate titulum illum sibi comparaverunt.

Quanquam autem vices Juris-Consulti agere vel judicis aut Advocati partes in Repuplicâ suscipere, diversa admodùm sint, cùm cernamus v. g. Professores Academiarum, agere quidem Jureconsultos, per collegia, consilia & responsa juridica &c. non verò aut rariùs certè & per accidens Advocatos seu Causarum Patronos, tamen unum ex altero consequitur,

quitur, aut ſemina quaſi alterius continet, nec enim poſſunt periti Advocati evadere, niſi etiam ſint boni Jureconſulti, alioquin patrocinium illorum garrulitatis potiùs, quàm ſolidæ defenſionis rationem ſapiet.

Sic itaque ſeſe res iſthæc habuit apud priſcos, ac diverſo tempore erratum fuit diverſimodè; per hoc enim, quod cuilibet, quem ſtudiorum confidentia cepiſſet, liberum fuerat de jure reſpondere, ac etiam patrocinia cauſarum ſuſcipere, janua ſubinde adaperta erat, non modò multitudini litium, ſed cum primis etiam partium damnis, quæ ſæpè confidentiores, quàm peritiores ſortiebantur cauſidicos.

Ex adverſo, cùm munus hoc, Imperiale fieret beneficium, multoties contingere potuit, ut doctiores ab eodem excluderentur, rudiores fortè per favorem vel Aulicorum commendationem admitterentur. Quo intuitu graviter reſcripſit Hadrianus Imperator, prærogativam de jure reſpondendi non peti, ſed præſtari, ac ſi quis fiduciam ſtudiorum habeat,

dele-

delectari se, ut populo ad respondendum sit instructus, quasi diceret ab effectu commendari debet JCtus. Sicut igitur non est connivendum, ut promiscuè quivis, ad officia Assessoris vel Advocati admittatur, sic vicissim cavendum, ne delato hoc munere in modum beneficii, præviris condignis, rudiores hâc in re favorem capiant.

Quapropter in Imperio moderno, duo præcipuè hâc ex parte observanda videntur, primò, ut quicunque defungi vult judicis vel Advocati Officio, à Collegio aliquo Jureconsultorum celeberrimorum, qui præprimis non modò theoriæ juris veteris, sed constitutionum etiam Imperii, & praxeos existant peritissimi, sit anteà examinatus & tum eruditionis, tùm morum ratione probatus. Deinde, ut hoc tale examen fiat gratis, ac istis examinatoribus, aliquid propterea accipere, sub pœnâ gravissimâ disertè prohibeatur.

Ratio est, quia hactenus, quantum ad personas judicantium vel perorantium causas attinet in Rempublicam invehi

vehi potuerunt, vel fortassis etiam, si dicere licet, invecta inde sunt, mala justitiæ semina, quòd examinatores ut vocant Candidatorum partim ipsi, si vel maximè Romani seu Justinianei juris, non tamen Imperii moderni sanctionum & praxeos, adeò periti fuerint, partim etiam, quòd intuitu sportularum seu munerum, hodiè nemo ferè, nisi planè ad rudimenta usque sobrius, honores ambiendo repulsam ferre sit solitus. Itaque si per inversum, unumquemque judicem vel Advocatum futurum, pro discretione functionis, tàm consummatissimi, ac privati juxtà & publici juris gnarissimi viri, prævio examine probâssent, nec remuneratione illecti, aut mercede corrupti, suffragium detulissent, profectò Statuum judicia & quoad Præsides ac Assessores, & quoad causarum Patronos, melius habitura, vero est simillimum.

At repones primò, cùm ea Collegia ac Superiora Tribunalia, quæ hodiè in Imperio conspiciuntur, haud sine difficultate sustentari queant, unde igitur sumptus ad Collegium tam disertissimo-

rum virorum conservandum desumentur? Secundò si omninò iidem præstari, ac supportari possent, eveniret inde, ut Ordinibus Imperii, non liceret judicia sua, ex arbitrio constituere, dum nempe præcisè astringerentur ad illos, quos tale collegium, sive talis perfectissimorum JCtorum cœtus, testimonio suo comprobâsset.

Respondeo ad primum partim satisfieri posse huic quæstioni, capite proximo de ærario publico, partim etiam, non requiri, ut publicis Imperii sumptibus, hujusmodi collegium aliquod constituatur, sed satis fore, ut Academiâ una vel plures, singularibus privilegiis propterea accumulatæ, viros tàm consummatos, fortiantur Professores, aut etiam uti hoc munus tribuatur nonnullis Assessoribus, vel Consiliariis Aulicis, gravissimis, ac in theoriâ & praxi profundissimis, quales v. g. Gailius, Klockius, & alii suo tempore fuerunt, hi enim certe non de secundo capite L. Aquiliæ, v. g. quid nempe olim, eodem cautum fuerit, sed de pignoratitiâ potiùs constitutione & his omninò, quæ hodie-

hodienum multoties in Imperio occurrunt, haud dubiè examen instituerent, sed de his satis.

Deinde quod attinet secundam oppositionem, illa planè est neganda. Ut enim ridiculus esses, si Justiniano absolutam potestatem in Republicâ sui temporis propterea abnegares, quòd non admiserit, ad vices Jureconsultorũ nisi doctos, & qui studium juris, per statuta tempora decurrerint, sic si delectus iste fieret in Germaniâ nostrâ, & diligentior inspectio prohiberet, quò minus indigni ad JCti munus reciperentur, certè Juribus Statuum, vel in minimo nihil hinc decedere posset, justitiæ autem valdè probabiliter, meliorem sumeret faciem.

Venio nunc ad tertium caput, quemadmodum nempe, si & juris nostri perplexitas atque prolixitas, sublata & in novum pro materiarum amplitudine concisius corpus jura congesta forent, observantiæ item novi juris, tum per visitationes impensius studium daretur, tum per coercitionem judicum & Advocatorum, nec non meliorem circa eos recipiendos

endos disposition em, quemadmodum, inquam, his prævijs, si quid benè & ex præscripto bonarum legum decretum sit, executioni commodè, nec uti hactenus per tot ambages ac difficultates mandari possit? Et cùm in eo totus cardo justitiæ versetur, ut quod extremum est jurisdictionis, debitum nanciscatur effectum, certè haud abs re erit, hoc loco de eo passu accuratiùs disquirere.

Nemini verò ignotum & suprà etiam breviter deductum est, quantos circuitus ac molestias, victrici parti modernus Imp. executionis modus gignere soleat, dum nempe post victoriam causæ, adversus Executores novus processus sc. mandatum de exequendo institui debet. Cæterum initio statim distingui oportet, inter executionem inferiorum seu cujusque Status Judiciorum, & inter executionem Tribunalium Imperij; Status enim ipsi & illorum officiales, sententias ab se latas probè sciunt exequi, quinimò tametsi inhibitio, ab Aulâ vel Camerâ in contrarium emanaverit, tamen non rarò sententiæ illæ sive Decreta, perveniunt ad

execu-

executionem, ob quam etiam causam, tot solent prognasci mandata super revocandis atteintatis.

Verùm totus nervus in eo consistit, quâ ratione executiones sententiarum, in Supremis Tribunalibus ac inprimis in Camerâ publicatarum, congruè & cum effectu fieri possint. Certo certius est antehac, adhuc pejus videri circa punctum executionis actum fuisse, dum executoriales contra partem adversam, demum separatim peti debuerunt, hodiè verò ipsi sententiæ ex officio conjunguntur, sed reverà tamen, quod ad Executores ipsos attinet, ne hodiè quidem satis est huic rei prospectum. Quanquam enim in R. I. de Anno 1654. benè cautum reperiatur, ut si quis de facto Executoribus resistat, eo ipso incurrat pœnam banni, tamen huic scopo, ut Principes Circulorum Directores, absque morâ executionem suscipiant, nondum datum est sufficiens remedium.

Ideoque ista dispositio R. Imp. Noviss. potius mihi pertinere videtur ad cohibenda attentata casu jam susceptæ exe-

cutionis ; at verò ut illa per Duces Circulares ſuſcipiatur, inde non eſt ſatis proſpectum. Habemus quidem mandatum de Exeq. ſed eſt novus proceſſus ac ſi Principes illi in termino præfixo, executionem non doceant, implicatur pars victrix novæ litis figuræ , adeoque tenor ille R. N. de declaratione pœnæ banni contra reſiſtentes executioni propterea deficit, quia executio, teſte experientiâ, nulla aut perrarò tamen reipsâ ſuſcipitur.

Nec melius crediderim actum iri, ſi vel multas ſuper hac re haberemus ſanctiones, executione interim uti hactenus ad Principes Circulares directâ, cujus rei ratio ſumenda eſt à nativâ causâ , quia ſemper friget executio , ubi Judicium ipſum caret facultate exequendi, adeoque ne ſententiæ fiant eluſoriæ, ipſum illud Superius Tribunal, quod ſententiam tulit, debet etiam immediatè habere facultatem exequendi. Sic veteres Romanorum Magiſtratus, ſententias à ſe dictas, exequi omninò potuerunt, vel manu militari, vel per ſuos etiam apparitores.

Ob

Ob eamque causam haud mirari subit, cur Romani quondam Magistratus, cùm nemini pœnam tot auri marcarum vel banni comminitati fuerint, tamen eam habuerint autoritatem, ut jussa eorum ac decreta jugiter observarentur, nam totum hoc inde provenit, quia sententiæ illorum non manserunt absque executione, sed eademmet potestate cum jurisdictione in consequentiam unà concessâ, ad effectum perductæ sunt, secùs ac in Imperio respectu Summorum Tribunalium sese res habet.

Hinc itaque omninò consultum est, judiciis quoque Imperii Supremis suam dari facultatem per se immediatè exequendi, ut tandem aliquis ibidem sit litium finis. Nec difficilis res isthæc fuerit, si quod suprà circa militem publicum perpetuum dixi, huc consequenter applicare lubeat, cùm enim in singulis ferè Imperii partibus ac Circulis, certus quidam præsidiariorum militum numerus sic haberetur, his ipsis, cessante in posterum executione Circulari ac mandatis desuper emanatis, posset à Camerâ vel Aulâ sententia,

lata immediatè ad exequendum demandari vel ſubſidiariè ſaltem, ubi ſc. Executores Circulares executionem negligerent, injungi.

Jam ſi fortè timeatur, in Imperio potentiores difficulter executionem admiſſuros, cùm illam teneant potentiam, ut ipſos executores à Camerâ vel Aulâ miſſos, poſſint repellere, ob eam cauſam, præter ea quæ ſupra de privato milite & fortalitiis ſunt dicta, poſſet cautela illa ex Receſſu Imperii de An. 1654. allata ac Circularibus executionibus adinventa, ſatis' comodè ac jure huc accomodari, adeoq; interdicendum eſſet, ſub interminatione pœnæ banni vel æquivalentis alicujus, ne quis, Executoribus de facto reſiſtat, eosvé hoc munere defuncturo impediat.

Ratio quia probabile eſt, potentiſſimos etiam Imperii Status cumprimis' in illâ, quam hactenus deſcripſi, regiminis facie, malle decretis Imperialibus vivere ac ſatisfacere, quàm ut reſiſtendo executioni, tantis extremitatibus atq; periculis, ſeſe deberent exponere & ad hoc quidem inducerentur partim, magnanimitate contemnente minoris momen-

momenti lites forenſes, partim etiam ex conſideratione effectuum conſequentiũ.

Quin ne hodiè quidem, ubi munus executorium ad Circulos pertinet, non tàm clauſula iſta comminatoria pœnæ banni adverſus reſiſtentes determinatæ, quàm hoc, vileſcere ac inſuper haberi ſolet, quòd Principes Circulares demandatam executionem reipsâ haud ſuſcipiant, nulla enim aut rarò fit executio, ergò etiam eidem non reſiſtitur de facto. At ſi Aula Cæſarea vel Camera, ipſæ mitterent immediatè executores, tunc omninò locus foret prædictæ diſpoſitioni, nimirum ne quis ſub pœnâ banni Imperialis, executuris reſiſteret.

Credi equidem fortaſſis poſſet, etiam Circularibus executionibus, quæ de præſenti obtinent accelerandis, aliud adhibere licere remedium, nempe ut mandata de exequendo, quæ pró ſtylo conſueto emanare ſolent ad pœnam ſimplicem, decem marcarum auri, ſtatim ab initio decernantur, ſub comminatione graviſſimæ pœnæ pecuniariæ velut pro banno Imperiali, mulcta 2000. marcarum auri eſt inducta. In der Declaration des Landfrie-

friedens/de Anno 1521. sic enim existimabis fore, ut Principes Circulares, exequendi munus injunctum, quantocyùs suscipiant, & consequenter quamvis Suprema Tribunalia, ut hactenus, imposterum, quoque propriâ facultate exequendi carerent, huic rei nihilosciùs sit consultũ.

Respondeo, detur quòd melius fortean illud foret remedium, quàm qui de præsenti obtinet executionum modus, profectò tamen, haud crediderim suffecturum; nam ubi quàm atrociſſimæ sunt judicum minæ, nec maturior tamen vel penetrantior sentitur effectus, ibi faciliùs iisdem contraveniri solet, nec certè autoritas judicii, ubivis invenit condecentem respectum. Jam verò si vel maximè Summa Imperii Dicasteria, ubi ventum esset, ad punctum mandati de exeq. ilicò fulmine pœnarum atrociorum detonarent, adversum Principes Circulares, tamen illis supersedentibus, non satisfieret judicato, quia sc. judicium pœnam hujusmodi dictitans, ipsum non haberet nervum coërcendi.

Imò Status Imperii nolunt, aliquem ex ipsorum Ordine posse à Camerâ vel Aulâ

Aulâ Cæsareâ in bannum declarari, sed istam declarationem universalibus modò Comitiis attribuunt. Ergò stante sine distinctione istac sententiâ, Camera Imperialis vel Aula Cæsarea, contra Principem vel quemcunque Statuum Imperii, non poterunt ulterius progredi, nisi ad declarationem pœnæ pecuniariæ. Quomodo ergò erit consultum processibus accelerandis, si vel ob non susceptam executionem vel ob formalem resistentiam executionis susceptæ, extremum fulmen declarationis banni ad Comitia est remittendum. Neq; verò illud ideò in medium profero, quasi injustum sit, ut tàm arduum negotium declarationis banni, solum in Comitiis & ex concessu Imperatoris & Ordinum resolvatur, sed ostendo tantum difficultates & incommoda præsentis executionis, quam declinatâ istâ quæstione declarationis banni, emendare liceret, si modò Suprema judicia haberent facultatem exequendi per se, & non post sententiam demum, ut nunc fit, novo processu impetrandam.

Necesse est igitur, si quidem aliquis debeat esse litium finis, ut Aula Cæsarea, & Ca-

& Camera, non illum quasi precarium executionis modum, ad Principes Directores, aliosvé Commissarios usurpent, sed ut per se immediatè possint militarem manum mittere, quâ sententiæ ab ipsis latæ demandentur tandem executioni, aut mirum nobis videri non debet, cur ita longi sint processus in puncto paritionis, vel ipsius planè executionis.

Forsan vero objicietur, hanc cautelam propterea difficiliùs processuram, quòd multi existant Duces Imperii, ac Illustrissimæ domus, debitorum onere ad modum prægravatæ, quas majori ex parte oporteret exhaurire, vel ut Aulici Nobiles vulgò dicerent, ad ruinã urgere, si executiones stricto hoc ordine progrederentur. Cui accedit, quod nonnulli Principes sua habeant moratoria, ut Domus Electoralis Palatina; seu etiam peculiares transactiones, ut Dux Holsatiæ & Anhaltensis, cujus rei meminit Recessus Imperii de Anno 1654. §. Setzen demnach/ꝛc.

Respondeo, hæc objectio non debet toti justitiæ cardini præjudicare, nam quod

quod ad moratoria illa vel transactiones attinet, debebunt utique pro suâ speciali ac publicè comprobatâ ratione in judicando attendi, ut interim nihilominùs, processus & executiones congruo suo Marte decurrant ac expediantur. Major videtur esse difficultas circa punctum creditorum in universum, **um das gesampte Creditwesen im Reich** / præsertim quatenus Illustriores familias concernit, cùm enim nonnullis, ut modò innui, ex speciali ratione prospectum sit, cæteræ tali indulto destitutæ, illud molestè ferrent, ob eamque causam diceres, justitiæ administrationem in Imperio progenituram esse turbas.

Est enim reverà ita, ut non Principes modò, sed quivis ferè homines aliis splendore pares vel non multum inferiores, paria quoque cæteris cupiant privilegia, sin obtinere nequeunt, eadem sui similibus invident. Ob eam igitur causam, vel indulta uni concessa, porrigi etiam deberent aliis, vel quo alio remedio huic rei in universum occurrendum est, quorum illud cum salvâ justitiâ asseri neque-

nequeat, id restat, ut ad posterius nos conferamus.

Putarem verò illud idem explicari posse hac tali ratione; si inspicimus, ex unâ parte, quantum quisque creditor, per processus Camerales vel Aulicos, maximè si res sit cum aliquo potentiore, ipso effectu, & post multum quidem temporis, hodiè plerumque consequatur, quosque ad hoc prætereà sumptus anteà impendere cogatur, ex altero verò capite animadvertimus, non esse melius sperandum de executione justitiæ, quousque Suprema Tribunalia, non ipsâ facultate exequendi instructa fuerint, consideramus etiam ex deductis, obtineri hoc idem commodè non posse, nisi æquasit, absque distinctione, præsertim apud familias Illustriores justitiæ distributio, cumprimis autem si attendimus, casu quo executiones rigidissimè semper fierent, fore, ut plures Illustrissimæ domus, magnâ ex parte mutilarentur.

Si inquam has omnes circumstantias, probè ponderamus, arbitrari quis potest, haud abs re esse, ut quemadmodum per

Recess.

Receſs. Imp. de An. 1654. ex indigitatione Inſtrum. Pacis, *§. de indagandâ*, pro temporum occaſione ac neceſſitatibus, modus eſt adinventus uſuris moderandis, ſic in puncto debitorum, univerſali aliquâ Imperii ſanctione congruum adhibeatur remedium. Satius eſt enim, ſi fieri aliter non poſſit, aut difficulter poſſit, ut vel moderatio aliqua tolerabilis pro temporum anguſtiis placeat, quàm ut amplam ſpem circa proceſſum quis teneat, aut non in vitâ actoris aut ſerò parituram effectum.

Secundum hæc igitur beneficium particularis ſolutionis, in d. R. ad 10. Annos conceſſum, poſſet reſpectu debitorum præteritorum porro ad tantum tempus extendi & prorogari, hâc annexâ cautelâ; quicunque ſolverit totam ſortem unâ vice, ut huic dimidia pars uſurarum à dicto Receſſu remiſſa ſit, & quidem cum ulteriori indulto, ne altera illarum penſionum medietas, intra decennium peti poſſit. Ratio eſt, quia creditor ita accipit principaliter quod ſuum eſt, nempe totam ſortem, viciſſim debitor in eo ſentit leva-

levamentum, dum usuras ita partim lucratur, partim absque suo ulteriori damno frueretur indulto legis circa novum moratorium.

Dixi verò à tempore d. Recessus, quoniam usuras ante Annum 1654. nec Camera quidem [nam Aula uno vel altero præjudicio teste interdum secùs sentit] adjudicat, quanquam enim dodrantem veterum usurarum Recessus iste, regulariter cassaverit, tamen omnes promiscuè ita depauperati esse volunt, ut & reliqui quadrantis beneficio perfruantur ideoq; praxis, ne quidem illum, propter difficultates solvendi admisit, cui igitur bono esset, usuras istas antiquiores, hic citra fructum recoquere?

Sed redeo ad id, unde modò sum exorsus; creditor & debitor, haberent ex hac tali dispositione sua levamina, jam dico, utriq; etiam ferrent inde sua onera, debitor, quòd hi stam duris temporibus exsolveret totam sortem unâ vice, ac etiam partem usurarum dimidiam, juxta illud; quod differtur non aufertur, elapso tempore constituto nihilosciùs solvere coge-

cogeretur, creditor verò, quòd amitteret medietatem usurarum, medietatem verò alteram post longum demùm tempus consequeretur, sed utrique tamen has incommoditates condonare deberent temporum conditionibus.

Altero casu, cùm nimirum debitor non sortem integram unâ vice, persolvere cupit, sed partem dimidiam vel tertiam, creditor vicissim hoc emolumentum sentire debet, ut non tantum ei decedat ex usuris, sed pro portione minus. Qui enim medietatem tantum solvit sortis, etiam illius medietatis usurarum tantum partem dimidiam lucrari deberet, & tempore etiam tanto minori frui ad exolvendas usuras, quò fit, ut dodrantem usurarum à tempore Recessus de Anno 1654. cessarum solvere teneretur intra quinquennium à factâ petitione.

Sin verò quis tertiam partem petitę sortis, tantùm solveret, illũ etiam consequenter tertiam tantùm partem ex medietate illâ lucrativâ, & tempore ad solvendas usuras indulto, pro emolumento habere conveniret, unde hic talis,

astringeretur ad exolutionem integralem omnium usurarum illarum, quæ à dicto Recessu fluxissent, excepto solùm sextante, adeoque decuncem deberet ex illis refundere, & hoc circiter intra sesquiannum & quod excurrit à factâ petitione. Ulterius autem non videtur concedendum esse beneficium particularis solutionis, ne creditor ex illâ re nimium prægravetur, sibi enim imputent, qui posteà debita conflaverint, si ad integram solutionem compellantur.

Porrò in diversâ illa specie, ubi creditor sortem sibi conservare studet, nec illam, sed tantum usuras exigit, aut etiam ubi sors ipsa est irreluitiva, forte Reip. & nostræ ætatis conditioni convenit usuras minores, quàm quincunces illas juxta Recess. Imp. de Anno 1600. dependi, cùm nostra tempora sint respectu prisci ævi ære admodùm exhausta.

Ac fieri quidem hoc ipsum posse, secundùm utilitatem & exigentiam Reipubl. non est dubium, quandoquidem ista quantitas annuarum pensionum, dimanat ex jure positivo ac præsertim ex d.

Rec

Rec. de Anno 1600. E. potest utique pro Imperii conditione iterum remitti vel nonnihil restringi. Minùs adhuc dubii res ist hæc habet in debitis futuris, ubi quis usurarum modum haud nesciviſſet, tamen desuper contraxiſſet, quâ certè specie, nemo est qui ambigat, volenti non fieri injurias, usurisque illis denuò sic contemperatis, hunc talem contentum esse debere.

Cæterùm, ut veteri lege Justiniani, taxatio pensionum ordinaria & vulgaris, mercatoribus non præjudicaverat, sed ad promovendum comerica, & ut essent, qui mercimoniorũ intuitu mutuum darent, amplior extitit mercatoribus usurarum facultas, sic ex simili ratione in hâc re, sive etiam in aliis lege consimiliter ab ordinario usurarum modo exceptis, observari quoq; proportionaliter idem posset.

Jam igitur, si haberemus primò paratam executionem, deinde etiam debitorum rationem seu modum moderatiorem, ac præsenti rerum statui tolerabiliorem, opinor certè, haud amplius futurum, ut sententiæ Summorum Tribunalium

lium Imperii, ita in longum ævum ab effectu suspendantur.

At enim quia nervus executionis ut modò dixi, hinc dependet, ut milites illi publici Aulæ vel Cameræ Cæsareæ pareant ac injunctam exequendi spartam sine morâ suscipiant, operæ ptetium videtur, huic rei certiori cautelâ prospicere, quid enim alioquin interest, an ex defectu Circularis executionis, an verò ea propter, Imperialia decreta quasi cum vilipendio protrahantur, quòd milites publici, fortean suo officio hâc in re desint.

Secundùm hæc rectè actum apparet, si expræsidiariis illis, certus quidã promptiorũ virorũ numerus, Supremis Judiciis, de suscipiendo ac conficiendo demandatas sententiarum executiones, jurisjurandi religione devinciretur, illisq; aliquantò amplius præ cæteris stipendium porrigeretur eâ lege, ut quicunque ex illis, executionem alicujus sententiæ ab Aulâ vel Camerâ injunctam intra terminum præfixum, quantum in ipso est, haud perfeceriit, is eo ipso stipendio suo commilitonibus attribuendo careat, officio etiam & universâ bonorum facultate pro circumstan-

stantiis ex judicis arbitrio privandus.

Quòd si verò executoribus illis de facto, id quod tamen in tali regiminis Statu rariùs utiq́ue contingeret, fortean alicubi lòcorum resisteretur, jam suprà dictum est, Consilium Status suas hac in re observare posse partes, ac publicos milites pro rei exigentiâ in subsidium mittere, prout etiam priscum Regimentum curam hanc sui fecit muneris.

Ob eamq́; causam & ex his omnibus tandem credi potest, cùm & jus nostrum novâ digestione emendaretur, intuitu visitationum & similium remediorum, de praxi strictiùs observaretur, ac tandem, si quod extremum est jurisdictionis, nimirum fructus sententiarum haud foret inanis, sed eædem, remotis tolerabili moderatione debitorum prætextibus, & obstaculis impossibilis solutionis, nec non ambagibus ac difficultatibus Circularis executionis, regulariter perducerentur ad effectum, omninò justitiam in Imperio rectiùs habituram, nec quod nunc proh dolor! conspicimus, lites ad seras usq́ue posteritates protractum, extensumq́ue iri, sed de his pro ratione instituti satis.

CAPUT XVI.

De Publico ærario, & remediis illud introducendi, absq; magno Statuum vel Subditorum Imperii incommodo.

SIgnum est debilioris Reipublicæ si non habeat publicam pecuniam, unde possit tam belli, quàm pacis sumptus varios sufferre. Quapropter oportuit etiam in Germaniâ nostrâ, constituiærarium Publicum, ut esset, unde omni tempore sumptus Imperii liceret supportare, nam cùm Reipublicæ nostræ conveniat, habere Consilium Status, publicum ac perpetuum militem, dein etiam duo Justitiæ Tribunalia, profectò non hæc modò, sed similia omnia requirunt pecuniam, quam tempore rerum gerendarum immediatè nemo privatus, sed ipsa potiùs Respublica, si benè cum eâ agi debeat, tenetur conferre & jam tunc pro necessitatibus publicis in promptu habere.

Ac illam quidem quæstionem, an constitutum Publicum ærarium sit rebus Ger-

Germaniæ, præsertim ad tempestivé reprimendos hostes ac similes casus insigniter profuturum, haud facilè opinor fore, qui negent; tantùm in eo omnis labor ac cardo situs esse videbitur, quemadmodum pro præsentibus angustiis, idem queat absque ruinâ subditorum introduci?

Hactenus quidem, cùm totum Imperium divisum sit in decem Circulos, animadversum fuit, ærarium Publicum planè esse necessarium, & adeò constitutum, ut in singulis Circulis haberetur peculiaris, ut vocant, cassa. Verùm quia partim usus ejus in Republicâ potest esse varius & vel ad pacis vel belli negotia directus, partim etiam commembra diversæ dignitatis, ut Duces, Comites, Urbes &c. sub eodem Circulo comprehenduntur, quorum aliqua in peculiare Collegium coeunt, ob eam causam diversæ cassæ subordinantur Circulo, ut alia v. g. vocetur Cassa Circularis, die Creys-Cassa, alia Comitum, die Graffen Cassa &c. cum quibus ita comparatum est, ut ad eundem finem tendant, nimirum ut per Circulos expediantur, quæ ex re sunt Imperii, & cu-

jusque membri Circularis, ad Cassam verò Circularem, reliquæ Cassæ subordinatæ confluant. Vocantur autem diversimodè, ut simplici nomine die Creyß-Cassa, & cum additamento die Creyß-Kriegs-Cassa sc. pro negotiorum incidentium, in quæ pecunia est impendenda, varietate.

Cæterùm hæc tot particularia ærariа, Imperio & cumprimis etiam Statibus Imperii nocent multis modis, primò, quia non perpetuò habentur, sed tunc demùm, cùm simile quippiam negotium emergit, aut conditio Reipublicæ exposcere videtur. Quo fit, ut rebus optimè ac tempestivè gerendis, publica desit pecunia prout e. g. cùm bellum contra Turcam suscipiendum venit, multum temporis effluit, dum Cassæ Circulares accipiant, unde militem alere & alia belli necessaria subministrare possint. Hinc igitur Turca tempore utitur, & interea unum vel aliud fortalitium subigit.

Deinde hæ omnes Cassæ hoc habent incommodum, ut conferantur ex privatis contributionibus, in certoque & arbi-

arbitrario indictionum numero, quæ res' ut ſuprâ quoque innui, ſæpè non reſpondet Reipublicæ neceſſitatibus. Tertiò, in his collationibus, magna non ſemel invenitur inter diverſos Status, reſpectu modi poſſeſſionum inæqualitas, ceu experientiâ conſtat. Quartò demum quotuplices ſunt Caſſæ, vel earum ſubordinationes, totuplices faciendi ſunt ſumptus, nam conſtituendi ſunt plures rationales' vel procuratores, ſimilesvé officiales, ob eamque cauſam, cùm ſinguli non ſalarium modò, ſed ſæpiùs etiam honorarium, extra ordinem expectent, fit ſanè, ut ſumptus Reipublicæ deputati dehinc capiant decrementa, ac ſenſim emergant graciliores.

Ad has igitur, & ſi quæ ſunt id genus, alias difficultates declinandas non utile modò, ſed & neceſſarium videtur, conſtituere ærarium Publicum longè diverſum. Redigam autem hanc totam materiam, ad duo præcipua membra, nempe primò quale ergò conſtituere oporteat ærarium, ut poſſimus & illas, quas retuli incommoditates evitare, & ſimul Circulis Im-

lis Imperii adeò distantibus, vel potiùs his, quæ in illis peragenda sunt, sufficienter prospicere.

Deinde secundò ex quibus sumptibus vel mediis, ærarium Publicum debeat erigi, ita ne onus intolerabile hinc imponatur Imperii subditis, ubi inprimis dicam de modo illius antehac usurpatæ communis collationis, quam vulgò vocant den gemeinen Pfenning/quatenus nimirum temporibus modernæ Reipublicæ quadret vel non.

Ac circa primum quidem, cùm putem debere in Imperio unicum obtinere ærarium non divisum pro numero Circulorum, obstare mihi videntur plura negotia, quæ consueverunt hactenus in unoquoque Circulorum peragi, cujusmodi sunt, militum delectus, executiones &c. si igitur unicum foret ærarium, carerent Circuli rerum gerendarum nervo sc. pecuniâ, & adeò viderentur istæ Circulares functiones langueſcere, dum per longa fortè itinera, aliunde Circulares pecuniæ posci deberent.

Verùm responsio ex his, quæ dicta sunt hacte-

hactenus haud est difficilis, nã nec delect° militum, nec executiones, per Principes Circulares necessariò expedirentur, sed illi quidem ab ipsis Ducibus vel Præfectis° militiæ, hæ verò per milites certos perpetuos vel apparitores Summorum Tribunalium in eventum possent adimpleri.

Non igitur exposcit, utilitas Reipublicæ ut hæc & similia negotia Publica, ex quadam necessitate suscipiantur, præcisè modis hactenus usitatis, sed ex causis suprà relatis satius est eadem sic perficere, ut temporum conditioni matura & parata respondere possit executio.

Jam quoniam dubium non est, tantò magis minui pecunias Publicas, aut si vulgaribus querelis credendum, in alios° usus converti, quò plures sunt rationales vel administratores, necessariò verò horum numerum tantò magis oportet augere, quò particulares Cassæ, vel æraria habentur plura, ideò expediet, constituere ærarium Publicum unum, è quo velut ex fonte communi desumantur omnes Reipublicæ functiones atque sumptus.

Hujus

Hujus ærarii debent aliqua obſervari requiſita & conditiones, 1. ut ponatur tolerabile, Statibus & ſubditis Imperii, alioquin ſi id ſupportare nequeant, tota intentio fruſtranea fuerit, 2. ut habeatur ordinarium, ne tunc, cùm res gerenda eſt, demùm de pecuniis colligendis inſtitui debeant conſilia. Quo fine bonum foret, ne cui functiones ærarii aut quoscunque ejus proventus, remittere vel imminuere, niſi de totius Imperii ſc. & Imperatoris & Statuum conſenſu liceat.

3. Ut cuſtodiatur in loco permunito & præſidiis Imperialibus ſatis obfirmato, ac quatenus fieri poteſt, in meditullio Germaniæ ſitò, ut ſc. & ſecurius ſit, & inde ſumptus Reipublicæ ſeu ad militiam ſuſtentandam, ſeu ad alios fines quaqua verſum ſub militari conductu promptius poſſint transportari 4. ut committatur perito ac fideli alicui rationali, illique nationeGermano, ſecundùm ductum R. I. de Anno 1641. §. Wir haben uns/ꝛc. *ibi*; dahin verglichen / daß zu Einehmung der verwilligten Contributionen / ein aufrichtiger bekannter Teutſcher / im Reich geſſener gezogen / das alte Herkommen im

Reich

Reich hierinnen beobachtet / und alles zur Cassâ geliffert und berechnet werde.

Quinta conditio est, ut Consilium Status habeat supremam inspectionem rationum ærarii, cui etiam rationalis eas statis temporibus ad revidendum & comprobandum exhibere teneatur, ut deinceps Imperatori & Ordinibus à Consilio Status eædem, in vel extra Comitia, per se vel deputationis medio revidendæ ac denuò ratificandæ possint transmitti. Quem in finem expediet, in eodem loco, ubi Consilium Status est, etiam haberi ærarium, inibique versari illum, quem dixi, rationalem. Quòd si vel Imperii vel Consilii Status judicio deprehendatur, aliquid restare ilicò sine ulteriori processu fiscali, compellatur iste administrator ærarii paratâ solutione idem refundere, pro rei circumstantiis pœnâ dupli, confiscationis bonorum, infamiæ vel remotionis ab officio, si fortè dolum comiserit plectendus.

Cæterùm quia sicut ex fonte rivuli profluunt, sic in varios Imperii usus ex ærario, desummendi ac transferendi sunt sum-

ſumptus, ob eam cauſam ſextò plures integræ æſtimationis viros, rei Arithmeticæ peritos, ad illud eligere oportet, qui officio rationalis & inſpectioni ſubſint, proventus publicos in ærarium immediatè inferant & rationali tradant, ac viciſſim ab eo, quorſum de ſententiâ Imperii vel Conſilii Status, pecuniæ publicæ debeant transportari, commiſſiones accipiant, & ſuas particulares rationes exponant.

Quæ ipſæ res, quod ad curam & inſpectionem ærarii ſupremam Conſilio Status deferendam attinet, imitationem habet Receſſus Imperii de Anno 1500. *Tit.* **Von des Reichs-Regiments Ordnung/ꝛc.** ſecundùm quem Regimento veteri, ſimile quid fuit attributum, ſed accedam nunc propiùs ad proventus & remedia erigendi ærarii publici, quippe quo in puncto, totius hujus materiæ cardo ſitus eſſe videtur.

Dixi vero paulò ſuperiùs, veteribus uſitatum fuiſſe modum contribuendi, qui dictus erat, **der gemeine Pfenning**: habuit is ſe diverſis temporibus diverſimodè, & qui-

quidem, à Maxmiliano Primo Imperatore in Comitiis Wormatiensibus, de Anno 1495. legitur introductus fuisse hoc tenore, ut pro quantitate patrimoniorum, belli Turcici gerendi ergò certa in quadriennium publicè conferatur pecunia, nimirum de substantiâ quingentis aureis inferiore vigesima quarta pars floreni, de quingentis aureis dimidius, de mille integer florenus quod ultra eas facultates sit de hoc pro pietate contribuatur **soll gegeben werden so viel seine Andacht ist.**

Insuper de reditibus annuis 25. aureorum idem quod de quingentis, ac de quinquaginta, quod de mille solvatur, exceptis Principibus ac Dynastis qui ulterius aliquid, proportionaliter præstare debuerunt, juxta *Tit.* **Fürsten / und Herren / sollen mehr thun** / in Judæis etiam speciale erat, quòd in singula capita seu marium seu fœminarum, integrum florenum solvere compulsi fuerint, illam taxationem inter se pro ratâ patrimoniorum divisuri, ceu hæc omnia terminatim patent, ex Recessu Imperii de prædicto anno, à *Tit.* **Von fünffhundert Gulden Rheinisch /** usque

usque ad *Tit.* Von der Einahm der Auflegung.

In Recessu Imperii de Anno 1500. hæc res magnam mutationem accepit, statutum enim ibi fuit, ut secundùm Parochias ac certum hominum parochianorũ numerum, collationes illæ fierent, ac immediatè in militum sustentationes impenderentur, sic ut singulæ Parochiæ quadringentorum capitum, parentibus tamen ac liberis, qui sub familiâ constituti sunt pro unâ persona computandis, singulos pedites annuatim alant ac sustentent pro ratâ portione.

Quòd si minore majorevé auditorum numero fuerint, tunc minùs vel amplius etiam proportionaliter contribuant; monasteria verò aliaque pia loca, nec non Civitates Imperiales & communitates de singulis quadraginta florenis annuis singulos exsolvant, Electoribus ac Principibus quingentos, Comitibus autem singulos equites de singulis reditibus quatuor millium annuatim conductu-ris ac sustentaturis. Deniqúe sancitum ibi est, ut Nobiles Imperii ex pio arbitrio, Judæi

dæi singuli singulos aureos annuos conferrent ut patet ex *Text. d. R. à Tit.* Von Söldnern / usque *ad Tit.* Wie das Volck auf der Cantzel/ &c. Quæ ipsa taxatio ac dispositio ad sex usq; annos statuta fuit. *Tit. d. R.* Wie lang diese Ordnung.

Per Recessum Imperii de Anno 1512. dispositum iterum est, ut singuli pro modo patrimoniorum in sexennium proximum contribuerent, nempe quorum substantia infra 50. florenos est, hi tertiam solidi aurei, quorum suprà usque ad centum duas tertias, & ita deinceps secundùm proportionem facultatum conferrent, ac de singulis liberis saltem 12. annos natis respectivè unam, vel duas tertias solidi præstarent, d. R. §. Und damit der Arme usque ad §. Nach dem Churfürsten. Quâ in constitutione illud primum singulariter additum est, ne Electores, Principes, Comites vel Dynastæ, hac tali taxatione tenerentur, sed propter faciendos sumptus in exigendis subditorum contributionibus, tum etiam propter impensas tormentorum, & apparatus bellici, hactenus immunes essent d. §. Nach dem Churfürsten/ § Item/ so man Büchsen.

Variatum denuò est, in Comitiis Wormatiensibus de Anno 1517. statutumque ut singuli homines sacræ synaxeos per ætatem compotes, decimam aurei partem in triennium solverent d. R. §. **Und nemlich/ꝛc.** Electores verò Principes, cæterique Status, quod ipsi plus meritò debeant, ex pio arbitrio conferrent, §. **Dergleichen/ꝛc.**

A quo tempore, excepto, quòd interdum ejus mentio injecta est, iste modus contribuendi quievit usque ad Comit. Spir. de Anno 1542. ubi occasione belli Turcici sancitum, quòd omnes Electores, Principes, Comites, Dynastæ, Nobiles, Cives subditi, de singulis centum, dimidium & de mille florenis, integrum persolvant; cùm verò sint, qui longè amplius accipiant, quàm quinque de centum, hi etiam decimam ampliorum istorum fructuum, ut etiam cæteri Status de annuis reditibus, conferant. R. I. de Anno 1540. §. **Und nemlich sollen/ꝛc.** & §. **Und dieweil unn funfzig ꝛc.** Quæ dispositio eodem propè tenore ac intentione repetita deinceps fuit in Comitiis Imp. de Anis-

nis 1544. 1548. & 1551. ut patet ex Actis & Receſſibus eorum.

Poſt quæ tempora non facilè invenies, collecturam iſtam univerſalem, quam dicunt den gemeinen Pfenning/usquam fuiſſe obſervatam adeoque tunc circiter in uſu eſſe deſiit, cœpraque quoties emergens aliqua Reipublicæ neceſſitas expoſcere videretur, ſolummodò certa pecuniæ quantitas aut militum vel indictionum numerus ad illam rem repromitti, usque dum Status Imperii in Comitiis Auguſtanis de Anno 1566. hoc onus à ſe planè declinaverint, & modum collectandi ex hâc causâ ſubditos pro cujusque Status parte contingenti, qui modus hodienum obtinet, per ſanctionem Imperii Pragmaticam induci curaverint, ceu videre eſt ex Receſſu dicti Anni §. Dieweil nun/ꝛc.

Anteà enim de ſuo patrimonio & fiſco, quivis Ordinum Imperii tenebatur ſolvere ſine onere ſubditorum, id quod paſſim innuunt præcitata loca Receſſuum Imperii. Ex quibus conſtat primò collationem illam Imperii univerſalem,

interdum se habuisse in modum capitationis, sic ut singuli pro numero capitum tenerentur conferre, interdum per modum contributionibus patrimonialis, ita, ut posthabito personarum numero, sumeretur proportio contribuendi à facultatibus, quibus aliquoties addita fuit vel interspersa tertia quædam species, nimirum Capitatio mixta, veluti cum Judæi debuerunt solvere singuli singulos florenos, repartituri postmodùm inter se totam illam quantitatem pro ratâ patrimoniorum.

Constat secundò remedium istud publicæ totius Imperii collectationis, fuisse extraordinarium, nec regulariter, sed tunc demùm, cùm incidentia negotia, exigere crederentur usurpatum. Patet tertiò potissimùm respexisse hoc contributionis genus ad belli onera sustinenda, ideoque alii præterea sumptus nihilo seciùs Reipublicæ gratiâ fuerunt impendendi, ut sustentatio Regimenti & Cameræ Imperialis, legationes, explorationes hostium &c. quin ne belli quidem pertinentia cuncta, hinc deprompta paratavé fue-

fuerunt, sed Status Imperii & prædicta onera, & etiam impensas tormentorum, aliorum vé apparatuum militarium, seorsim supportârunt.

Quâ in re quandoque Imperator concurrit, tormentaque & similia pro Republicâ in medium contulit, aliquoties etiam partem dimidiam sustentationis Regimenti & Cameræ in se suscepit. Sed sequiori tempore hoc posterius Ordines Imperii ad se solos, & quidem jam inde à Comitiis Augustanis de Anno 1548. *vid. R. I.* de hoc anno, §. **Und wiewohl** ultroneâ voluntate in se derivârunt. Prius etiam istud in desuetudinem abiit, cœptumque à Statibus ad imitationem unius vel alterius exempli Recessibus Imperii inserti, in comparationem tormentorum & similium contribui.

Quæ cùm ita sese habeant, collectatio illa universalis Imperii non potest constituere ærarium suprà descriptum, propter varios defectus, primò quia fuit irregulare ac tùm temporis demùm in consultationem venire solitum, cùm jam hostes reprimendi ac propulsandi essent, secundò contingere facilè potest, ut col-

latio isthæc, quam sæpiùs dixi, universalis, à multis non solvatur, sicut fecerunt illæ Civitates Provinciales, quæ sub prætextu societatis Hanseaticæ noluerunt solvere hanc contributionem, ut testis est R. Imperii de Anno 1548. §. Und als erstlich / ꝛc.

Et quamvis de Annis 1542. & 1544. decreta jam fuisset collectatio deß gemeinen Pfennings tamen Recessus Imp. de An. 1551. §. Nemlich also / statuit, illam vigore priorum sanctionum, demum esse exigendam; haben sich verglichen / ꝛc. Daß der halbe Theil deß gemeinen Pfennings / vermög voriger ihrer Bewilligung / und derhalben auffgerichter Reichs-Abschied / auf den ersten Tag deß schierst kommenden Monaths Augusti und der anderhalb Theil von demselbigen Tag an / über ein Jahr / wider auf den ersten Tag Augusti, eingebracht und richtig gemacht werden soll; doch wo der Türck zuvor ihrer Lübden Königreich und Land mit gewaltigem Heer überziehen würde / daß in solchem Fall auch der gantze gemeine Pfenning / auf obbemelten Tag Augusti eingebracht und richtig gemacht werde / ꝛc.

Ergò

Ergò tùm temporis nempe Anno 1551. nondum fuit exactum, quod publicæ illius collationis nomine jam Anno 1542. & 1544. solvendum fuerat. Tertiò cùm isthæc universalis Imperii collectatio, tantum ad bellica Reipublicæ onera eaque non omnia, sed inprimis tantùm ad sustentationes & salaria militum pertinuerit, eaque proprer sumptus publicos plures facere, & illis in consequentiam Ordines Imperii ac subditos onerare oportuerit, iterum apparet modum contribuendi **des gemeinen Pfennings**/ fuisse Imperio tantò intolerabiliorem.

Quorsum collimant illa verba. d. R. Imp. de Anno 1551. §. **Neben vorgesetzten**/ *ibi*; **Gleichwohl nicht sonder merckliche Erinnerung / Ihrer und der Unterthanen vielfältigen Beschwehrung**/ **damit sie zu allen Theilen in mehr Weg**/**dieser Zeit einmahls beladen sind** &c. Præsertim cùm etiam pro conditione Reipublicæ & imminenti periculo, necessarium fuerit, taxationem hujus contributionis augere atque extendere, ut innuit Recessus Spir. de Anno 1542. §. **Und wiewohl**/ *ibi*; **ausgenom-**

genommen / daß dieser Anschlag / nach gestalt der vorstehenden Noth erhöchet und gesteigert werden muß ꝛc.

At loquor in præsentiarum de ærario Imperii Statibus ac subditis tolerabili, quodque ordinarium esset, ac si hostis immineret, ad conducendum sustentandumvé militem, aut alios etiam quoquo tempore Reipublicæ sumptus faciendos, pro necessitate jam tùm probabiliter sufficeret. Non igitur vices ærarii supplet priscus ille totum Imperium collectandi modus sc. **der gemeine Pfenning**/nec simpliciter, prout illum commendat *Hippol. à Lap.* in usum revocandus est, sed certo modo corrigendus ac limitandus, ut possit, inter alia inservire illi, quod antè definivi, ærario, deque cujus, jam verba facere lubet introducendi mediis.

Primùm itaque perneccessearium statuo, ut Tributaria illa functio apud veteres usitata in usum revocetur, nam in eo valdè peccatum est à nonnullis Imperatoribus Romano-Germanicis, quòd primitùs feuda Imperii, Electoratus, Principatus, jure successionis conferrent Imperii

rii Ordinibus, nec ærario Publico vel etiam fisco suo, ex illis reservarent certos & fixos proventus, unde deinceps onera Reipublicæ promptè possent ac pro necessitate supportare. Hinc igitur pedetentim, ac præsertim Aquilis posteà penitiùs deplumatis evenit, ut, si res exposcere videretur, subsidiũ eos ponere oporteret, in collationibus merè privatis, iisque planè extraordinariis, quæ ipsæ, quas difficultates habeant, & experientia satis contestatur, & etiam ex Imperii Recessibus, aliquot jam locis à me fuit deductum.

At prisci Imperatores vel certè illi, qui adhuc ordinarios reditus accipiebant ex Imperio, potuerunt, quod ad hunc passum attinet, faciliùs aut hostes reprimere, aut Imperio ejusvé membris succurrere. Ita v. g. de Friderico Primo Imperatore legimus, quòd suo adhuc tempore magnam pecuniæ vim ex Imperii diversis proventibus ordinariè perceperit. Unde nemo inficiabitur, potuisse Reipublicæ necessitatibus paratiùs, quàm hoc extra ordinem collectandi more consuli.

Verùm quia loquendum est de rebus, prout sunt, duo hic considerandavenient, ex uno capite, quòd Status Imperii justè hodiè & ex concessione Veterum Imperatorum, tot Capitulationibus Cæsareis hactenus obfirmatâ, teneant ac percipiant in suos usus illam, quam dixi, Tributariam functionem, quæque diversis in locis, diversa etiam sortitur nomina, veluti Landsteuer/Schatzung ꝛc.

Ac ut olim Cæsar in recognitionem præeminentiæ ac dominii quasi universalis, de omnibus bonis sub Imperio constitutis, præstationem modò dictam sibi vindicabat, ita hodiè Status Imperii, idem faciunt & jure facere possunt in suis territoriis, idque intuitu competentis jurisdictionis territorialis, & subditorum defensionis. Quapropter Ordinibus Imperii hoc jus suum eripi nequit.

Quòd si igitur, id quod alterum considerationis membrum est, subditis Imperii Publicam illam functionem imponere velimus, jam iidem gravabuntur duplici onere, semel, cùm Territoriorũ dominis, deinde cùm Imperio, eos oportebit, con-

contribuere; verùm quoniam utrumque ordinario modo, haud videntur ferre posse, & alterum, nimirum collatio illa respectu territorii facta, secundùm deducta omitti nequit, consequens propè esse credideris, non posse tributariam illam functionem, in Imperii ac ærarii Publici, proventus Ordinarios redigi.

Ast verò ut in aliis multis, ita hîc etiam obtinere debet, ut quod vires tuas simpliciter sumptum excedit, id justâ moderatione allevatum, his ipsis nequaquam existat superius. Fiet autem illud ex duplici parte primò ut summa exigenda imponatur moderata, deinde secundò ut singulis annis non imponatur omnibus, sed certis ex omnibus.

Nec propterea existimandum est, hoc remedio consequenter Publicum ærarium parum adauctum iri, quia vicissim duo consideranda sunt [1.] non semper bellum fore, togatos v. Reipublicæ sumptus esse bellicis tolerabiliores, (2) remedium alternantis illius contributionis ordinariæ ac moderatæ non solum, sed unà cum sequentibus inspiciendum esse.

Prius

Prius autem illud de moderatâ aliquâ contributione ut mihi videtur commodè efficere possumus, si taxationem Recessus Imperii de Anno 1542. sequi ac de singulis centenis, singulos florenos dimidios regulariter contribuendos ordinare liberet, idque iudistinctè, cujuscunque bona sint; nam hoc etiam observârunt veteres Romani Imperatores cassatis omnibus, si quæ contraria apparerent privilegiis, uti patet ex *l. fin. C. de priv. dom. Aug.*

Quod ad posterius attinet, habemus decem Imperii Circulos, ex his si quotannis duo contribuerent, cum suis Statibus ac subditis, pertingeret illa res singulos demùm intra quinquennium, ac tunc etiam quantitate planè moderatâ; aut si istud adhucdum videretur pro temporis exigentiâ aliquantò duriùs, statui posset, ut singulis annis unus aliquis ex Circulis, & ita deinceps cæteri annuatim contribuerent. Quis verò esset qui tam moderatum onus, pro Republica ac cõmuni salute & utilitate ferre recusaret?

Porrò & si sit ex re Imperii, ac etiam subli-

sublimitate ac magnanimitate Electorali vel Ducali &c. dignum, nolle in quocunque passu, vel consilio vel virtute, vel pecuniâ, minùs juvare Rempubl. quàm quicunq; privati & subditi, illam juvant; tamen cùm in præcitatis Imperii Recessibus, jam habeamns ejusmodi vestigia & exempla, ubi Electoribus, Principibus & Comitibus &c. intuitu corporalis assistentiæ belli aliorumvé onerum, minor facta est taxatio contribuendi, etiam hac in parte, de communi consensu locum habere posset priscarum constitutionum imitatio, aut certè opus foret aliâ publicâ & Comitiali compositione.

Hinc igitur & ærarium Publicum habiturum foret proventus non contemnendos, & vicissim tamen ea res seu Statibus, seu subditis Imperii, benè esset tolerabilis; Statibus quidem, quoniam illi hactenus ex suis patrimoniis Cameram Imperialem ordinariè debuerunt sustentare, nunc haberent etiam commune Consilium Status, firmum fulerum Pacis Publicæ, defensionis & cuiq; competentis sublimitatis ac Regalium, cujus tamen neutri-

neutrius ullâ ex parte deberent in se suscipere sustentationem, sed illa depromeretur ex ærario & his mediis publicis, de quibus partim dixi, magnâ ex parte superest, ut dicam;

Subditis verò idcircò, quia illi moderno tempore ferè soli contribuunt in bella Turcica, & similia; jam si retrò curramus tempora, apparebit ex Recessibus Imperii, multoties iisdem propterea extra Ordinem collectas imponi ac ut plurimùm non moderatâ illâ, sed longè majori taxatione, adeò ut nuperrimo bello Turcico quorundam subditi vel sesqui Imperiales de centum florenis conferre, fuerint coacti. Quod igitur hoc ærarii modo per diversas vices contribuerent, illo altero debent semel dare. Non igitur habent, ut conquerãtur, aut certè illud esset modicum, in quo non forent audiendi contra Reipublicæ utilitatem.

Prætereà æquitas suadet, ne ex immobilibus solum bonis contributiones fiant, sed & ex reliquâ substantiâ, ceu est expressus tenor & intentio prædictarum Constitutionum. Cujus quidem rei non-

hæc

hæc tantùm ratio est, ut servetur æqualitas inter eos, qui & prædia & alias tanti aut majoris fortè pretii opes possident, sed etiam ea, ut Reipublicæ, à quâ similiter mobilium & immobilium defensionem experiuntur & utroque respectu eidem subsunt, tantò pinguiùs sit consultum.

Excipiuntur tantùm nonnulla, ut vestes, item pretiosa, vasa argentea & cætera suppellectilia ad usum pro cujusque dignitate necessaria, nec non Statuum, Nobilum & Equitum arma, ferreamenta, tormenta, pulvis nitratus, quæque eò pertinent. In cæteris omnibus bonis servanda est regula, quod sc. subsint prædictæ contributioni prout disponit Recessus Imperii de Anno 1542. §. doch sollen in solchen ꝛc.

Secundum remedium constituendi ærarii est erectio publici vectigalis per totum Imperium. Suaserunt hoc idem Carolo V. Imperatori jam olim Ordines, sed eidem illud non usque placuit & sic effectu caruit, quemadmodum testis est Recessus Imperii de Anno 1524. §. Und erstlich / in verbis illis; Nachdem uns aus vielen

vielen beweglichen urſachen und anſuchen/ nicht für guth und fruchtbar angeſehen hat/das wir den gemeinen fürgenommenen Reichszoll/ zu unterhaltung Friedens und Rechtens dißmahls auffrichten laſſen ſollen/ꝛc.

Reverà, tamen tale vectigal Publicum plurimùm conduceret ad ærarium Imperii, neque etiam in citato Receſſu Imperator illud ſimpliciter rejicit, ſed tantùm impedimenta obſtare dicit, quò minùs pro eo tempore introducatur. Quæ autem ejus temporis ratio fuerit impediendi vectigal Publicum, animadverti fortè poteſt, ſed huc non attinet diſcutere, certum illud eſt, quocunque & etiam hoc noſtro tempore, Statum talem, qualis eſt hodiè in Germaniâ introductioni publici vectigalis, pariturum ſuas difficultates.

Veruntamen eas non tanti ponderis eſſe puto ut illis planè obviam iri nequeat aut ut propterea commodum illud Pubicum debeat negligi. Potiſſimæ difficultates vel impedimenta conſiſtere mihi videntur in tribus, 1. quòd erecto per-

univer-

univetſum Imperium publico vectigali aut negotiationes & commercia, detrimentum paſſura credas, aut introductum iri mercium caritatem, tunc enim mercatores propter multiplicitatem teloniorum, vel negligerent mercaturam, vel carioris merces venderent, ut ſuum lucrum nanciſci poſſent, adeoque alterum eorum conſequi videtur, quorum tamen utrumque nocens eſſe Reipublicæ agnoſcitur 2. ſi inſtitutum foret, publicum ejusmodi telonium, videretur Statuum Imperii vectigalibus allaturum nocumenta, nam quo loco poneretur, ſæpiùs alii nollent emere propter vectigal qui alioquin emiſſent, ideoque locorũ domini, qui ex his & ſimilibus contractibus ſua habere plerumque ſolent compendia, paterentur inde damnum.

Imò etſi detur, quod omninò ex hoc capite id non accidat, tamen notum eſt, Statuum telonia alioquin eſſe ut plurimùm magna, ſi igitur his adderetur publicum vectigal, aut in locis ejusdem viæ conſtitueretur, aut diverſæ; ſi poſterius ſequeretur, parùm commodi ex illo vectigali

confectum iri, cùm in loco diverſo, quorſum rari eſſe ſolerent tranſitus vel negotiationes, in cæteris enim ubiq́ue ferè habentur telonia Statuum, ſedem obtineret; ſin prius, ut dixi, ob pluralitatem teloniorum, reformidarent mercatores negociari, adeoq́ue tantò minùs, Principes & Status Imperii ſuorum vectigalium nomine acciperent.

Quis verò 3. ſi vel maximè hæc non attenderentur, per totum Imperium conſtitueret tot exactores vectigalium publicos, & quâ pecuniâ? Quoniam enim publico nomine fieret, diceres oportere poni magnum valdè & amplum iſtud telonium, ne alioquin deductâ exactorum mercede reddatur fruſtraneum, & inde nihil redigi poſſit.

Ad quæ reſpondeo primò; jam inde à tempore Caroli Quinti tot conceſſa eſſe Statibus nova telonia, & tamen mercaturam ideò non fuiſſe deſolatam, quidni igitur induci & ferri potuiſſet, ac etiamnum poſſet publicum vectigal? Sanè veroſimile eſt, mercatores non fugere vectigal moderatum, ſed nimis magnum,

ho

hoc autem publicum vectigal deberet justo moderamine imponi per universas Provincias Imperii.

Quâ in re multiplicatio locorum esset compensatura hoc moderamen, nec exinde sequeretur vel merces carioris venditum iri, vel desertum propè mercaturam, siquidem non est nimis indulgendum mercatoribus, qui lucrum habere justum nihilosciùs possent, & anteponenda quorundam aviditati publica utilitas, præsertim cùm probabile appareat, è tam copioso eorum numero non omnes cessaturos, sed tamen fore, qui victum ex mercaturâ quærere illamque exercere perrexerint.

Ad secundum dico, propter justam moderationem publici vectigalis, non facilè datũ iri hujusmodi casum, sed nihilominùs processuras emptiones venditiones, similesvé contractus, ac publicum vectigal in locis seu diversis à Statuum vectigalibus seu iisdem institutum, propter suam tolerabilem taxationem, ut mercaturæ & quibusvis contractibus, ita per consequens etiam Imperii Statibus,

eorum teloniis vel aliis juribus, nil tale quid detracturum, ut mentione dignum sit.

Ad Tertium; constituendos esse, vectigalis istius exactores publico nomine, verùm sine sumptu publico aut privato, sed in modum muneris Reipublicæ quod declinare regulariter non liceat, nisi personæ conditio & qualitas aliud requirat, de quâ re infrà distinctiùs.

Apparuit igitur ex hactenus dictis, publici telonii institutionem non esse evitandam propter illa, quæ fortè obtendi possent impedimenta, sed quod ex adverso publicis sumptibus, insigni levamento sit futurum, animadvertere licet ex comparatione magnitudinis Germaniæ totque ejus partium, Imperio parentium, ex quibus omnibus Imperii ærarium, augmenta caperet teloniorum. Quin inter antiquos illos Imperii reditus, haud nullius momenti, sed magnæ considerationis etiam fuerunt, telonia illa Rhenana, ob eamque causam Carolus IV. Imperator non benè audit, quòd eadem ab Imperio, ad Electores Rhenanos transtulerit

rit, nam inde ab illo usque tempore, Imperium privatum se sensit hisce optimis proventibus, iique accesserunt prædicto patrimonio Electorali.

Tertium remedium, unde constitui posset ærarium publicum est reductio legis Vicesimariæ Augusti, ut nimirum ex hæreditatibus, latá aliquâ Lege Publicâ, vicesima pars per exactores inferatur ærario, cum enim toties ex contractibus aliisque causarum figuris, Ordines Imperii sua sentiant ac sibi vindicent commoda, quis invidebit justissimæ causæ Reipublicæ, si ad istos optimos fines particulam quandam minutiorem de privatorum hæreditatibus sibi atribuat, ac singulorum defensionis, salutis & tranquillitatis ergò, inferendam suo curet ærario.

Cui tamen rei hoc temperamentum addere liceret, ut si fortassis hæreditates delatæ ad pauperes, piamvé causam notoriè pertinerent, & alioquin extra certam constituendam summam se non extenderent, Vicesimaria tunc cesset, in cæteris verò maximè, si pinguiores sint hæreditates, vel quocunque casu & specie defe-

deferantur, eidem locus fiat. Obsoleta autem fuit hæc lex jam temporibus Justiniani Imperatoris, ut ipse testatur, in *l. fin. C. de Ed. div. Hadr. toll.* ubi etiam Edictum Imperatoris Hadriani, prædictæ Legis occasione latum sustulit.

Cæterum æquitas Vicesimæ in eo elucet, quòd Respublica pro circumstantiis ac temporum conditionibus, in bonum finem Pacis & publicæ defensionis contributiones justo titulo moderatas à subditorum proventibus vel bonis quibuscunq; maximè per speciem lucri delatis, exposcere queat, & etiam Vicesimam illam, si necessitas urgeat, quadantenus extendere vel minuere, pro periculis ac labore singulorum gratiâ susceptis.

Quâ in re interpretatio etiam juris eadem applicari debet, ut nimirum Vicesima illa intelligatur deductis debitis hæreditariis, quodque tunc, hac sc. subtractione factâ, ex hæreditate superfuerit, ejus vicesima pars ad ærarium pertineat, etiam ante legata, quippe cùm eorum respectu ærarium sese habere possit in modum creditoris, ac statim ante omnem testato-

teſtatoris diſpoſitionem, morte ejus hæreditas incipiat debere.

Quæris, an in ſpeciebus vel corporibus hæreditariis an verò in pecuniâ numeratâ, viceſimæ fieri debeat ſolutio? Reſpondeo æquitatis ratione facere ne hæredes, præſertim ſi cum beneficio inventarii hæreditatem adierint, ad aliam ſolutionem compellantur, quàm hæreditatis conditio ſuggerat; at verò non multùm referre, quemadmodùm præſtetur viceſima ab hæredibus, cum fiſcus adeoque etiam ærarium habeat & habere debeat, privilegium *l. un. C. de vend. rer. fiſc. cum priv. comm.* vigore cujus fiſco vel ærario licet, rem cum privatis communem, etiam invitis ſociis vel condominis diſtrahere, & juſtis poſteà precium ſuæ portionis reddere, ut dicunt Dd. ad dict. textum latius. Itaque hæredes in terminis, quos tracto, vel debebunt ærario, in pecuniâ numeratâ juxta arbitrium boni viri ſolvere Viceſimam, aut pati, ut ærarium res hæreditarias cum hæredibus communes more conſueto vendat, inde percepturum ſuæ partis precium. Quartum,

medium publici ærarii consistit, in bonis bello partis, quæ debent omninò in Cassam illam Imperii communem inferri, cum enim ærarium hoc, sumptus belli subministrare teneatur, æquum est ut vicissim sentiat belli commoda. Quâ ratione inducti complures Principes & Status Imperii reservârnnt sibi nupero bello Turcico, ut si quæ loca & bona hostibus eriperentur velut communibus impensis parta Imperatoris & Ordinum contribuentium communia essent.

Hæc res non tantùm imitationem habet veteris Romanæ militiæ, de quâ in historiis fit mentio, quòd sæpissimè multa millia pondo auri, victis hostibus in ærarium fuerint illata, sed & Recessus Imperii de Anno 1500. id statuit rubr. Wo dem Reich Glück und Sieg zu stünden / *ibi*, daß der Hauptmann mit des Reichs-Volck erobern oder gewinnen / oder daß sich jemands an das Reich ergeben / und sich dem Reich zinßbar machen würde / dasselbig alles soll dem Reich zustehen / und dem verordneten Reichs-Rath / getreulich überantwortet werden. Etsi autem hoc remedium ut

&alia

& alia sequentia, haud videantur in erigendo ærario publico, magnum momentum habitura, tamen nihil prohibet etiam de his discursum instituere, quæ ex post facto prodessent ac ærarium auctius redderent.

Quintum ergò ærarii remedium, ostenditur in feudis Imperio apertis, quorum annui reditus ærario sunt mancipandi, præsertim cum hæc talia feuda aperta, vigore Capitulat. Cæsar. non debeant alii de novo absque Electorali consensu conferri, sed publicis Imperii usibus retineri. *Cap. mod. Imp. art.* 30. Idem est &, sextum medium sit, de bonis Imperio per exteros ereptis & quavis occasione recuperatis, de quibus videatur eadem Capitulatio Invictiss. Imperatoris nostri *art.* 12. Septimum medium censeri potest in bonis bannitorum, quæ de jure debent in fiscum redigi. Cum autem fiscus in nativâ suâ significatione de jure civili significet publicam pecuniam sustentationi Principis, hoc est Imperatoris præcisè deputatam, adeoque ab ærario distinguatur, & vero Imperator hodiè ex Regnis

ſuis ac Provinciis hæreditariis vivat, hinc bona ejusmodi proſcriptorum melius collocari haud poterunt, quàm ut in ærarium convertantur.

Deniq́ue octavo cùm vigore conſtitutionum Imperii, ex variis cauſis plures ſæpè eſſe poſſent pœnarum exactiones, inprimis etiam luxus modernus, & contra Politicas Comitiorum Ordinationes graviora commiſſa [tot enim ſunt ut leviora prætream] juſtiſſimè ad ærarii utilitatem, puniri deberent, nihil tamen horum in facto hactenus obſervatum eſt, ſive etiamnum obſervatur, propterea à ſtrictiùs his inhærere, illasq́ue Imperii leges ſanctiùs cuſtodire conveniet, ac ſi quando tàm præfractè contra peccetur, mulctas à transgreſſoribus exigere ac in ærarium conferre. Illud modo ſupereſt, quis igitur tùm in his tùm ſupra dictis ærarii mediis, exactoris vices ſupplere debeat?

Reſpondeo, Præfectos quorumcunq́ue locorum eo nomine, Sacræ Cæs. Majeſtati, totiq́ue Imperio, poſſe peculiari juramento devinciri, quòd exactoris officium

cium tanquam munus publicum, pro quo Imperatoris & Imperii gratiam ac remunerationem, secundum functionem & rei circumstantiam expectent, fideliter & sub pœnâ infamiæ ac confiscationis bonorum, perfidiæ imponendæ in se sint recepturi.

Excepto secundo casu sc. exactionis vectigalium, quæ res cum à vilioribus personis soleat vulgo expediri, conveniet etiam, his talibus & quidem per modum muneris publici ac regulariter gratuiti, exactionem istam vectigalium Imperii immediatam, præfectis verò locorum exactæ pecuniæ inspectionem & custodiam committi.

Ab his deinde Præfectis, Subofficiales illi, quos supra dixi, publicas istas pecunias ex dictis, vel si qui similes placent, iis etiam proventibus redactas, acciperent, & ad superiorem ærarii Rationalem, locumque Consilii Status perferrent, pro quo labore tum Rationalem istum tùm ipsos, non ut hactenus usitatum fuit, adeò nimia, sed moderata ac functioni proportione quadam correspondentia sortiri salaria æquum foret.

Quan-

Quanto autem numero Suboffi-ciales isti, constitui debeant, in arbitrio pro circumstantiis & negociis determinando positum est, ac de hac ærarii materia, pro præsenti instituto satis dixisse videor, nunc paucis, quæ in consequentiam hinc emergunt interjectis ac discussis, ad Capitulationis Cæsareæ discursum accessurus.

CAPUT XVII.

An & Quousque introducto & stante Ærario, præcedenti capite descripto, Circulis Imperii & Matriculâ adhuc opus foret?

HÆc quæstio peculiarem tractationem videbatur exposcere, ideoque etiam libuit illam præsenti capiti, ubi specialius discuti posset reservare, nec enim dubito fore, qui ob hanc eandem causam, præcedentem discursum meum de Ærario, improbaturi sint, **werden ihn für ohn** *practicabel* **halten** / quòd sic tollerentur Circuli & Matricula Imperii, quibus me obviam iturum spero, his ipsis, quæ nunc explicatiùs dicentur.

Et

Et quidem Circulos quod attinet, notum est illos primum fuisse introductos à Max. I. Imp. probabiliter ex ratione Status, quam supra *cap.* 2. tetigi. Hos Circulos, si quis sentiat, jam inde ab origine suâ vix tantùm profuisse Germaniæ, quantum eos propter oportuit impendi pecuniarum, me certè non admodum habebit repugnantem.

Sed illud quidem ad historias remittam, quid intra sesquisæculare tempus & quod excurrit, per Circulos vel in pace, vel bello gestum sit, dummodo tamen semper perpendatur si quid gestum est, ecquid his iisdem sumptibus, geri verosimiliter potuerit, in aliâ militiæ ac rerum gerendarum facie. Veniunt enim hodiè Germanici Proceres ad Comitia magnis impensis, ibi si quid tandem conclusum est, frequentiis, cum primis in bellicis negociis, itur ad Diætas Circulares adeoque sc. duplicatis sumptibus! Quamobrem? Ut Comitialia placita, executioni congruè mandentur.

Liceat vero mihi hic facere, quod solent pictores, lineamenta egregiæ picturæ, im-

ræ, imitationis gratiâ ſtudioſiſſimè conſiderantes, & pictura hæc ſit antiqua Romanorum Respublica illa toties devictis hoſtibus triumphatrix, de qua quæro, ecquod conſilium publicum habuerit & ubi? Romæ dices ecquod ærarium ac ubi? Ibidem Romæ & unicum quidem. Iterum interrogo, quibus mediis decreta publica Senatus vel Populi Romani, quondam ad executionem pervenerint?

Non certè reſpondere poteris, ope Circularium conventuum, vel Provincialium, qui nulli fuerant, ſed immediatè à Curiâ ad gladium, ad delectus militum venire ſolitum erat. Itaque unus idemque locus & Comitiorum tunc extiterat, & ærarii & delectuum, ac credi poteſt, citius tuùc conſcriptum fuiſſe Romanum exercitum, quàm noſtrâ ætate, à Principibus Directoribus literæ denunciatoriales conventus Circularis gratiâ, in Membra Circuli dimanent. Si quis verò amplitudinem Romæ antiquæ cauſetur, ex quâ facilius, propter civium multitudinem, licuerit comparare exercitum, intermittam diſputare, annon etiam hodiè ex unâ

vel

vel alterâ Germaniæ urbium, licet cum veteri Româ minimè comparandarum, saltem tantus exercitus colligi è vestigio possit, quantus post longas deliberationes Circulares denuò institutas vel tandem ægrè confluit.

Sed hoc tantùm dicam, posse hodienum ab Imperio & Imperatore vel unum vel plures Duces belli, statim post Comitialia placita delectuum causâ mitti, ut in Provinciis Imperii intra destinatum tempus, certum numerum militum, cæteraque necessaria publicis pecuniis colligant. Quid igitur in illa re opus sit novis ambagibus Circularium conventuum ac novis istis sumptibus?

Cæterum, ut ad rem perveniam, Circulos vel in illum finem retineri conveniet, ut tantò magis constet civium Imperii numerus, in suos ordines digestus, ex quo etiam distinctiùs appareat annuorum Reip. proventuum summa, ex collatione illâ subalternativâ, de quâ superius, ærario inferenda. Deinde milites publici perpetui, forent per Imperii Circulos divisi, haberentur etiam tot Præfecti militum

sc. Creyß-

sc. Creys-Obersten præsertim tempore pacis, quot circuli, qui tamen omnes subessent Imperio Ducis Generalis; & hæc ratio faceret ad excludendam insolentiam militarem quam fortè milites absente Duce in provinciales vel subditos Circulares, exercere præsumerent.

Et quanquam [3] officium Principale Directorium, vulgò das Creiß-Fürsten Amt/ in non multis requiri ulteriùs videretur, supereſſent tamen diversa curæ Circulari adhuc committenda v. g. si fortassis unus vel alter præfectus conniveret licentiæ militum, haud abs re inspectio Imperii nomine mandaretur Duci insignis autoritatis de Circulo, qui illum & per se corrigendi & Ducis Generalis, vel Consilii Status assistentiâ gravius puniendi, aut pro rei qualitate & circumstantiis planè ad ipsum Imperatorem & Imperium negotium & gravamina deferendi facultatem habere posset.

Inquis; ista disciplinæ conservatio vel inspectio erit nimis lenta, ac subditi interim injurias & exorbitantias militares patientur. Respondeo, quò certiores pœ-

res pœnas milites, casque graviores expectarent, quoque magis præfectus illorum multiplici inspectione superiori se constrictum cerneret, eò minus vel milites ausuros, vel præfectum ex indulgentiâ, neglecturum aut impunè quicquam admissurum videri. Quin si res exposcat, non gradatim sed simul fieri ista vel similia poterunt ut moræ declinentur.

Porrò sive in hac, quæ præsens est, sive in illâ, de quâ hactenus disserui, rerum dispositione, utrobique constat, Circulorum redintegrationem ac perfectionem esse necessariam, 1. ut omnes partes Imperii Romano-Germanici, sub illis comprehendantur 2. ut Circuli concinniùs ordinentur, nec ad unum eundemque comembra longissimis sæpè intervallis, invicem distantia cooptentur. 3. ut distinctè pateat, quis Status ad quemque Circulum pertineat & ratione quarum possessionum.

Primum quidem ideò, ne inducatur mira confusio, plerisque Provinciis vel partibus Reipublicæ in Circulos divisis, aliis autem exclusis, ut est v. g. Regnum

Bohemiæ, item Ducatus Mantuanus & alii quidam per Italiam reliqui districtus, in quibus Dux Sabaudiæ, hodienum vacante Imperiali solio, jure Vicarii gaudet, uti videre est ex Capitul. Augustiss. Nostri Imperat. *art.* 4.

Secundum verò ideò quia si commembra ejusdem Circuli, nimis invicem separentur, difficulter convenire possunt ad mutuum auxilium, loquendo sc. de præsenti dispositione, vel saltem valdè incommodum est, Circulares exactiones, ex locis [tam dissitis & longinquis colligi. Itav.g. vigore declarationis Pacis Publicæ, per Carolum Quintum Imperatorem de Anno 1522. factæ *tit.* Hernach folgen/ꝛc. omnes Austriacæ domus provinciæ jam tùm hæreditariæ, juncto Comitatu Tyrolis constituunt Circulum Austriacum, hæ autem ditiones Austriacæ, non tantùm longis terrarum spatiis, sed & interjectis complurium Statuum Territoriis, ab invicem internoscuntur. *vid. Zeil. de decem Circ. Imp. Rom. Germ. Tit. I. p.* 3. & 4. Qua ratione igitur respiciendo rerũ, quæ nunc obtinent, faciem Circulus iste ratione par-

ne partium ſuarum, ad mentem Conſtitutionum Imperii, celerrimè coëat, ac imploratum ubiq́ue præſtet commembris ſuis ſubſidium?

Deniq́ue Tertium evitari pariter nequit, ejusq́ue neceſſitas per ſe ſatis eſt conſpicua, niſi velimus confuſionem ſive contributionibus publicis, militiæ ſive aliis quoq́; paſſibus nocituram in Circulos inducere, quæ profectò contingere faciliùs poteſt ratione Statuum minorum, de quibus iſthæc declaratio Carolina in multis nihil ſpecificè determinat quis nempe Comes Prælatus &c. ad hunc vel illum Circulum pertineat, ſed poſt enumeratos Electores ac Duces, utitur plerumq́ue verbis generalibus; **Sampt den Prälaten/Graffen und Herrn/ſo unter ihnen geſeſſen** ut in Circulo Rhenano inferiori, itidemq́ue in Circulo Franconico; **Sollen die Biſchoff von Bamberg/Würtzburg/Eyſtätt/die Marggrafen/von Brandenburg/auch die Prälaten/Grafen Herrn/Frey- und Reichs-Stätt/ umb oder bey ihnen geſeſſen und gelegen auch einen haben.** Quod ipſum per æquipollentia repetitur etiam in aliis, ſicut ibi cernere licet; jam ſi

qui ex Statibus illis, sunt contermini diversorum Circulorum Principibus, quod ad Recessum istum vel declarationem Imp. attinet, dubium certè relinquitur, ad quem Circulum iidem pertineant, cùm si rem ipsam inspicias dempto usu nec ex vicinitate, nec feudorum vinculis, quæ sæpè pro nullâ parte magis militant, fermè nihil allegari posse videatur, cur ejusmodi Status, ad hunc quàm illum Circulum magis debeat associari.

Unde de facili ac in multis rebus, exoritur erronea confusio, prout quidem contigit, in causâ der Steinhäuß. Creditorn contra Hohenlöe/ qui aliquando in Cameræ Imperiali, per erroneas preces impetrârunt mandatum de exequendo adversus Principes Directores Circuli Suevici, wider die Schwäbische Creys Auschreibende Fürsten/ idque ex nullâ aliâ ratione, quàm quia Comitatus Hohenloicus, in confinibus Sueviæ & Franconiæ situs, dubium fecerat, utrius esset Circuli. Itaque debuerunt isti creditores, ostenso errore adversus Principes Directores Circuli Franconici, quippe sub quo Comitatus Hohenloicus continetur petere rescriptum

ptum *Mand.* ut deinceps progredi liceret, cujusmodi incertitudinem nemo negabit etiam in aliis negociis accidere posse.

Quod si itaque volumus tria isthæc redintegrandorum Circulorum requisita paulò superiùs exposita in Reipublicæ commodum inducere, opus esse videtur primò, ut Circuli plures constituantur quàm decem, vel istâ saltem ratione, quòd partes Imperii supra commemoratæ sine mirâ confusione ad decem istos Circulos hodiè constitutos, revocari nequeant. Ergò oportet profectò plures Circulos introducere, si omnes Imperii partes quæ jure & ex antiquo ad illud pertinent, sub Circulari dispositione debeant comprehendi.

Secundò necessum est dividi illas terras, quæ à principalioribus Circuli cujusdam districtibus nimis distant, & aliis Circulis vicinioribus ea propter adjici vel incorporari; nam hac ratione isti defectui consuletur, ne sc. militia Circuli sive in hac rerum facie versaremur sive ad modum supra traditum per Circulos Imperii, & per Provincias miles publicus per-

petuus divisus propter interjecta terrarũ spatia, hinc impedimentum qualecunq; sentiret. Tertiùm verò quod restat, jam ex dictis sufficienter apparere potest, nimirum ut constet, ad quem Circulum quisque Status pertineat, non erit prius remedium ullum, quàm speciatiùs declarare ac Circulorum Constitutioni expressè addere nomina quorumcunque cumprimis verò etiam minorum Statuum.

Hæc sunt illa, quæ de Circulorum defectibus ac redintegratione placuit in medium adferre. Quanquam Instrum. Pacis, quo loco hujus redintegrationis meminit fortè non ita ad modos tollendi defectus, quàm ad novam aliquam repetitionem Circularis Constitutionis, vel Ordinationis de exequendo, quam quidem aliàs etiã sæpiùs renovari contigit, ut in Comit. Imp. de Anno 1559 1564. 1566. &c. respexisse videri queat.

Id quod illum finem habet, ut Constitutiones tantò minus in desuetudinem veniant, si subindè per expressam sanctionem in memoriam revocentur, ac publicis Im-

eis Imperii Receſſibus inſerantur, an verò finis alioquin intentus per hoc ipſum medium obtineatur de eo diſſerui ſuprà ſuo loco.

Addo hoc tantum ad primum iſtum punctum de redintegrandis Circulis non inſulsè dici poſſe, ſi Resp. niteretur nervis rerum gerendarum fuſiùs jam adductis, cumprimis autem Conſilio Status ac Publico & perpetuo milite, Circulares diſpoſitiones haud fore ſimpliciter neceſſarias, quaſi ſine illis Respublica ſubſiſtere non poſſit, ſed tantum Circulos ad benè eſſe pertinere, ob eos ſcilicet fines, qui hoc eodem capite paulò ante fuerunt propoſiti.

Tranſeo nunc ad ſecundam partem Rubricæ, quæ eſt de Matriculâ & ejus cognitione, ſi loqui licet ex præſuppoſito Ærarii publici ante deducti; non eſt autem obſcurum, utiqúe adhuc opus fore Matriculâ, & vel maximè, quamvis eſſet erectum publicum Ærarium, præcedenti capite deſcriptum, ſtatim enim primum medium conſtituendi Ærarii fuit alternativa iſthæc contributio eaq; moderata, cũ itaq; citra dubium interſit Reip. æſtima-

rifacultates contributioni obnoxias juſtâ quadam proportione, videt quilibet adhuc requiſitum iri quandam taxationis normam, quæ eſt Imperii Matricula.

Sed quia locutus fui de iſtâ contributionis ſpecie, quæ prævia alternatione ac tolerabili noſtris temporibus moderatione, in multis haud abſimilis appareret præſertim quod ad objectum vel bona contributionis attinet, priſcæ iſti collectationi, quam dixerunt, noſtro Idiomate, den gemeinen Pfenning/hinc potiſſima difficultas redundabit ad æſtimationem vel taxationem rerum mobilium, quemadmodum nempe proportionale hîc juſtum & æquum obſervetur?

Cum enim cernamus jam inde à tot annis Matriculam, quæ hodiè habetur, nunquam emendatam, vel perfectam ſatis fuiſſe, etiamſi ad immobilia Imperii bona tantùm pertineat, quid quæſo non fiet circa taxandas, hinc inde per Imperium res mobiles, aut quinam erunt æſtimatores illi, vel peræquatores, qui negotium iſtud fœliciter confecerint?

Reſpondeo primùm, quod ad immobilia

mobilia attinet, retinendam quidem, & si fieri tandem queat, emendandam ac perficiendam, quæ nunc est, Imperii Matriculam; in mobilibus verò non esse requirendam rigidissimã æstimationem, sed satis fore, ut per certos visitatores in facultates inquiratur, illæ æstimentur secundum pretia communia ac in dubio semper tolerabiliora, quæ sanè cura percensendi opes maximè subditorum Imperii, Statuum Præfectis & Officialibus videtur committenda sub fide juratâ, utpote cum illi optimè hujus rei possint comparare notitiam.

Quod verò attinet Status ipsos inquisitio isthæc facultatum non tam præter necessitatem, quàm præter decorem esse videbitur, ut ita standum credideris assertioni eorundem & pietati erga communem Patriam ac pacis publicæ conservationem. Ex his itaque, quæ dicta sunt, duplicem Matriculam perspicimus emersuram certam illam & magis constantem respectu bonorum immobilium, quæ faciliorem scilicet admittunt taxationem, alteram magis incertam & singu-

lis fermè vicibus inquisitionis necessitati obstrictam ac suo respectu arbitrariam, quæ secunda species Matriculæ quoad res mobiles haberetur.

Jam si quis vereatur fraudes, ne per illos, quibus ista res & inquisitio committitur, non obstante juramento, vile nimis & forte ultra modum tenue pretium indicetur, constituendæ sunt pœnæ adversus transgressores ut de suo justum contributionis pretium suppleant ac præterea infamiæ notam subeant, pro gravitate admissi, adhuc severiùs plectendi. Objicis, quis dabit istis Præfectis salaria pro hoc Imperii suscepto onere?

Ad hoc reponi potest aut idem dicendum esse quod præcedenti capite de exactione ac inspectione communis per Imperium vectigalis aut certè quo integrior isthæc pecunia in ærarium veniat, tunc demum si quis pluribus annis hunc laborem susceperit, honorarium aliquod moderatum statuendum. Porrò quoniam opes diversis temporibus variant pretia etiam rerum non semper eadem permanent, ob eam causam æquitas exposcere vide-

re videtur contributionis normam proportionali modo se habere, maximè verò respectu mobilium, ut si fortassis vilioris veneant, ejus rei in contribuendo ratio sumatur ac moderamen dehinc aliquale indulgeatur.

Cæterum cum ex altero capite hæc talis diminutio, posset per multorum fraudes in malam consequentiam trahi ac ipsi Reipublicæ in detrimentum cedere, fortè satius foret, eò moderatius res ipsas ab initio æstimare, ne deinceps quis facilè audiatur, aut conquerendi ansam arripere possit.

Qua in re iterum existimo non omnia sub rigorem revocanda, sed satis fore ut facultates, si non strictissimè omnes, saltem pleræque in taxationem veniant, uti quidem verosimile non est tempore collectationis deß gemeinen Pfennings potuisse ad obolum cuncta æstimari, cum patrimonii quantitas, præsertim quatenus mobilia & pecuniam numeratam respicit, sæpe numero celetur, & apud multos in obscuro habeatur.

Satis itaque sit Matriculam Imperii haberi,

haberi eo gradu perpetuitatis, quo haberi poteſt, nec faeilè admitti in moderatâ ac rariore contributione querelas detrectantium. Quod ſi volumus Rempublicam à moleſtiis taxationum magis eximere, promptus foret modus capitationis ſuperius relatæ, ut ſc. ſinguli ſubditi, quando quemque Circulum ordo contribuendi tangeret, certi quippiam ærario pendant.

Verum quia diſproportio hinc oritur inter divites & pauperes cum hi non minus, quàm illi ad hunc modum, onus ſentire deberent, huic malo proſpici inde poteſt ſi pro ratâ patrimoniorum ſumma contributionis poſtmodum dividerétur ac divitibus & pauperibus proportionaliter ferenda aſſignaretur, adeoque exceſſus à pauperibus interim agnitus per divites refunderetur.

Qua ratione dictum fuit in capite precedenti, capitationem cum repartitione illâ ſumtam, quaſi incidere in ſpeciem collationis mixtæ & ab initio eſſe ſecundum capita, ex poſt facto verò ſecundum vires patrimoniorum conſideratam ut

ſic ni-

sic nihilominus servetur æqualitas; & modus iste contributionis certè videtur concinnior magisq; appositus, dum sic Respublica à molestiis taxationum foret libera, nam præfecti locorum à singulis exigerent certam pensitationem & postmodum secundum numerum Capitum subditorum unam summam contributionis conficerent ac juxta modum cujusque patrimonii sibi probabiliter noti, hanc talem summam inter subditos repartirentur.

Adjecissem etiam aliquid de moderatione Matriculæ, secundum statum præsentem instituendâ h. e. si Respublica nec Ærarium fixum, nec Consilium Status, nec Publicum militem &c. videt, verum quia ist hæc res satis jam est in Recessibus Imperii & sæpius disposita, & tantùm in eo hucusque defectus extitit, quòd manus operi non sit admota, noluipassum istum emendandæ Matriculæ secundum præsentem statum, de superfluo attingere, existimans boni Germani ac patriam verè amantis esse hac in re apprecari, ut quæ jam ab antiquo benè placuerunt, tandem aliquando benè fiant.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Capitulatione Cæsareâ perpetuâ introducendâ.

NOtum est, in Germaniâ ab antiquissimis jam temporibus obtinuisse, ut Cæsar ab initio assumpturus Imperii habenas, Ordinibus, certis pactis ac conditionibus sese devinciat, ac in vim juramenti polliceatur, se eorundem Regalia, dignitates, præeminentias, & jura conservaturum, nec ullo modo adversus patriam, consuetudinem legesvé Imperii fundamentales violaturum.

Hæc seu lex seu consuetudo Germaniæ, quo tempore primùm inceperit & quemadmodum, conjecturæ sunt non unius generis; antiquissimam verò esse nemini potest esse dubium, quandoquidem tot numerare jam per longa tempora licet Imperatores, qui omnes hoc Germaniæ jus Regium exemplo suo comprobârunt, de cujus rei antiquitate meminit Münsterus in sua Cosmographiâ, cùm dicit, inter veterrimas Germaniæ Leges hanc aliquam fuisse, ut

Cæsar

Cæsar sese firmiter Imperio obligaret, ac moderationem certam regiminis repromitteret, cùm primùm rerum gubernacula vellet suscipere.

At annon anteà etiam idem consuetudine quadam obtinuerit, ibi non negatur potiùs ut Aureæ Bullæ circa negotium electionis Cæsareæ ac nonnullis aliis publicis legibus accidit; ita hîc etiam illa Lex Cæsarea, juxta usum anteriorem lata fuisse videtur. Crediderim sanè, Imperatores priscos Romano-Germanicos, qui adhuc solutiùs imperitaverunt, ac propè ad Monarchiam accesserunt, primùm liberè magis, ut nimirum tantò majorem de se facerent, spem ac confidentiam, Ordinibus promisisse, quòd velint justè ac moderatè suo defungi munere; postmodùm vero hoc idem pedetentim, cùm & Ordines majoris inciperēt esse autoritatis, e aq; res per tot Imperatorum exempla continuaretur, demùm in jus transiisse.

Quicquid sit, illud omninò constat, non certam aliquam sese obligandi formulam, publicè extare, sed solitos fuisse Status Imperii, quoties novus Cæsar eligendus,

gendus esset, novam quoque desiderare Capitulationem, cui is conforme regimen semet acturum, fidem stipulatam interponeret; ex quâ adeò re contigit, ut habeantur diversorum Imperatorum diversæ Capitulations ac quamvis sequiora tempora, in formandis Capitulationibus, plerumque aliorum exempla inspexerint, tamen pro re natâ, sæpe numero varia fuerunt superaddita, ita ut quò recentior quæque est Capitulatio, eò etiam plura ac strictiora videatur habere Capitula.

Quoniam igitur jura Statuum, quantum sc. illi de Republicâ participent, inter alia maximè ex Capitulationibus Cæreis, vagis nec uno schemate perpetuo conceptis debuerunt eluceſcere, hinc evenit, ut ferè nullâ publicâ ac certâ Lege comprehenderetur, quid quisque de Statibus, jure sibi asserere posset, quævé esset, inter tam varios Ordines cujusque participatio de regimine publico; sed debuit tota illa res, modò ex usu diversorum temporum incerto, ac Electoralibus aliisvé Comitialibus actis, variè observari.

Propter

Propter quam causam, desideratum est quandoque, huic rei conveniens adhibere remedium, sicut fecit suo tempore Sigismundus Imperator, qui in Comitiis Francofurtanis de Anno 1427. ad deliberandum proposuit. 1. quid Cæsaris officio in publicis, circa curam ac protectionem conveniat. 2. quid vicissim subditos oporteat Cæsari præstare 3. de juribus Imperii & justitiâ quemadmodum se habere debeant. 4. quæ sint jura vectigalium per Imperium, nec non nundinarum & negotiationum. Denique 5. quid ad officium Ducis ac Principis in Imperio, quo is justè muneri suo præsit, pertineat.

Dicitur igitur Sigismundus Imperator, firmâ aliquâ ac constanti Sanctione, Cæsaris ac Ordinum jura publica & officia voluisse suffulcire, ac Imperii administrationem publicam, ut tantò certiùs ac rectiùs omnia haberent, in aliam faciem & formam componere; sed ea res tamen ad plenum effectum, non fuit perducta, ac ex illo usque tempore, quæ essent Cæsaris vel Ordinum in administratione Imperii jura vel officia, quæque

sunt id genus alia complura, perpetuâ & constanti sanctione nondum habemus obfirmatum, sed singulis ferè eligendorum Imperatorum vicibus, enatæ sunt singulæ ac diversæ Capitulationes.

Quapropter, cum multa juris publici capita in Instrumento Pacis, partim tractata, partim ad tractandum fuerint proposita, inter alia etiam placuit; fieri perpetuam aliquam Legem Imperatoriam seu Capitulationem, & quidem Comitiis tùm proximè subsecuturis, sed secutis posteà illis hæc materia, ad ulteriora & prorogata Comitia fuit rejecta, quæ ipsa, cum propter mortem Ferdinandi Tertii Imperatoris, impedita fuerint, hæc res, denuò derelicta est in suspenso.

Præsentibus Comitiis, iterum mentionem fecerunt Ordines Capitulationis perpetuæ ejusque compositionem ac perfectionem, adeò instanter petiverunt, ut etiam alternis vicibus, quamvis defensio Imperii ob bellum Turcicum, valdè necessaria appareret, hic capitulationis punctus tractaretur, dictumque inter alia fuerit; Man solle die jura Imperatoris & Statuum

tuum

tuum, durch ein beſtändige Wahl Capitulation feſt ſtellen/idque ideò, quòd Capitis & Membrorum major eſſet & arctior ad publicam ſalutem unio.

Verùm hanc materiam, priusquàm penitiùs aggrediar, operæ pretium ſit ſecernere, ac de quibus rebus utile ſit componi publicam perpetuamque Legem Capitulationis, in anteceſſum exquirere. Quædam igitur ſunt, quæ ad temporum varietates, convenit applicare, adeoque relinqui in incerto; quædam verò publici juris capita, magis expedit determinare, quòd alioquin propter incertitudinem in Republica excitare poſſint turbas.

Quæ prioris ſunt generis, non oportet inſerere Capitulationi perpetuæ, aut certè non ita circumſcribere, ut deinceps emergente in contrarium caſu, manus habeamus vinctas; quæ verò poſteriora illa reſpiciunt, potiſſimum debent fieri objectum Capitulationis illius conſtantis.

Ad priora exempli loco pertinent; quem numerum militum publicè ac perpetuò alamus, quanta & quibus fortalitiis

præsidia imponamus, quot tormenta publico sumptu, comparata haberi conveniat, quanta additio, necessitatis tempore fieri debeat ad publicas collationes, & similia. In his enim leges universales non prosunt Reipublicæ, sed committenda eadem sunt temporum varietatibus, quia, etsi expediat v. g. haberi perpetuò publicum militem & præsidia Urbium &c. tamen pro circumstantiis temporum & Reipublicæ conditione, variare interdum potest numerus, ut major requiratur vel minor.

Econtrariò in his & similibus passibus, veluti quam potestatem Cæsar & Ordines Imperii vindicent sibi in publicis, sitnè electio Cæsarea liberi vel restricti vosi, & quæ id genus sunt alia, utilius est haberi certam publicis sanctionibus determinationem, ne alioquin, cùm res agendæ sunt, ex his talibus incidat, vel impediat aliquis scrupulus.

Prænoneo autem secundo loco, Capitulationis Cæsareæ perpetuitatem per se & præcisè sumptam, illud non præstituram, ut vel ex parte Cæsaris vel

vel ex parte Ordinum, absoluta possit esse securitas de pace ac tranquillitate publicâ. Utra enim pars voluerit, si modò nil aliud obstet, non magis stringetur perpetuâ, quàm personali Capitulatione, ut omnia agat ex legum præscripto, ceu illam rem suprà deduxi fusiùs. Verùntamen si superiora remedia adsint, expediet saltam, rescìri ac certâ fundamentali sanctione comprehendi Reipublicæ constitutionem, quæque publica tùm Imperatoris, tùm Ordinum variorum munera sint & potestas.

Secundùm hæc itaque non absre fuerit, paucis sanciendæ perpetuæ Capitulationis puncta percurrere, ac primo quidem loco, statuendum videtur; Imperium Romano-Germanicum esse ac permanere mixtum, & constare ex Cæsare tanquam Capite, ac Ordinibus velut membris, sic ut cuncta publica ab his dependeant, ac Cæsar unus, quantum omnes Ordines junctim, intelligendâ per omnes etiam majori eorum parte, in Comitiis valeat, & neutra pars plus juris sibi sumat, quàm altera; Cæsarem tamen Privilegio-

rum & jurisdictionis fontem adhuc fore, adeò ut ab eo hisvé quibus ipse secundum leges facultatem jurisdicundi commiserit & in Camerali judicio simul ab adjunctis Ordinũ nomine Assessoribus, regulariter singuli Status jus accipiant, quoad majora feuda v. priscũ judicium formetur.

Deinde cum Status Reipublicæ Romano-Germanicæ sit intrinsecè mixtus, cautela necessaria est, pro illis Imperii Ordinibus qui non sunt participes Ordinariorũ Conventuum Deputationis, ut in Capitulatione exprimatur, ne qua Deputatio talis, ipsis non prius consentientibus, indici & convocari possit. Status enim Reip. si contra fiat, ex eadem ratione, quam suprà de Maxim. Regimento deduxi, mutabitur in Oligarchicum, si quocunque modo complures Imperii Ordines, quamvis per indirectum, possunt etiam inviti à publicis excludi.

Tertiò inferendum videtur; Cæsarem eligi per Collegium Septemvirale, & natione Germanum, omninò tamen liberè & absque restrictione ad unam vel plures familias. Ob eamque causam omnimodæ eligendi libertatis ergò non est ligandus

gandus perpetuâ Capitulatione Cæsar, ut se sanctæ Romano-Catholicæ Sedis defensorem fore repromittat, nam perinde esset, ac si omnes Principes Protestantes in perpetuum se incapaces futuros Coronæ Imperialis faterentur. Ex quo enim sunt Protestantes, non possunt sedem Romanam recognoscere sanctam, vel igitur deberet fidem mutare, cùm quis eorum eligeretur in Imperatorem, aut remanebit ipsũ pro hoc Statu fama sequioris cõscientiæ, cùm ad illud vigore perpetuæ Capitulationis adigeretur, quod per religionem non posset admittere vel efficere.

Quapropter Sereniſſimi Electores Protestantes in nupero illo circa perpetuam Capitulationem facto ut vocant Projecto, hunc passum protegendæ Pontificiæ Sedis diserte exceperunt, nec in illam aliter consentire voluerunt, nisi ea res non cederet vel usurparetur in detrimentum Imperii. Verum enim verò etiam Catholicis Imperatoribus vel Regibus non usque quaque prodest jus illud, quod dixi protectionis, sed sæpius erupit in nervum, sicut accidit antehac familiæ Merovingæ

vingæ in Galliâ, è quâ ultimus Rex Chilpericus solio fuit, sub hoc prætextu detrusus, quòd Regno parùm esset utilis, & Pontifex Romanus nihil in eo ponere posset præsidii; ideoque Gallicum Regnum delatum fuit Pipino, ac deinde etiam ab Imperatoribus Constantinopolitanis saltum fecerunt Pontifices, sub specie omissæ protectionis, si non jure, saltem de facto ad Carolum Magnum Pipini filium occidentale Imperium transferentes, qui Carolus primùm armis & post etiam Imperatoris Constantinopolitani pactis illud sibi meritò vindicavit, & ad posteritatem transmisit.

Imò Pontifex non unâ vice, hâc ex parte, sese quadantenus voluit participem facere Cæsareæ electionis prætendendo, ad se spectare provisionem seu inspectionem quasi superiorem, ne Ecclesia diutiùs destituta sit defensore. Potissima autem ratio, cur protectio illa non sit in rem Imperii, sive loquamur de Catholicis sive Evangelicis Ordinibus, ea est, quòd hac de causâ Imperatores, non rarò multis & magnis se exponere deberent bellis,

cùm

cùm sc. in protectionem accerserentur à Pontifice, sicut v. g. testantur exempla Caroli Magni, Ottonis, & aliorum, quâ adeò ex re accidit, ut quoties Italia, vel Sedes saltem Pontificia bellum haberet, toties Germania nostra communem sortem deberet experiri non autem contrà.

Ac priscum quidem Germaniæ Imperium, duplici ex causâ faciliùs potuit protectioni isti deferre; 1. quia tunc temporis Imperatores magnâ ex parte, publicis mediis absque Statuum collectatione bella gerebant; hodiè verò media isthæc & proventus publici, qui Imperii nomine, Imperatori anteà competebant, non ampliùs extant. Unde fit, ut multò majori in commodo hodiè, quàm antehac, sæpe dicta Pontificis protectio ab Imperatore suscipiatur, vel à Statibus approbetur, præsertim si consideremus, ærarium publicum, de quo paulò antè nondũ extare, nec si extaret, in usum Pontificis sed ipsius potius Imperii convertendum fore.

Deinde 2. Res Italiæ olim adhuc spectabant ad Germaniam, imò ipsa Pontifi-

cis Romani electio, olim & usque ad Henricum Tertium Imperatorem, absque controversiâ pertinuit ad Cæsares Romano Germanicos, ab illisque etiam fuit exercita. Meritò igitur Imperatores Pontificem Romanum tùm temporis protexerunt, tanquam sibi subjectum. Quin etiam sequiori ætate, cùm Henrico Quarto primùm, ejusque successoribus jus istud eligendi Pontificem, de facto disputaretur, nec ampliùs, aut certè non sine contradictione competere atque exerceri inciperet, plures Italiæ Civitates adhuc parebant Imperio.

Unde ejus temporis Imperatores vel illam saltem causam habuerunt, non abnuendi protectionem Papæ, ut quæ sua erant in Italiâ, tantò promptius possent conjunctâ manu defendere, aut certè cum suis rebus in Italiâ debebant adesse, minus incommodi habuit, si Pontificem quoque tuerentur. Ut plurimùm enim, cùm Pontifex indiguit Cæsareâ ope, fuerunt per Italiam magni motus, & ideò etiam Cæsareæ ditiones desideraverunt domini sui armatam præsentiam; sed hodiè

diè quid supereſt Jtaliæ, quod ad Germaniæ Imperium, paucis exceptis, re adhuc & ipſo uſu ſpectet?

Sanè enim jam inde à Rudolphi Primi temporibus, qui turbulentas Jtaliæ res, ne vires ſuas diſtrahere cogeretur, Germaniæ adminiſtratione contentus, ferè primùm omiſit, perpauci fuerunt Imperatores, qui Jtaliam intrarent eo animo, ut jus Imperii & priſtinam autoritatem, collapſam, reſtaurare poſſent, imò etiam his, qui illud tentârunt, præter Carolum Quintum, nemini ad finem usque fortuna reſpondit.

Potuit fortè etiam Henricus Septimus victoriâ potiri; ſed ex inſidiis Florentinorum, citiùs fuit veneno necatus, Ludovicus verò Quintus à Pontifice excommunicatus, & Maximilianus Primus variis difficultatibus diſtentus. Ob eas itaque cauſas, quas recenſui Papæ Romani protectio non debet ampliùs tantæ curæ eſſe vel Cæſari vel Imperii Ordinibus, adeoque nec expedit, illam inſeri perpetuæ Imperatorum Capitulationi.

Porrò quoque Legibus perpetuæ Capitu-

Capitulationis comprehendendum videtur ; Cæsarem fieri præcisè per electionem, adeò ut etiam nec expectatâ Pontificis coronatione, cùm primùm is est electus, publicam administrationem Majestati & officio suo convenientem possit susscipere ; antehac enim Pontifices Romani prætextu hujus coronationis multas turbas dederunt in rebus Germaniæ, quin eò etiam processerunt conaminis, ut Imperium Romano-Germanicum, per Imperatores ab se in feudum, recognosci debere asserent.

Quâ de re graviter conquestus fuit Ludovicus Quintus Imperator in Comitiis Francofurtanis de Anno 1339. decretumque ibi consensu Ordinum, Cæsaribus jus ac titulum Cæsareum, tribui præcisè per ipsam electionem, nec desiderari ad exercitium officii Imperatorii, ullam Pontificis confirmationem vel consensum neque coronationem Augusti ab eodem susceptam aliud quid esse, quàm ritum quendam & nudam ceremoniam, quæ confirmationis nomen & naturam nequaquam sapiat.

Hoc

Hoc tamen non obstante, vetustum illud desiderium superioritatis in Imperatorem, reliquum permansit in animis Pontificũ, sicut Paulus Quartus adhuc suo tempore, instaret Carolo Quinto Imperatori habenas Imperii ex ultroneo motu deponenti, ut illud in manus ipsius Pontificiis resignaret, sed cassæ fuerunt apud prudentem Imperatorem hujusmodi preces, nec Pontifex vel hinc vel aliunde prætensi illius dominii directi ac superioritatis jam à trecentis retrò annis ullum præjudicium saltem apparens, pro se allegare potest.

Convenit igitur prædictam Lud. Quinti Imp. Constitutionem, quæ jam tùm temporis placuerat, repeti, ac in Capitulatione perpetuâ denuò poni. Verùm quia Imperatoria administratio, exerceri debet, salvis Statuum juribus ac privilegiis, hinc oportebit breviter exprimere; qui Ordines, quæq; jura ac privilegia teneant, additâ hac cautelâ, si quid contra eadem concessum indultùmvé fuerit, ut idem ipso jure nullum atque irritum habeatur, Imperatoris facultate elargiendorum

rum

rum privilegiorum de cætero haud imminutâ.

Porrò quoniam historiæ testantur, multoties in Imperio depositos fuisse Cæsares, eaque propter turbas excitatas, quæ Rempublicam graviter conquassaverint, constituendum videtur ac in Capitulatione Cæsareâ exprimendum, ne hoc aliter, nisi de consensu universi Imperii imposterum fiat. Electores enim, quamvis ob tacitam vel Lege olim expressam, cæterorum Ordinum suffragationem, soli Imperatorem eligant, tamen reliqui Status ipsis hanc prærogativam haud detulerunt, ut possint etiam soli Imperatorem deponere, sed tanta res committenda est universorum Statuum suffragiis, neque aliter, nisi ex causis urgentissimis, cujusmodi adfuerunt in depositione Wenceslai Imperatoris, & publicæ tranquillitatis ergò approbanda & ineunda.

Quinimò fortè dubitabitur, an ullâ ratione, & quemadmodum Cæsar possit deponi solio, cum sit Rex legitimè electus, qui inprimis ad minimum medietatem de Republicâ participat? Ad quod

desu-

desuper præcipuè facit, quòd ne Principem quidem ipse Cæsar, absque Comitiali Ordinum consensu queat exauctorare, & quod adeò, etiam in cujusvis Principis Cæsare longè inferioris depositionem, non altera tantùm Imperantium pars h. e. Ordines junctim sumpti, debeant consentire, sed Imperator simul & Status, sicut animadvertimus accidisse in exauctoratione Henrici Leonis, & aliorum, quòd si contrarium fiat vel ex parte Cæsaris, vel ex parte Ordinum, videtur fieri de facto.

Respondeo Cæsarem dato casu non tam deponi ab officio Cæsareo, quàm Consensum delati Imperii ob notoriam contravention em legum fundamentalium tacitè resolvi, ut accedente totius Imperii declaratione, ipso facto censeatur, desisse esse Imperator, seque suâ Majestate mutilâsse. Quod ad Ordines verò attinet, recognoscunt illi singuli suam dignitatem, titulum & feuda, simul ab Imperatore & Imperio. Unde mirum non est, in casu privationis vel depositionis, requiri consensum Cæsaris & Imperii declarativum.

Brevi-

Breviter igitur recapitulando, quæ reſpectu Imperatoris videntur inſerenda perpetuæ Capitularioni; Quædam concernunt ejus in Republicâ poteſtatem, veluti quòd in publicis negotiis Comitiorũ, cęteris Statibus quarumcunq; dignitatum junctim acceptis, poteſtate ſit æqualis, & quòd ſimiliter ſit fons jurisdictionis ac privilegiorum &c; Quædam verò aſſumptionem, videl. quòd eligi debeat per Collegium Electorale ac ex eo præcisè absq; coronatione Pontificiâ, acquirat titulum ca Majeſtatem Cæſaream; Quædam porrò reſpiciunt Imperatoris jam electi, & in illâ ſuâ poteſtate conſtituti, officium & adminiſtrationem publicam, ut, quòd Cæſar debeat tàm in publicis ſeſe gerere legibus Imperii fundamentalibus conformiter, quàm etiam Statibus Imperii & privatis ſecundum jus, & ex æquo, juſtitiam diſtribuere, cum primis verò Ordinibus ſuas dignitates, Regalia ac privilegia, ſarta tecta conſervare, nec illis ullâ ratione vel ſub quocunque prætextu derogare.

Deniq́ue quædam pertinent, ad paſſum depoſitionis, ubi cavendum, non licere

cere Imperatorem ſolio deponere, vel potius depoſitum declarare, niſi ſeſe ipſe turpibus factis, qualia Hiſtorici Wenceslao tribuunt, antea quaſi depoſuerit, ſeu depoſitum declaraverit, eoque Imperio indignum fecerit. Quin ne tunc quidem, cum hujusmodi factis, quicunque Imperator ſuam Majeſtatem corrupiſſet, ſeu Statum publicum, pacem ac tranquillitatem Imperii, ſubvertere ac convellere auſus fuiſſet, ne tunc inquam, quamvis his urgentiſſimis cauſis præſentibus, depoſitionis declaratoriam ad ſolos Electores, ſed ad univerſum Imperium ſpectare debere.

Porrò verò ex parte Ordinum, primò eſt exprimenda illorum poteſtas, quòd nimirum ſimul ſumpti, medietatem Reipublicæ ſibi vindicent, ſi non in omnibus ſaltem reſpectu Comitialium negotiorum adeoque in publicis idem ferè poſſint, quod ipſemet Imperator, ſic, ut una pars, ſine alterius conſenſu, ſtatuere vel decernere in Imperii rebus nihil queat.

Deinde quoniam in caſu, ubi Ordi-

nes invicem dissenserint, Comitialis eorum consensus colligi solet ex majoribus votis, declaratione opus est, quemadmodum ista suffragiorum pluralitas debeat intelligi, fieri enim potest. 1. Ut hinc quidem sint plura vota, si ea consideres collegialiter; at si in se spectes, adversam partem numero vincant, v.g. pone Collegium Principum in certo aliquo articulo convenire, & similiter tertiam circiter partem de Classe Urbium idem statuere, è contrà verò Electores cum majori parte Urbium, diversam tenere sententiam;

Sanè secundùm Curias, votorum pluralitatem metiendo, obtinebit posterior nempe Electorum sententia, eò scil. quòd major pars Urbium tacitè minorem trahat, & sic in effectu duæ classes consentire videantur. Verùm si ipsa vota dinumerare lubeat, prævalebunt sine dubio Principes, quia cùm in Classe Principum plurima vota, in Classe autem Electorum septem tantùm habeantur, fit ut tertia vel fortè adhuc minor Civitatum pars, Principum Curiæ suffragando accedens, majora efficiat singulatim considerata.

Desu-

Desuper 2. in eodem etiam Collegio, possunt esse tres quatuor, vel plures suffragantium sententiæ, ita quidem, ut una aliqua, compartione cæterarum, majora habeat vota, non verò respectu totius Collegii; v.g. pone Electorem Brandenburgensem & Palatinum peculiarem habere sententiam, vicissim consentire Saxoniæ & Bavariæ Electores, reliquos item Ecclesiasticos, a his diversum sentire, certè Ecclesiastici Electores suffragiis suis forent superiores priori modo, nempe tribus votis majora haberent, respectu reliquarum sententiarum, non verò ratione totius Collegi Electoralis, cujus respectu, ut majora fiant, id minimum quatuor Electorum vota debent concurrere, quemadmodum igitur pluralitas votorum explicanda veniat, utroque an alterutro, & utro modo ambiguum esse videtur? Et hi profectò articuli, haud sunt nullius momenti, possuntque multoties de facto evenire ac turbas dare.

Sed ut suo ordine, pro præsenti negotio procedam, circa priorem illam quæstionem, obtinuit illud vulgatum:

Duas classes consententes vincere tertiam, quod si ita est, non video rationem, propter quam de primo puncto dubitari ultrà possit, sed res erit expedita; videlicet in hunc sensim, ut pluralitas votorum præcisè debeat sumi à classibus, non verò ex numero Ordinum, verùm si quando, certè hodiè dubia est isthæc sententia.

Nam quo Superiora Statuum Collegia admittere nolunt Urbes Imperiales ad simultaneam re- & correlationem, cum enim Civitatum Curia in Comitiis de Anno 1654. opponeret, ex denegatione simultaneæ re- & correlationis erpi sibi in effectu jus voti decisivi contra instrumentum Pacis, respondebant Electores ac Principes: usum & exercitum voti decisivi non consistere in eo, quasi Urbes ad re- & correferendum simul debeant admitti, sed in eo, quòd etsi classes Electorum ac Principum, consenserint invicem, tamen concluſum esse, nihil dici possit, priusquam etiam Urbium consensus accedat.

Quâ sententiâ stante, certè apparet, majora

majora vota in Comitiis, non esse secundum Classes præcisè computanda, explicaverunt enim suam istam sententiam Superiora Collegia disertis verbis ad hunc sensum, quòd in casu finalis dissensus ab Urbibus, licet ipsa inter se consenserint, nullum habeatur Concluſum èx parte Ordinum, sed quòd tunc Imperator pro decisione ac interpositione sit implorandus. Non dicam autem nunc quid isthæc imploratio Cæsareæ interpositionis vel decisionis de plenitudine potestatis, in recessu habeat, deductum illud est ab aliis satis dilucidè.

Sed sententiam modò istam, quæ negat duas classes consentientes tertiam vincere, existimo, si benè perpendatur, non ita fore à rei veritate vel antiquitate alienam. Nam mos iste curiatim invicem agendi in Comitiis non est admodum vetustus, sed circa Friderici III. Imperatoris tempora demum cæpit. Quanquam verò exinde in tres classes Imperii Status' fecesserint, perque illas negotia publica deliberaverint, tamen ex eo non sequitur, quòd propterea numerus votorum in-

ipsis classibus non veniat attendendus.

Vult enim Instrumentum Pacis noviter *artic.* 5. §. *in causis.* 52. majora non esse attendenda in negotio religionis, vel quo simili, ubi Status ut unum aliquod corpus considerari nequeant. Ergò extra casus istos exceptos videtur obtinere regula, quòd Status sint considerandi ut unum aliquod corpus, licet salvis quoad modum agendi re- & correferendi classibus. Quod ipsum adhuc locum habiturum, etiamsi in puncto pluralitatis votorum præcisè numerus classium, non votorum in classibus spectandus sit, certè improbabilius esse credideris, secundum hunc sensum enim non tàm ut unum, quàm ut tria distincta corpora ipsi Ordines percensebuntur.

Simile exemplum suggerit Recessus Imperii de Anno 1512. §. Es sollen / ꝛc. ubi pro subjecto negotii Comitialis, ibidem propositi statuit Electores, Principes, cæterosque Status tanquam unum aliquod corpus, mox subjungit; und was dieselbe / so erschienen sind / oder der mehrer Theil aus ihnen / ꝛc. Endlich berathschlagen

gen und beschlissen werdē/dem soll von allen Ständen gefolget/ nach kommen und vollstreckt werden / ohn all wider Red und Weigerung. Ergò sicut personæ deliberaturæ ibidem sunt omnes Status in Comitiis comparentes, sic reflectitur ad illas, relativum, Ihnen/ & facit hunc sensum; debere omnium Statuum saltem majorem partem consentire, ad hoc ut quod inde emergit placitum, cæteros possit ligare.

Præterea si opinio illa de interpretandâ pluralitate votorum per comparationem ad classes, subsisteret, videretur Collegium Principum duplci consideratione & respectu Electoralis & Urbium classis valdè depressum, respectu Electorum quidem, quoniam sex tantùm vel hodiè post Instrumentum Pacis septem [demto sc. Bohemiæ Rege] in Comitiis universalibus Electoralia vota habentur, vota verò Principum quàm plurima; jam si secundum classes majora colliguntur, sex vel septem illa Electorum vota tantundem valent in publicis, quantum omnia illa & numerosa Principum vota, ex quo omninò per consequentiam fit ut si

ut si singulos Electores, ad singulos Principes comparemus, ex hypothesi, eò minor sit Principum autoritas, quò major & amplior respectivé est Principalis Collegii numerus.

Eadem ratio si quis illam proportionaliter adhibeat ad curiam Urbium, quanquam & hæc multis votis constet, convincet tamen, ex præsuppositio autoritatem Principum isto quoque respectu haud parùm demitti. Quoniam itaque Electorale Collegium, necquicquam obstante incremento potestatis, nihilominus statuit hac in re cum Principibus, ac secundum intentionem Instrumenti Pacis & Recessus Imperii de Anno 1512. locis citatis præsumptam, signum profectò est, non secundum classes præcisè, sed quàm maximè secundum numerum votorum in classibus, salvâ tamen proportionalitate Juris suffragiorum, majora esse interpretanda ac dimetienda.

Tantò magis, quoniam non apparet stringens ratio in contrarium, nam sive per constitutionem Ottonis III. Imperatoris

toris, ut comunior est sententia Electorale fastigium primitùs cœperit, sive ut alii nonnulli ex historiis deducunt, demum post tempora Friderici II. Imp. idque vel consuetudine vel expressâ aliquâ sanctione initium habuerit, semper tamen ita accipiendum est, ne cæteros Principes extra passus manifestæ prærogativæ, nimis videatur excedere.

Jam quoniam Electoribus de consensu reliquorum Ordinum, tantùm electio Cæsarea, præ cæteris est concessa, non verò ullibi legimus sanctione Imperii inductum vel stringenti consuetudine obfirmatum, quòd Electoralia vota, licet his meritò habeatur prærogativa honoris, præsetim tanto excessu, aliorum Principum suffragia exuperare debeant, ut septem Electores, totam Principum Classẽ, quæ tot quamplurimis votis constare assolet, possint parificare, hinc versamur adhuc, quod ad Comitialia attinet, in terminis prisci illius temporis, ante quod Septemviratus suum nactus fuit principiũ, adeò, ut sicut tunc inter Electorum & Principum, vota, respectu ponderis & valoris,

in publicis negotiis non fuit tanta distinctio, sic ne hodiè quidem contrarium obtinere debeat.

Nec movere potest ex adverso, quòd tres illæ classes, Electorum, Principum, ac Civitatum Imperialium, curiatim invicem agant, suaque vota expromant; nam Collegia illa suas decisiones, plerumque tunc demùm invicem aperiunt, cùm unum quodvis illorum secum consentit, ideoque non est necesse, speciatim exprimere, hunc vel illum Electorem, aut Principem hoc idem sensisse, sed sufficit, brevitatis causâ, Collegii totius vel majoris partis placita edicere, præsertim quoniam amicabili modo agitur ac rationibus hinc indè collegiatim expositis, compendiosiori viâ, in idem placitum transitur, quàm si singulatim vota classium dinumeranda essent.

Ex eo tamen non sequitur, Curias illas, partim dignitatis respectu, partim facilioris tractationis gratiâ adinventas, alteri Collegio præ altero amplius jus tribuere, vel adimere quàm competierit antè, aut alterũ alteri contra priscum jus exæquare,

quare. Unde si contingat, ut una Curia alteri repugnet, solent ae debent, vota cuncta considerari, ac fortè v.g. dicitur: tot stetisse pro hac sententiâ, vota Electoralia, Principalia &c. pro contrariâ tamen tot vel majora, ut sic sensus iste, de colligendis majoribus, respectu votorum magis, quàm classium, nec ab usu videatur alienus.

Dixi verò hoc idem intelligendum, servatâ semper proportionalitate valoris votorum, cum enim Ordines non pari jure gaudeant etiam singulatim considerati in Comitiis, hinc utique in reflexione ad numerum votorum in se, præcipuè attendenda etiam venit proportio juris suffragandi, alioquin v. g. Principis & Comitis votũ habebuntur pari authoritate, quod ipsum satis manifestè repugnat Comitiorum usibus, quippe cum cernamus omnes hodiè Comites ratione quatuor Collegiorum, tantùm quatuor Principum votis æquivalere.

Cæterum quâ invicem proportione existant omnes Imperii Ordines sc. Electores, Principes, Urbes Imperiales, quæstio

quæstio est, ut mihi videtur, directè nondum decisa, si tamen inspicimus fundamenta antiquitatis, quòd nimirum Electores ipsi sint Principes & quidem Principum præcipui, quibus propterea Electoralis prærogativa aut tacito, aut expresso consensu Imperii fuerit delata, dici fortè posset: votum Electorale majoris Auctoritatis, non verò majoris potestatis fore in publicis. Ut enim se res habet in Aristocratia, vel Democratia simplici, quòd nimirum vota primorum, ut singula numerentur, autoritate tamen & prærogativâ quadam reverentiali, ampliorem numerum etiam suspendere, vel quandoque re noviter deliberatâ, ad se pertrahere soleant; sic in hoc tertio crediderim se rem habere circa vota Electoralia cum Principum votis singulatim comparanda.

Profectò in Senatu quondam Romano, si quis sibi attribuisset jus, ut ipsius sententia plurium votis æquivaleret, arbitror, explosus fuisset ab omnibus, interim tamen multoties accidit, ut totius reliqui Senatus oculi & aures, in paucos con-

converterentur, non propter potestatem, sed propter autoritatem ac prudentiam de ipsis præsumptam, uti exempla sunt in Quinto Fabio Maximo & Scipione Africano, item in Catone & Corn. Nasica. Et hodiè sanè sic videtur esse, ut una aliqua Electoralis vel Principalis Domus insignioris considerationis, plures in sententiam pertrahere valeat, ex usu autem hujusmodi auctoritatis, ut opinor, neutiquam inducitur jus duplicatæ, quadruplicatæ, vel amplioris potestatis.

Dicerem etiam porrò in hoc puncto de Urbibus, de quibus nonnulli tradunt, quòd jus duplicis voti sortiantur in Comitiis, sumta forsan hac opinione ex eo, cum Urbes in duo scamna dividantur, ut sic singula scamna singula repræsentent vota. Verùm & in Collegio Principum duo sunt scamna, nec tamen propterea tantùm duobus votis gaudere dicitur Senatus Principum, ut sic isthæc opinio non appareat firmo fundamento superstructa, maximè cum Urbes in amplioris potestatis Comitialis jure & exercitio propter diversas causas, quas aliquatenus suprà tetigi, in

gi conſtituræ videantur, idcò in hac re indecisâ ſubſiſtam.

Nec immeritò dixi, quæſtionem hanc eſſe difficilem non tantùm reſpectu Urbium, ſed & reſpectu cæterorum Ordinum inter ſe, quatenus publicâ & expressâ lege aut ex tacito & approbato conſenſu nihil determinatum videtur, ac fortè præſtat amicabili ratione Status Imperii de negotiis propoſitis deliberare ac invicem agere, quàm ut iſthæc de poteſtate juris ſuffragiorum ſpinoſa quæſtio inter ipſas partes, quas concernit, refricetur & proponatur, bonâ licet futurâ, imò optimâ ejus deciſione ac Capitulationis Cæſareæ inſertione, ſi bonâ gratiâ habere illam & aſſequi liceat.

De hinc tranſeo ad ſecundum punctum explicandi majora, videlicet, ſi non conſentiât Status adeò, ut de toto Corpore eorum vel Collegio, haud adſint vel haberi poſſint plura vota, poſſint tamen haberi, vel adſint, comparatione cæterarum Collegii illius vel corporis partium, an igitur hoc caſu verè dicatur, per majora ex parte Ordinum concluſum eſſe?

Reſpon-

Respondeo magis esse, ut majora explicentur respectu totius Collegii vel Corporis, non verò minorum partium ratione, primùm quia hæc sententia est juri conformior, ut patet passim extra & in 6. de Elect. Deinde quia etiam dato casu in Comitiis Imperii, antiquitas videtur sic observasse, sicut constat exemplo Frid. III. Imperatoris, qui eapropter, quod major pars Ordinum non compareret in Comitiis Francofurtanis, negotia etiam Comitialia & publica quondam suspendit; at verò si comparatione minorum partium, nec totius Ordinum corporis liceret majora efficere, nulla ratio suberat, propter quam, licet amplior Statuum numerus emansisset, Imperator cum cæteris præsentibus decernere nihil potuerit.

Tertiò huc facit modò cit. locus ex R. I. de Anno 1512. in relativo Ihnen/quod sanè ut jam dictum est, sese ad totum cœtum omnium Statuum in Comitiis illis comparentium, præcisâ trium classium ratione, reflectit, adeoque majora per comparationem integri Ordinum corporis, nec verò aliarum partium minorum, consti-

constituenda esse innuit. Constat itaque ex hactenus dictis, Status Imperii vindicare sibi, ut sic loquar, dimidiam ferè partem de Repub., ac in Comitiis de eorum consensu, omnia jure peragi, quòd item, in casu, quo invicem dissenserint res soleat componi per majora vota, quaque ratione eadem debeant intelligi.

Excipiendæ tamen erunt pro Statu differentium religiorum causæ religiosę, vel si quæ similes sunt, in quibus non majora sed simplex Ordinum compositio locum sibi vindicat. Uti quidem apparet, melius fore [si modò obtineri queat] has omnes speciales causas à decisione majorum exemptas, nominatim excipere & perpetuæ Capitulationi inserere, ne tunc cum res ipsa decidenda est, in Comitiis fortè scrupulus oriatur de hujusmodi præjudicialibus, sed de his satis.

Nunc porrò consequens est, ediserere cætera ex parte Ordinum, in formatione perpetuæ Capitulationis observanda, nempe debent repromittere singuli, quòd velint Cæsareæ Majestati, ac Imperio sese gerere obedientes, & perpetuo fideles,

deles, nec non ab eadem Sacrâ Cæs. Majestate totius Imperii nomine feuda sua, annexis dignitatibus Regalibus debito respectu recognoscere, in ejusque recognitionis signum, quatenus nempe leges requirerent, publicas contributiones ac functiones præstare, sibi etiam invicem debitum exhibere respectum, adeò, ut minores Status, condecenti reverentiâ majores venerentur, nec quis cujuscunque dignitatis fuerit, alium Statum quoquo modo supprimere, vel ut vocant eximere præsumat.

Cæterùm, quoniam tanti refert, Imperii, ut Suprema Tribunalia, [de quâ materiâ suprà dictum est] ritè constituantur, habeanturque condigni Consiliarii alii, qui publica negotia, veluti legum, Pragmaticarumvé sanctionum, pacis, belli, fœderum, &c. Imperii nomine diligenter deliberent, alii etiam, qui causis forensibus ac justitiæ ex æquo distribuendæ præsint, consultum est, inseri perpetuæ Capitulationi, hæc Consilia ac Tribunalia, quatenus eadem constitui ac retinere lubeat, nec solius Cæsaris, nec Statuum,

ſolo conenſu, poſſe ullatenus abrogari, vel immutari, ſed debere eadem tantisper latis Imperii legibus relinqui, usque dum Cæſar & Ordines junctim, contrarium quid, fortè pro circumſtantiis temporum Reipublicæ expedire animadverterint ac ſtatuerint.

In ſpecie ſibi etiam Status in negotio perpetuæ Capitulationis, haud præter rem, proſpicerent ut certus ipſorum numerus, huic formulæ addatur, ne nomen Status Imperii, ſeu Electoris, ſeu alterius Principis, Comitis &c. dum ſubinde novi cooptantur, tantò magis incipiat vileſcere, quæ res ex ratione ante ſuo loco traditâ, in ſpecie Principibus ac Comitibus, prodeſſe queat, ne illorum dignitas factâ ſubindè acceſſione, nimis tandem excreſcat.

Finaliter obſervandum videtur, ut & iſtud modis huc usq; traditis, cuncta ſecundum LL. Imperii vel ex parte Cæſaris vel ex parte Ordinum geſtum iri, pars quoque Imperatoriæ Capitulationis perpetuæ fiat, adeoque in eadem diſertis ac obligatoriis verbis id ipſum exprimatur, & de hac quidem materia tantum dixiſſe ſufficiat.

Caput

CAPUT XVIIII.

Utile esse Germaniæ, ut certis pactis in fœdus coëat cum Hungariâ & Bohemiâ, item cavendum Lege aliquâ Imperii, ut cuncta externa Regna vel à Cæsare, vel à quocunq; Statuum in posterum acquirenda Germaniæ incorporentur, vel certis pactis fœdere jungantur.

Suprà, ubi de Rebus Hungariæ & Bohemiæ disserui, inter cætera mentionem feci, quòd eædem ad Germaniam non pertineant, nisi vicinitatis ratione; præsertim, si fortassis bellum immineat Turcicum, tunc enim Germanos prudenter succurrere Hungaris, & si separatum illi habeant à Germaniâ Regnum. Similiter si quando, Bohemiam bello impeti contigerit, propter vicinitatis consequentiam, dubio procul suppetias laturum Germaniæ Imperium.

Quod cum multos retrò annos & jam in Comitiis de Anno 1566. perpenderint Imperii Status, petiverunt ab Imperatore, ut quoniam ipsi, toties juvissent

Hungaros, ejus Regni Proceres illorumvè territoria, Imperio Romano-Germanico incorporentur, sed tulerunt Civilibus verbis, tacitam repulsam, promissaq; non incorporatio isthæc fuit, sed in casum similis necessitatis, similia quoque ab Hungaris præstanda subsidia, uti patet, ex actis Comitialibus ejus temporis & inspecie ex Recess. Imperii de d. Anno §. Sohaltens / *junct.* §. immediatè præcedenti.

Utrum verò bonum sit Germaniæ, si Hungaros haberemus Imperii Status, quæstio esse potest? Et quidem, dum præsens est Germaniæ rerum facies, h. e. dum non habemus, Consilium Status Publicum, Perpetuum militem, ærarium publ. de quibus pro instituto satis egi, crederem excepto fortè puncto Cæsareæ electionis, quem superiùs tetigi, incorporationem istam non usque adeò profuturam Germaniæ rebus, quia Hungari verosimiliter, ægrè ferrent, si deberent Germaniæ contribuere, unde ad hoc ipsum perpetuò ferè cogendi essent.

Jam verò Circulari ope, promptè id vix

vix posset fieri. Credibile est etiam, Hungaros non parituros Imperii decretis, quales igitur essent illi Status, qui, quod ex moribus gentis, omnes ferè referentes conjectant, probabiliter nec contribuere vellent Imperio, nec parere, quosvè ut ad id cogas, pro præsentibus circumstantiis necesse est, ut Imperium in perpetuam inquiem ac sumptus conjicias.

At verò si haberemus Consilium, Status publicum, perpetuum militem, & præsidia Cæsaris ac Imperii nomine etiam in ipsis Hungariæ fortalitiis, esset fortè, ut melius de hujusmodi in corporatione sperare liceret. Veruntamen ne sic quidem usque quaque eadem videretur, profutura 1. quia mores gentis non conveniunt, cum Germaniæ moribus & est magna inter Germanos & Hungaros vitæ discrepantia, propter quam ferale & prope dixerim nativum odium, ipsos contra se invicem extimulat; Hungari enim, plerumq; ex rapto vivere consueverunt, quod genus vitæ Germania nostra detestatur. Deinde apud Hungaros, multoties privilegii instar esse fertur, id commis-

ſum, quod in Germaniâ & meritò quidem plecti ſolet, quâ de causâ illi hujusmodi licentioſa indulta, ſibi eripi, aut ſaltem minui mediâ Germaniæ incorporatione, nunquam paterentur.

Eſto autem, ut in unum vel alterum caſum, incorporatio iſthæc, quam dixi, vel adjectio Hungarici Regni, ad Germaniæ Imperium, ſuas ſecum ferre poſſit utilitates, certè tamen Imperator & Archi Duces Auſtriæ, ex peculiari ratione, huic rei, nequaquam ſuum accommodaturi eſſent conſenſum, ceu exempli loco eſſe poteſt reſponſum Imperatoris, ad Germaniæ Status, ex Receſſu Imperii de Anno 1566. paulò antè citatum.

Quoniam igitur, partim nec utile eſſe videtur Imperio, ut eidem incorporentur Hungarici Ordines, partim etiam idem, ſi maximè velles, non ita conſequi licet, & verò toties, quoties, Germania noſtra in ſubſidium Hungariæ, Turcicis bellis vocari ſolet, quam etiam aſſiſtentiam, neceſſum eſt ſuſcipi, Germanicorum Statuum viribus ac impenſis, de remedio alio

alio cogitandum est, quò Germania declinare possit, crebrius illud impensarum onus, sive etiam, si omninò illas, facere expedierit, uti tunc tantò melius in publicam securitatem & commodum collocentur.

Causa verò propter quam, respectu bellorum Hungarico-Turcicorum, non adeò benè sese habuerunt res Germaniæ, ista hæc est, quod ex uno capite Imperium succurrat, pressæ Hungariæ contra Turcam conditione quadam vicinitatis, ex altero autem consulatio, utrum bellum fiat, an pax cum Turcis, ad Germaniæ Ordines ipso Regni jure non pertineat, sed tunc, cum negotium perfectum est, ejus demum fieri mentio videatur.

Jam utique malè tecum agitur, si ab alieno prorsus dependeat arbitrio bellum, sic ut neque consilium tuum, neque consensus, seu gerere illud lubeat, seu deponere, jure requiratur, & ejus tamen onera, tuismet impensis magnâ ex parte debeas sustinere. Perinde hoc mihi videtur, ac si quis pactus fuerit, sibi soli suoque placito cessura commoda, ad alterum

terum verò in quemvis eventum pertinere participationem oneris. Itaque, ut dixi, quæritur, quâ ratione Germaniæ possit hac in re commodè consuli?

Ad cujus quæstionis dissolutionem, trahenda huc sunt, quæ suprà suo loco, de rebus Hungariæ sunt deducta, videlicet, Imperatorem, quoad illud regnum esse separatum Regem, & vicissim ea, quæ hoc eodem capite modo ostendi, nimirum, incorporationem Regni Hungariæ, nec usquequaque profuturam Germaniæ, neque etiam facilè sperandam esse. Relinquitur ergò non posse Germanicos Principes ac Status, quoad hunc punctum melius sibi prospicere, quàm per fœdera, cum Hungaris ineunda.

Qua in re prælucet exemplum fœderis à Pontifice Nicolao Quinto cæterisque sociis cum Uladislao Hungariæ Rege contra Turcam icti, quo cautum fuerat, nequis sociorum, ullâ ratione, cum hoste transigeret pacemvè aut inducias faceret, inconsultis nec consentientibus cæteris. Quamvis verò fœdus istud, ex quodam accidenti, multum damni attulerit

lerit, & propè in nervum eruperit rei Christianæ, dum scil. factâ per Uladislaum Regem, contra capita fœderis cum hoste belli transactione, Cardinalis Julianus eundem illum prævia jurisjurandi, quo induciæ istæ obfirmatæ fuerant, absolutione, eò permovit, ut ruptâ fide, denuò socia arma contra Turcam jungeret, ubi non multò pòst, apud Varnam, ingenti strage concisi sunt Christianorum exercitus; tamen intentio fœderis hactenus & in se erat bona, ac cautè sibi prospexerunt socii per illam clausulam, quòd nemini, quoad belli, vel pacis negotia, cum Turcâ seorsim tractare liceat, sed hanc rem, cum omnes directò vel per consequentiam quandam tangat, debere quoque omnium arbitrio pro circumstantiis committi.

Sic itaque dico, prudenter facturos Germaniæ Principes & Status, quorum profectò tempestivè nec ne, benè vel malè, pax aut bellum, Hungariæ inter Regnum & Turcam fiat, per consequentiam quandam multum interest, prudenter inquam facturos, si sibi prospiciant, re-

medio fœderis cum Hungaria, hiſce clauſulis, quòd communi nomine pacem vel bellum cum Turcâ ſint habituri, nec Hungaria, inſciis vel nõ conſentientibus Germaniæ Ordinibus bellum adverſus Turcam ſuſcipere aut tranſigere præſumat. Si enim ad lubitum ejus Regni, excluſis ſociis aut bellum eſt aut pax, ac ſi, quod inde ſequitur, præter tempus vel circumſtantias rei Chriſtianæ, meliores hoſtis ſortiatur conditiones, oportet Ordines Imperii, deinde iterum contribuere, & tamen dubium eſt, an aliquid ac plus efficiatur, quàm antea.

Dicet verò fortè aliquis, non fore arbitrii Statuum, utrum in fœdus hujusmodi cum Hungariæ Proceribus coire velint, ſed pendere hoc ipſum, à voluntate Regis, quem veroſimile ſit non facilè conſenſurum. Reſpondeo, tale fœdus & Regno iſti & Imperio profuturum, propter Germaniæ ſimul & Hungariæ, tantò validiorem ac conſtantiorem propugnationem, quòd ſi verò hoc tale fœdus contra Turcam, impetrare non poſſint,

sint, cautè magis de suis finibus, sollicitos fore Imperii Germanici Ordines quàm de Hungariæ defensione. Etsi enim, ut suprà adduxi, tua res agatur proximus cum ardeat Ucalegon, tamen vicissim in defendendis vicinis, considerandum est, ne tibi plus noceas, nevé pro aliorum salute vires tuas insumendo, multum tibi attrahas oneris.

In his itaque duobus, totius rei cardo situs esse videtur, ut Germaniæ Principes tentent, num modo prædicto sibi liceat, fœderis remedio cum Hungaris pangendi, consulere, aut si id impetrare, vel omninò vel commodè nequeant, uti tunc, sese suaque auxilia, ab Hungariæ defensione subtrahant, ac terminos potius Germaniæ, velut in universum, ita cumptimis, qua ex parte, eadem ad Turcarum possessiones, maximè portenditur, firmis præsidiis ac de ærario sustentandis muniant, quàm, dum exteris succurrunt, sua domi periculo exponant.

Etenim si, quod Deus clementer avertit, vel apud Levam, vel maximè, nuper ad S. Gotthardum victi fuissent, Chri-

Christiani exercitus, plerique conformiter dicunt, hostem non Austriam modò Stiriam & confines Austriacæ domus Provincias inundaturum, sed etiam pro viribus tentaturum fuisse, ut in interiorem quoque Germaniam, populabundus penetraret.

Quoniam verò duplici illo prœlio succubuit, poterat res Christiana, dummodo fœdus prædictum extitisset, toto bello superior evasisse ac Turca, ad æquiores multò pacis conditiones fuisse adactus, nam deliberassent utique omnes socii, an pro præsentibus tunc circumstantiis, & insigni spe victoriæ, non deberent hostem persequi, ac fortè maluissent Imperii Principes & Status ad consequendam plenam victoriam, ulteriores facere sumptus, quàm ut paceminiquam tamdiu pro more, quàm diu hostis ère suâ esse duxerit, duraturam mirent.

Cæterùm quousque expediat, Germaniam cum Hungariâ in fœdera associari, ex prælibatis hactenus jam possumus animadvertere, cum enim non ita benè conveniant Germanica & Hungarica natio,

tio, satius esse videtur si fœdus istud non simpliciter fiat universale, sed magis restringatur ad res Turcicas, videlicet eo sensu, ut sive Germani sive Hungari, Turcam bello adoriri velint, sive ab eodem impetiti sese debeant defendere, societas aliqua inter illos existat armorum, ac etiam uti bello parta, sociali jure non minus cedant Germaniæ Imperio, quàm Hungariæ, ceu quidem etiam nupero bello, Imperatorem inter & Status Imperii, conventum fuisse fertur.

Ratio autem ejus rei, propter quam fœdus sæpè dictum, in sensu restricto potiùs, quàm universali prodest, ista censeri debet, quòd ex unâ parte, in casu, ubi Germania per alios hostes bello peteretur, ab assistentibus Hungaris plus nocumenti, quàm commodi, probabiliter esset expertura, dum scil. illi, inter consuetas direptiones, amicum solum ab hostili vix distinguerent; ex alterâ verò quòd Principes & Status Germaniæ hactenus semper soleant succurrere Hungaris contra Turcas.

Neque enim, intra hos ducentos annos

annos, & quod excurrit, ullum ferè bellum, ab iis contra hostem illum gestum, est, ubi non Hungarico exercitui, Germanicæ Legiones & auxilia fuerint intermista. Quin ex his, major ejus pars, plerumque solet constare. Cur non igitur, desiderent Germanici Principes & Status, fœdera facere velle cum Hungariæ Regno restricta, aut sua in posterum denegare auxilia?

At verò objicies; hactenus Imperii Germanici Status, fuisse ac etiamnum esse liberos, utrum in bellis Hungarico-Turcicis, & quantis viribus sumptibusvè assistere velint, si autem percuteretur hujusmodi fœdus cum Hungariâ, illam libertatem ademptum, obligatumque iri Status Germaniæ, ut deinceps jure fœderis in subsidium veniant, adeoque videri eos per fœdus ejusmodi deterioris conditionis futuros.

Respondeo, parùm differre, an sub titulo libertatis, quoties Hungaria bellum habet contra Turcam, contributiones fiant, sic tamen, ut propter metum reverentialem, illas omittere non sis ausurus

surus, & num temet obliges ad assistendum, ac inde ex vi pacti, vel fœderis ad hoc tenearis. Quid enim interfuit, si quod nomine Imperii à ducentis usque annis & ultrà contributum est, ad diversa diversi temporis Hungariæ bella contra Turcas, idem ac tantum impensum fuisset ex obligatione & vi fœderis, an liberè, libertate tamen propter certos respectus plerumque circumcisâ?

Quin nihilominus manet libertas contribuendi circa quantum, nisi quatenus in fœdere idem est expressum, & ad illud disertis verbis obstricta fides, quâ utique in re ne gravaretur, satis sibi posset prospicere Germaniæ Imperium, & etiam fœdus istud propter causas, quæ ex dictis facilè elucent, ad tempus, quo usque sub Archi Ducibus Austriæ, Hungariæ Regnum fuerit, expressè restringere. Atqui in eo tunc meliùs habituri forent Germaniæ Status, quòd vicissim jure fœderis, deberent in Consilia pacis vel belli contra Turcam, semper assumi, & hoc medio, suæ in futurum securitati, parcendisque hoc nomine sumptibus, possent consulere.

Quòd

Quòd si reformidemus de Hungariâ, ne non sit servatura capita fœderis, vicissim considerandum est, quòd Germaniæ contra fœdifragos damna emergentia vindicandi, ac existente casu pro rei qualitate sibi satis faciendi, semper futura sit facultas, cujus intuitu & propter potentiam Germanorum in facie descripti regiminis longè majorem, Hungarici Regni Ordines verosimilius mallent, pactis conventis stare, quàm arma Germanica contra se experiri. Ex quibus tandem, ponderatis omnibus circumstantiis relinquitur; fœdus, quòd hactenus deduxi, Germaniam inter & Hungariæ Regnum, offensivum ac defensivum, non malè percussum, cæterùm, ne plus incommodi afferat, si omninò universale fieret, ad res Turcicas, benè restrictum iri.

Nunc porrò transeo ad secundam partem præsentis capitis, ubi adhuc aliquid speciali discursui reservavi, quod ad proximum retrò titulum etiam non inconcinnè poterat referri, videlicet, possidere, ut ex superioribus constat, diversos Reges exteros, ac Respublicas, Imperii partes

partes ac feuda ; quibus nonnulli Principes addi posse videntur, qui etiam haud parvas possessiones antehâc, Imperio exemptas acquisiverunt.

Hæc namq; uti patrimonium hujus vel illius ex Imperii Statibus, insigniter adaugent, sic vicissim publica, quibus decedũt, valdè minuunt, fieriq́ue posset, ut hæc talis potentia subinde crescens cæteris Imperii Ordinibus erumperet in nervum. Sanè dum exeunt è subjectione Imperii, modò hæ, modò illæ Provinciæ, ac territoria, quis non videt, remedio opus esse, ne Respublica hisce viribus debilitata, deniq́ue omninò pessum eat. Ob eam itaq́ue causam expediet perpetuæ Capitulationi, hoc etiam caput inter cætera inserere, quòd nemini è Statibus liceat terras Imperio subjectas, quovis modo vel titulo acquirere, sibivé habere, ut deinceps Imperium Germaniæ, non amplius eædem recognoscant.

Quæ res cum per se haud sit obscura, insigni tamen fœderatorum Belgii Provinciarum exemplo dilucidè confirmatur ; Hæ Provinciæ subfuerunt vete-

ribus Burgundiæ Ducibus, exinde etiam à Zeilero ad Circulum Burgundicum referuntur in *tract.* Von den zehen Crayſen/ *tit.* 2. *p.* 104. & 105. Poſtquam verò Maximilianus I. Imperator, ductâ Mariâ Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiâ, easdem illas Provincias Belgicas, dotis loco accepit, & poſtquam itidem filius Maximiliani I. Philippus cum Johannâ Arragoniâ connubium ſociavit & ſic potentiſſima Hiſpaniarum regna, ad Carolum V. Imp. filium Philippi, à quo moderni Hiſpaniæ Reges deſcendunt, pervenerunt, Belgicæ illæ Provinciæ eidem Carolo Quinto Imp. ſimiliter ceſſerunt, adeoque Regibus Hiſpaniæ ſubeſſe cœperunt, quo tempore Status Hollandiæ, Seelandiæ ac reliquarum conſociatarum Provinciarum, tantùm fuerunt Status Provinciales, ac Regis Hiſpaniæ ſubditi.

Ex eo autem tempore, quo prædictæ Provinciæ ad Reges Hiſpaniæ pervenerant, in effectu eximebantur Jurisdictione Imperii & gubernabantur abſolutè, ſicut aliæ Hiſpanicæ ditiones; nã cum An. 1575. inter Regẽ Hiſpaniæ & Belgicos Ordines ſuper pace tractaretur & inter alia ex

parte

parte Belgicorum Statuum, expressè asse-reretur; Belgicas Provincias, semper fuis-se habitas pro Comitatibus & Dynastiis Imperii, Hispanici Legati econtra illud rotundis verbis negaverunt, uti testis est Emanuel **von Metern** *lib.* 5. Belgicarum Historiarum *fol.* 269. Sed non diu post, nempe Anno 1581. Status illi Hollandiæ cæteriqúe conjuncti, Regi Hispaniarum, simpliciter resigna verunt jus superioritatis seqúe in eam libertatem armis vindicaverunt, in qua nunc constituti, nec Hispaniæ Regem [id quod hactenus ferri poterat] nec ipsum Imperatorem vel Imperium, amplius recognoscunt.

Hi igitur sunt fructus, quando bona Imperii ad exteros transeunt, nec certis illis cautelis de quibus sum dicturus anterior conditio & subjectio Imperii conservatur. Nec mirum videri debet, quod nostro tempore Reges Hispaniarum nomen Principis Imperii ultrò sumant, uti patet ex illâ Hispanici Legati protestatione contra Instrumentum Pacis, circa causam restitutionis Palatinæ.

Imò ipsi Instrumento Pacis Cæsa-

reo-Gallico expresse insertum legimus, Circulum Burgundicum habendum esse pro Statu Imperii. Nam hæc omnia certè non fiunt ex hâc causâ, quòd Hispani ament subjectionem suarum ditionum respectu Imperii, sed potius pro conditione temporum, quia hodiè Hispanica potentia, comparatione veteris est longè minor & ex diversis partibus insignes clades accepit. Itaque voluerunt Hispani Belgicis Provinciis, quæ Hispanicum Imperium adhuc recognoscunt, hâc viâ consulere illasque defensionis Imperii, qualiscunque ea sit, participes reddere, id quod consecuti sunt per Instrumentum Pacis Cæsareo-Gallicum §. & ut eo syncerior.

Nec quis objiciat, meipsum statuere, quòd in Circulari assistentia, parum liceat ponere præsidii; nam contra, speciale illud hic est, quòd Reges Hispaniæ Austriacæ domui Ferdinandeæ Lineæ, penes quam hucusque substitit Imperiale fastigium, sint maxima necessitudine conjuncti. Ergò si nihil aliud cit. paragraphus, commodi afferret, tamen casu

quo

quo saltem effectum Imperatorii auxilii haberet, cum scil. Imperator tanto justius Hispanicis istis Belgii Provinciis & per se succurrere videretur & finitimos etiam Circulos ad hoc impellere posset, idque ratione officii eò magis, quò certius Burgundicus Circulus hodienum inter Ordines Imperii refertur, unde hoc idem per tacitam consequentiam quodammodo colligitur ex dicto §. & ut eo syncerior dum videmus specialiter excepta esse, bella tempore Instrumenti Pacis in Circulo Burgundico tunc gesta, quibus se Imperator non debuit immiscere. Quasi in contrarium regula obtineat de bellis Burgundiæ alioquin quandocunque obvenientibus.

Ista igitur omninò sic se habent in exemplo proposito & in consimilibus quoque aliis nihil melius sperare debemus, si quando Imperii Provinciæ ad exteros simpliciter translatæ fuerint, quoniam quo potentiores sunt exteri illi, eò minus recognoscent superioritatem Imperii in terris concessis, vel si quando verbotenus illam colant, latet alius præ-

textus; plane Holandiæ Status nunquam se ab Imperio exemissent, si non exterio-re Hispanico jugo fuissent pressi. Et in-summâ est verissimum, quòd Provinciæ ad exteros translatæ, vel permaneant sub ipsis, vel si se in libertatem vindicent, non redeant tamen ad subjectionem Im-perii. Ergò in omnem eventum Reipu-blicæ eripiuntur.

Ast verò quia res accipiendæ sunt prout existunt, credo præterita magis reprehendi, quàm corrigi posse. Quid enim futurum existimas, quantasvé subi-turam difficultates Germaniam no-stram, si Delphinatum, quam Provinci-am Carolus IV. Imp. olim cesserat, aut Episcopatum Metensem, Brisacum & cir-cumjacentem districtum à Rege Gallia-rum repeteret, sive si Livoniam à Sue-cis &c. publicè posceret aut retrò popo-sciisset, sibi restitui, & ad pristinam Impe-ratoris ac Imperii subjectionem redigi.

Hæc autem de his, quæ quondam quidem, nunc vero non amplius parent Imperio, exempli tantùm loco allegata sint, nam de totâ ferme Italiâ, quæ sensim Impe-

Imperii obedientiam excussit, adhuc fortius idem dicere possemus. Verùm in hac ipsa materia duos commodè distinguimus casus; vel enim hi, qui bona seu terras, quondam ad Imperium pertinentes tenent, sunt planè exteri, ut hodiè Helvetii, vel certo respectu sunt Imperii Status, ut Sueci, respectu Pomeraniæ.

Cujus generis possessores iterum sunt distinguendi vel enim per se sunt exteri, accessoriè verò Status Imperii facti, ceu exemplo Suecorum, qui scil. Regnum suum separatum tenent, secundario verò Duces Pomeraniæ audiunt, apparere potest; vel principaliter sunt Imperii Status, per accidens & fortunâ favente priores Imperii ditiones nacti, ut Serenissimus Elector Brandenburgicus Borussiam.

Circa primi generis possessores, difficilius est, ut remedium adhibeas, quandoquidem Imperio non parent, ejusque etiam rei ob prærogativam vel Majestatem separatim competentem, causam habent probabiliorem; aliqua desuper teste Instrumento Pacis aliisvè Legibus publici-

blicis tenent, planè ex concessione & pacto Imperii, sicut Galliarum Rex, Brisacum cum circumjacenti districtu.

Fateor quaquâ ratione, non esse interem Germaniæ, si ad exteros Reges vel Respublicas bona Imperii deferantur, mitius tamen est, si eadem sic transeant, ut maneant Germaniæ incorporata, quâ intentione ad Sueciæ Regnum per tractatus Pacis Germanicæ, citerior transivit Pomerania, nonnullaque alia concessa: quin ne hoc quidem admitti aliter debet, nisi ex magnâ & prægnanti causâ velut si Pax commodo Reipublicæ aliter promoveri nequeat &c. Quâ quidem in re tàm qui principaliter, quàm qui minus principaliter Imperii etiam Status sunt, convenire videntur.

At postremi generis possessores posito, quòd Provincias aliquas Germaniæ semel cum absoluto regimine obtentas, forsan haud velint Imperio redunire, videlicet nullâ lege ad hoc ipsum stringente, tamen nihil causæ sat arduæ subest, quò minùs consentiant in publicam aliquam legem, quâ caveatur saltem in posterum

sterum ita custodiendum esse, ut quæcunque Provinciæ vel partes Imperii in qualitate absolutâ, ad aliquem Statum pervenerint, ilicò Reipublicæ de novo incorporentur, licet ab ipso isto domino sub feudi Imperialis naturâ retinendæ. Eadem enim utique cura est de futuris temporibus, quod sicut intra ducentos annos plures partes Imperii subjectionem excusserint sic idem quoq; intra alios 200. annos, ni lege præcaveatur, duplicato Reipublicæ damno contingat.

Et quidem ex diversis causis omninò periculosius est, quod ad præterita attinet de remediis disserere, quibus liceat ablata sub Imperii jurisdictionem denuò redigere. Ac mirari propè subeat, quemadmodum Imperator, ad hoc ipsum, per Capitulationem soleat possitvé rebus ita stantibus astringi. Cæterum conabor, remedia hac in re, si non præteritis lubeat, saltem futuris applicanda, secundum ea, quæ distinxi, breviter proferre.

Qui igitur Principes aut Reges, sua per se habent Regna & planè separata, ac etiã ablata ab Imperio, omninò ejus juris-

dictione exemerunt, nec quovis respectu inter Status referuntur, ad eos in ordinem redigendos, eoque, ut si quas injustè teneant Imperii partes, has ipsas restituant, commovendos, non aliud remedium superesse video, præter arma communi nomine, cæterum temporibus Reipublicæ aptis expedienda; priusquã enim milite, ærario, cæterisque necessariis satis sit instructum Imperium, aliavé interim sese forta ssis offerat commoda occasio, nemo arbitratur prodesse bellum, sed eo abstinere melius fore, quàm propter dudum exempta, cætera etiam, quæ adhuc tenentur, in periculum expræcipitantiâ conjicere; sufficiat, si pro præsentibus circumstantiis, hæc eadem conserventur, ad reliqua verò erepta recuperanda, sensim via sternatur, cumprimis, quia Imperatori & Statibus, se etiam bellissimè in structuris ad intentionem suam persequendam, res utique manet integra.

Qui verò sunt, de secundo ordine, h. e. qui accessoriè sunt Imperii Status, per se autem & principaliter, Reges vel Duces exteri, hanc concinnè acciperent legem

legem, ut ſuum illud Regnum vel ditiones exteras, Germaniæ Imperio, ſi ſcil. ejus Status eſſe velint, conſtantiori jungant amicitiâ ac fœdere, maximè uti terras illas vel partes Germanici Imperii, quas acquirere cupiunt, ſimpliciter relinquant ſub priſtinâ qualitate, ob quã etiam cauſam oportebit omnes ſubditos inibi morantes, diſerto juramento devinciri, ne unquam pro acquirente illo domino ſuo extero, contra Imperatorem & Imperium, ſub quocunque etiam prætextu arma capere, eidemque domino ſuo, adverſus Germaniam reliquam, aſſiſtere velint.

Ratio eſt, quoniam ſi hæc non obſerventur, ditio vel pars quæcunque Imperii conceſſa, ad exterum non modò tranſit, ſed etiam reipsâ, à reliquâ Germania divellitur, nec niſi nominetenùs ejus pars, eidemvé incorporata permanet, ceu quidem novimus, cum ante annos non ita multos, Imperator Polonis contra Suecos aſſiſteret, Pomeraniam illicò ſecutam fuiſſe Suecias partes ac Cæſareo exercitui reſtitiſſe. Nec dicas mihi, vim vi tunc propulſatam eſſe, pro Sueciæ Regno, nam

non

non est instituti mei, metiri facta Imperatoris vel Suecorum, utrius partis justiora fuerint, sed hoc tantùm assero eadem probabilitate ac facilitate, restituram fuisse Pomeraniam, tametsi Imperator de Comitiali totius Imperii consensu, movisset in Regem Suecorum, quid enim rebus ita stantibus impediisset?

At qui ex uno capite, nemo exterorum ferè patietur, Regnum suum Germaniæ subjici aut incorporari, à fœdere aut tem & junctiori amicitiâ non ita ab hortrebit; ex altero verò capite, si pristina illa translatæ ditionis qualitas, & quod ad illam tendit, incolarum subditorumque juramentum, manerent ac observarentur, nihil hinc Germaniæ viribus reipsâ decederet, præsertim si publicus Imperii miles, de quo suprà, etiam hujus talis Regionis Urbibus ac fortalitiis imponeretur loco præsidii. In cæteris verò, quæ exteri hi Reges, inter Status Imperii, secundario quodam respectu relati, obtinent ab Imperio jam retrò planè exempta, nullam video rationem, quâ promptius possint, ad eorum restitutionem, quam illi primi generis possessores adigi.

Non

Non enim propterea, quod Suecorum Rex suo sensu Status Imperii Germanici sit, Galliarum Rex, non æquè, minùs' difficulter ille Livoniam Reipublicæ Germanorum quondam Provinciam, restitueret Imperio quàm hic Delphinatum; adeoque justis de causis, ad illud tantum remedium hac in re recurrere licet, quod circa primum membrum jam modo adduxi.

Denique qui tertii sunt Ordinis, h. e. per se & principaliter Status, accessoriè verò bonorum ad Imperium quondam pertinentium possessores absoluti, de his jam dixi, quale remedium profuturum sit, nempe iisdem saltem in futurum, per viam legis publicæ, posse commodè præcipi, uti alia quæcunque Imperii feuda, aut renuncient, aut intra certum terminum, ista modo prædicto ab se in posterum acquirenda bona, quæ quondam ad Germaniam pertinuerant, eidem denuò, cæterum feudi nomine retenturi submittant.

Cui enim non æquum videbitur, cum ab Imperatore hoc idem deposcatur

tur Legibus Capitulationum, ut nimirùm eò omnem curam ac nervum intendere velit, quo bona Germaniæ variis casibus erepta, denuò queant recuperari, ut eodem etiam, quin fortiori vinculo Imperio obstricti sint singuli Principes ac Status, eaque propter, si quid de bonis illis acquisiverint, sub præjudicio aliorum feudorum, idem illud Imperio velint ac debeant vicissim in feudum offerre & hoc titulo ab eodem recognoscere.

Consimili ratione, in Imperatore quoque idem prospiciendum videtur & nominatim Capitulationi perpetuæ inserendum, ut si quas Imperii partes antehac ademptas recuperaverit, non sibi privatim habeat, sed Reipublicæ iterum incorporet, ac tempestivè sibi ac Imperio, consueto homagio devinciat sic, ut iisdem præsit sub ratione Imperatoris, non in quantum est Dux vel Dominus pro se privatim.

Et hæc quidem satis dilucidè constant, de eo autem adhuc alia contingit quæstio; quemadmodum Reipublicæ præcaveri possit in casu, ubi Imperator vel

vel Status Imperii, externas Provincias vel Regna, quę ad Imperiũ nunquam pertinuerunt, sibi acquirerent. Bonum utiq; foret cæteris paribus, si illa regulariter comõdi publici gratia, Germaniæ Imp. unirentur; non autẽ ita ex voto subest arbitrio, hoc consequi, quoniam Ordines illius Regni vel Provinciæ exterioris, possunt hac in re reluctari, & probabiliter ubiq́ue reluctarentur, nec sese alieno Germaniæ Imperio, ita subdere vellent.

Quid igitur? Respondeo, non illa modò, de quibus jam differui, fœdera, inter Germaniam & externam illam Provinciam vel Regnum concilianda videntur, sed cumprimis etiam ipsi Ordines ac subditi illi externi, juramento expressim ligandi, ne ad vitam usq́ue illius Regis vel Principis Germaniæ, quem sibi præponere cuperent, sive quousq́ue posteritas ex his successura super fuerit, contra Imperium quaquâ ratione militare, aut eundem illum suum accersitum Regem vel Principem eorumvé posteros contra Germaniæ Rempublicam quandocunq́ue juvare velint,

quâ

quâ certè ratione credo nec malè consultum fore patriæ libertati.

Quod si hoc ipsum recusetur, nec Imperii nomine, bonâ gratiâ possit obtineri, altera via est, ne tunc ea, quæ Imperii nostri sunt, simul retinere, ac etiam Regnum vel Provinciam istam externam, ad se transferre liceat, sed uti in eum casum, decus Imperii vel bona hinc competentia, quisque abrenunciet, vel ditiones istas ab exteris delatas, missas faciat.

Quorum omnium ratio, jam in superioribus est exposita, quòd sc. periculosum sit rebus Germaniæ, si vel Imperator vel quicunque Princeps aut Status Imperii, potentiâ, maximè si ea externa fuerit & ab Imperio independens, nimis & ultra modum proportionalem crescat, seque communiat. Atqui sufficit temporis respectu, cum terris illis vel Provinciis externis, ad quarum gubernacula, ipsum Caput vel quodcunque Germaniæ Membrum, vocaretur, tantisper esse fœdus ac amicitiam, Ordinesque etiam earum ac subditos, prædictâ ratione, desuper devinciri jurejurando, quantisper Regimen istud Germa-

Germaniæ Imperator vel quicunque Status, eorumvé posteri, sub se retinuerint & administraverint.

Apparet igitur jam satis ex his, quæ deducta sunt hactenus, quibus mediis effici possit, ne Germania viribus mutiletur, aliudvé quod periculum incurrat, sive eius aliqua pars, ad exteros transeat, sive dudum exempta, ab his etiam num teneatur, sive ab Imperatore, vel quocunq; Ordinum Imperii recipiatur, sive deniq; Imperator ipse, vel quivis Imperii Princeps aut Status, ad Regnum aliquod seu Provinciam planè externam vocetur; nimirum rationes Status hic observandæ, sunt partim bellum sc. contra exteros, qui res Imperii de facto iniquè tenuerint, apto tempore suscipiendum, partim fœdus & jusjurandum, ab exteris pro Imperio obtinendum aut eventualiter & casu contrario Majestas Imperii vel feuda renuncianda, dum sc. Imperator aut alius Status Germaniæ ad externum regimen assumeretur, partim similiter fœdus exterorum, & juramentum Imperii subditorum, nec non miles publicus præsidia-

rius, in casu isto, si qua fortè Provincia, vel pars Imperii, ad exteros sic postulante utilitate publicâ, transferri deberet; deniq́ue partim, Provinciæ noviter recuperatæ incorporatio aut subsidiariè, eventualis illa decoris Imperii, vel feudorum ejus abrenunciatio. De quibus omnibus & singulis, pro ratione instituti mei, dixisse videor satis.

CAPUT XX.

De publicis navigiis Imperii nomine seu ad usum publicum suscipiendis.

Quotquot hodiè sunt in toto Christiano orbe gentes celebriores, pleręq́ue aut omnes ferè, navigia sua exercent, publicis usibus deputata exceptis fermè tantùm Germanis. Ita enim notum est, rei nauticæ incumbere, tùm Gallos, Hispanos, Portugallos, tum etiam Suecos, Anglos, Hollandos, Danos, tùm deniq́; Moscovitas &c. quæ sanè nationes, vel magnas opes per mare conquirunt, vel saltem classibus valent, quibus ipsæ hostilem

ſtilem vim propellere, ac damna etiam complura, inimicis inferre poſſint; ſola propè Germania noſtra, à velis hucusque abſtinere ſolet, ac terris ſuis contenta, ad conſuetum quondam Spartanorum morem, maris & nauticæ artis utilitates negligit.

Etſi enim etiam exempla nonnulla allegari poſſunt, ubi Germanicæ quoq; naves maritimis itineribus apparatæ fuerunt, ut in ſociis fœderis Hanſeatici; ac licet navigationes hodienum fiant in locis illis & urbibus, ad mare, vel potiora aliqua flumina ſitis, ut docet exemplum Hamburgicæ Civitatis &c. tamen hæc res comparatione totius Imperii & rarior eſt, & ad privatos ſolùm uſus accommodata, unde ad ipſam Rempublicam, nihil aut fermè nihil, pertingit emolumenti. Dicat autem aliquis, Germaniæ ſitum talem eſſe, ut effabricandis navibus, admodùm difficulter poſſit dare operam, quin hoc ipſum ſi tentaretur propter ſumptus, majori damno, quàm commodo futurum.

Cui viciſſim reſpondeo, cum den-

tur privata navigia, hujus vel illius Principis aut Urbis Germaniæ, profectò ſitum non impedire, quo minus etiam publico nomine liceat ſuſcipere navigationes, ut inde Imperium, ſicut etiam faciunt aliæ gentes ac Respublicæ, vel ex remotis terris ſua ſentiat compendia. Publico enim titulo vel privato, fiant navigationes, quod ad ſituationem cujuscunque regionis attinet, nihil intereſt, ſed ſi ea in alterutro caſu non præſtat impedimentum navigandi, in neutro præſtat.

Deinde, ſi hæc res majores exposceret impenſas, quàm ferret commoditates, à nemine ſuſciperetur, ne privatim quidem, id quod tamen conſtat ſecus ſe habere. Atqui præſtat, Remp. quàm hunc, aut illum privatum, ejusmodi accipere utilitates. Quòd ſi nihil intereſſet Imperii, quicquid de re maritimâ fieret, Principes Germaniæ non utiqúe ita curaviſſent, cujus eſſet, vel ad quem tranſiviſſet, maris iſthæc defenſio ac poteſtas, id quod tamen omninò conſideraverunt, eaqúe etiam propter. Sereniſſimorum Brunſvicenſium ac Luneburg-

neburgicorum Ducum Legati, in Comitiis Imperii de Anno 1641. inter alia belli incommoda hoc ipsum ostenderunt & quantum mali, tùm commerciorum, tùm aliorum negotiorum ratione, Reip. cæ immineat, quòd exteri bello acquisiverint fauces ac præsidiaria maris loca versus Orientem, die Postur der Ost-See/ pluribus declararunt.

Ex adverso cum Ferd. II. Imp. antehac victor in Germaniâ, etiam Balthico mari navigaret, Suecos isthæc res adeò malè habuit, ut vel inter causas belli à Gustapho Adolpho Rege posita fuisse feratur; prorsus ut appareat non de nihilo esse maritimum istud studium. Ad hæc autem quæ dicta sunt, paulò uberiùs consideranda, videntur requiri 1. præfecti Classium periti, milites & nautæ exercitati. 2. Sumptus necessarii, ac 3. finis sive scopus, secundum quem tota res isthæc accipere deberet mensuram. Quod igitur primum attinet, Germanica natio, paucos hodiè fortassis leget Duces, rei nauticæ sufficienti peritiâ instructos, ac neminem absque dubio, de suis habere

poterit, Sereniſſimo Principe Ruperto Palatino hac in re celebriorem. Milites verò & nautas longis uſibus edoctos, difficilius eſt inter initia ſtatim invenire ex indigenis Germaniæ, non niſi terreſtribus bellis vel actionibus aſſuetis, præter eos fortaſſis, qui aut apud exteros, in eo genere belli meruerunt, aut ſaltem mari vel inſignioribus fluviis ſunt contermini.

Ob eamque cauſam in principio rerûm gerendarum, non eſt inconveniens, aſciſcere etiam exteros, & ab his artis nauticæ ac belli maritimi rationes accipere, uſus enim & exercitia facient, ut etiam eâ in re Germanus miles, poſſit tempore evadere doctior, ceu quidem Spartani terreſtribus alioquin bellis ſueti, poſt aliquanti temporis uſum, etiam navali pugnâ, peritiſſimam ac inſtructiſſimam Athenienſium Claſſem Gylippo Duce in bello Siculo ſuperarunt.

Imò quâ aliâ re Hollandorum potentia magis crevit, quàm navigationibus & commerciis, quibus non ante multa ſecula, ſed ab illo demùm tempore videntur

tur enixius studuisse, quo se in libertatem vindicaverunt. Tantum præstare solet, rei quamvis priùs ignotæ, studium diligentius. Quod si secundum requisitum, videlicet sumptus, ad rem maritimam necessarios, considerare libeat, recurrendum est ad ærarium, de qua materiâ paulò antè dictum fuit, ubi vidimus, non eas tantùm Reipublicæ functiones, quæ ad bella, sed & eas, quæ ad togata negotia pertinent, publicis Imperialis ærarii proventibus, debere sustineri.

Excipiat verò aliquis, ærarium istud non suffecturum tàm variis ac magnis impensis: Respondeo, sumptus in effabricationem navium factos, non fore frustraneos, sed eorum commoda vicissim ad ærarium pertinere debere, maximè, cum Cives Imperii & privati etiam lucra sua ex hac re percipere noscantur, aut si, contrario casu deprehenderetur, plus impensarum requiri, quam inde sentiantur utilitates, liberum mansurum pro circumstantiis, iterum desistere.

Ad scopum tandem quod attinet, debet is esse non defensio modo finium,

Germaniæ, ſed cum primis etiam, eò tendere, ut ſimili modò, ſicut commemoratæ nationes, è terris longinquioribus divitias comparemus. In veteri quidem Imperio Romanorum, conſtitutum fuit, certum corpus Naviculariorũ, qui debuerunt ad exercitus Romanos, hinc inde per tot tamque latè invicem diſtantes Provincias, diſpoſitos, frumenta transvehere, à quâ re adeò usque nec privatæ naves, etiamſi privilegiatæ aliàs eſſent, ubi neceſſitas fortè expoſcere videretur, fuerunt immunes, ſicut conſtat paſſim ex titulis hanc rem concernentibus, ac nominatim ex *l.* 10. *C. de SS. Eccleſ. l.* 1. *&* 2. *C. de nav. non excuſ.* Quam rem liceret ſimiliter in modernam Rempublicam Romano-Germanicam hodiè quoque introducere, quin ſi non libitum foret, publicas conſtituere naves, ſaltem in privatis idem obtinere, utilius eſſet, ita ſc. ut certa penſio, pro ſingulis in ærarium inferretur, ac poſtulante neceſſitate eædem publicis uſibus inſervire deberent.

Fortaſſis autem adverſus ea, quæ dicta ſunt, ulterius objicietur, diverſam longè

longè fuisse rationem antiquæ Reipublicæ Romanæ,& modernæ nostræ Germaniæ,quoniam in illa exercitus fuerint, ut dictum est,per Provincias longissimè distantes diviſi; hinc igitur, cum non ubiq; terrarum satis suppeteret frumentorum pro militibus publicis, necessariam fuisse illam annonariam transvectionem;apud nos verò tametsi constitueretur, publicus miles, ac per Imperii moderni Provincias, certâ dispositione divideretur, rationem illam nihilosecius cessaturam, quòd scil. Imperium Germaniæ modernum, comparatione Veteris sit parvum, & concludatur angustis terminis, ac etiam omnes ferè Provinciæ ejus, frumentorum satis ferant.

Respondeo, ex hoc sequi, non planè omittendum esse studium rei nauticæ, sed tantùm, unumquodque debere convenienti tempore ac ordine suscipi, videlicet,cum fieri benè possit,ut Germania etiam alibi terras aliquas sui juris faciat,in quibus dispositis exercitibus, subvectio ista annonaria reddatur necessaria, itaque finis ille habebit effectum su-

um interim in ſuſpenſo, cæterum penſio, quam dixi ex navibus etiam privatis æra-rio inferendam, abſque temporis diſcri-mine ſemper eſt utilis, neq; concedendum, ut illi ad quos hujusmodi naves pertinent, mercimoniis fortè, hoc ipſum, quod contribuunt, callidè adjicere & ita rerum pretia chariora facere poſſint; ſed præſtabit utique ipſos, moderatis lucris eſſe contentos, quàm ut illis creſcentibus Respublica non accipiat, quod debet.

Atqui cum è duobus aut pluribus ſinibus, unus aliquis ſuum vigorem de præſenti poteſt accipere, de altero autem, in futurum ſperare licet ſimiliter, ſatis caulæ eſt, ut ad eos fines media aſſumantur. Concludam igitur breviter, navigationes Germanis non eſſe negligendas, ſed iis etiam ad aliarum gentium exempla, opera dandam, idque ex cauſis, quæ hactenus paucis ſunt expoſitæ.

CAPUT XXI.

De negotio Religionis, & quâ ratione ſi non omnino, aliqualiter ſaltem eadem in concordiam revocari poſſit.

INter ea, quæ concordiam Civium ac ſubdi-

subditorum Imperii labefactant, vulgò connumerari solent diversæ Religiones, quas etiam supra hoc nomine retuli, ut ad minimùm adjuvantes causæ, si non omninò principales vocare libeat, ejus esse videantur, quæ inter Imperii Ordines, intercedit simultatis. Quapropter hoc negotium compositionis Religionum, sæpiùs occurrit in Comitiis, cumprimis verò tractatum fuit in Comitiis Imp. de Anno 1530. ubi formulæ Religionis Protestantium, Augustæ Vindelicorum exhibita est & publicè prælecta, vulgò dicta Augustana Confessio.

Quanquam verò haud negem, difficile admodum futurum esse, aut propè supra omnem spem collocatum, si velimus tam discrepantes animos, tantumque fervorem eam Religionem defendendi, quam quisque à teneris imbiberit, ad omnimodam concordiam revocare atque restinguere, nihilosecius tamen hæc res, ut opinor, suum habet, & habere potest moderamen, quo si non ex asse, saltem aliqualiter & eatenus ad unionem redire liceat, ut simus, quàm hactenus, multò concordiores.

Ac

Ac illa quidem media, quæ in Comitiis antehac in deliberationem venerunt, obicem nondum amoviſſe, conſtat, cum enim placuit, diverſitatem è medio tollere, ope alicujus Concili Generalis, res iſthæc habuit plurimas ambages, nec noſtri ſimpliciter arbitrii fuit, illam ipſam executioni demandare, quia nimirum ad Concilium Generale, non Germaniæ modò, ſed & exterorum Regnorum Rerumq; publicarum Epiſcopi comparere debent, adeoque fieri illud, abſque conſenſu totius Chriſtiani orbis, h. e. omnium Regum ac Rerumpublicarum per Chriſtianum orbem, nequit.

Deinde ſi vel maximè omnes conſentirent, vix tamen quoad locum Concilii conveniretur. Voluerunt Catholici, Concilium debere fieri in Italiâ; at contra Proteſtantes, ibi ſe non fore tutos, exiſtimarunt, & ideò non alibi, niſi in Germaniâ de iſto Religionis negotio agere voluerunt. Propter quas cauſas, & cum multa obſtarent, quo minus Concilium Generale convocari poſſet, ad Nationale deventum eſt; ſed & hoc, licet non omnia,

mnia, illud tamen incommodi habuit, ut nihilosecius plures oportuerit convenire ex utraque parte Theologos, inter quos propterea spes unionis tantò fuit difficilior, adeoque placuit, paucos aliquos, qui pacifici essent, convenire ac de discrepantium Religionum meritis diquirere, si fortassis amicabili modo rem componere, & ad exoptatum concordiæ scopum perducere possent.

Inde sequiori ac diverso tempore, insecuta sunt Colloquia veluti Ratisbonense ac Dortrechtanum &c. quamvis, proh dolor! nec respondente effectu. Collibuit porrò, ex parte Catholicorum formulam aliquam fidei ac Religionis concipere interimisticam, camque Protestantibus hoc fine exhibere, ut illam adinterim iidem amplecti tenerentur, dum controversia isthæc Religionum, in Generali aliquo vel Nationali Concilio, plenè decideretur, à quo fine illa ipsa etiam formula dicta est Interim, jussitque Carolus Quintus Imperator severè eam sequi, interminatus pœnas adversus refragantes; sed hoc idem nihil aliud erat, quàm poscere, victas sibi dari manus.

Unde

Unde Principes & Status Protestantes, subodorati tales artes, abjicere aut hoc modo suspendere Augustanam Confessionem noluerunt, dubium enim nullum est, & experientia hucusque docuit, nec convocari Concilium, aut si omninò convocaretur, expectari tamen concordiam, physicâ quadam & simplici necessitate non ilicò posse; sicut quidem constat, Hussitis in Concilio Basileensi, adversus Eugenium Quartum Pontificem, in multis esse concessum, ratione quorumtamen, post etiam discrepârunt, & si quæ illorum super sunt quasi reliquiæ; hodienum differunt, ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ. Ratio est, quia Pontifex, quampri mum præsumit, Patres Concilii non per omnia sentire secum, disputat ipsis autoritatem, & vult haberi major Conciliis, nec illorum constringi decretis; si verò per inversum, Episcopi aut Theologi alicujus Concilii, præcisè debent dicere idem illud, quod etiam sentit Præsul Romanus, jam Concilium desinit esse simpliciter liberum; at Protestantes, ne visitare quidem volunt Concilium nisi facultas detur, liberè sentiendi.

Quâ

Quâ ex re fit, ut Concilia per se vix possint præstare Religionis concordiam difficile est enim, Protestantes ita simpliciter cedere Pontificis autoritati. Quousque igitur, apud Catholicos ista obtinebit maxima; Pontificem esse supra Concilia, nec errare posse, eousque non est, ut speremus vel qualem qualem Religionis transactionem præciso Conciliorũ remedio perficiendam. Quod cum considerarentur antiquitus, & vicissim appareret, Catholicos ac Protestantes Status atq; subditos Imperii, maximè sibi invisos, & tantum non capitali odio invicem accensos esse, placuit neutram partem debere alteri propter Religionem vim facere, ideoque primò per pactum Passavense, in id sub certis rationibus conventum, mox per Pacem Religiosam de Anno 1555. idem denuò sub pœnâ pacifragii consuetâ sancitum & confirmatum est, quoad Romano-Catholicos & Aug. Confessioni addictos. Itaque Reformati seu Calv. secundum literam illius Recessus de Anno 1555. & ante extensionem Instrum. Pacis, haud fruebantur pace Religionis aut certè non sine controversiâ.

De

De hac pace, poſtea diſputaverunt multi, nec illam pro lege Imperii Pragmaticavé Sanctione, recognoſcere voluerunt, præſertim vero proteſtatus eſt Epiſcopus Auguſtanus, quem adeò dicunt, tanquam inſimul non paciſcentem, eadem iſtac conventione Pacis Religioſæ, haud quaquam teneri; ſed omnes ejusmodi ſententiæ ac libelli, procul ſunt arcendi, & ex Rep. amandandi, ne turbas pariant publ. Religionũ tranquillitati, neq; enim requiritur, omnes cõvenire ad hoc, ut Lex quædam Imperii condatur, ſed ſufficit convenire majorem partem Ordinum, ac deſuper ſequi Imperatoris vel Regis Romani conſenſum. Etiamſi igitur, Epiſcopus Auguſtanus, aut qui alii calculum ſuum non adjecerint, tamen ex capite prædicto, Pax Religioſa ſuo gaudet vigore.

Porrò iſti Paci Religioſæ adjecta eſt clauſula reſervatoria de bonis Eccleſiaſticis, vulgò **der Geiſtliche vorbehalt** vigore cujus adimuntur Epiſcopatus & quæcunque alia Eccleſiaſtica bona, his Epiſcopis vel Prælatis Romano-Catholicis, quiad Reli-

Religionem Protestantium accesserint; callidum certè remedium pro Pontificiis, ut sc. ex personis Ecclesiasticis aut nemo accedat ad reformatam Religionem aut si quis accesserit, saltem bona Catholicis reservarentur! Et sic jam contigit in facto exemplũ illud insigne Gebhardi Archiepiscopi Colonienſis, qui postquam accessit ad Lutheranam Religionem, pulsus fuit Archiepiscopatu.

A parte tamen Protestantium reservatio isthæc Ecclesiastica semper fuit antehâc in controversiam vocata, nec in vim legis publicæ admissa, eò quòd Ferdinandus I. Imperator non potuerit, in tali Religionis negotio leges condere Protestantibus, vel ex sua sententia hanc rẽ determinare, multo minus aliter, illã Recessui Imperii inseri potuisse dixerunt, quàm publicè de eâdem prius convenerat. Et quanquã videri queant Protestantes, jam tum temporis peccavisse, quòd Recessui isti de Anno 1555. non obstante prædictâ reservatione, quæ expressè & quasi per modum legis inserta fuerat, subscripserint, tamen posteà non concesserunt eandem,

dem, & sic res fuit sub controversia circiter per integrum seculum.

Cæterum in Instrum. Pacis res isthæc est ad æqualitatem perducta utrinq́; , ut sive v. g. Catholicus Episcopus ad Evangelicam Religionem vel contrà Evangelicus Episcopus ad Catholicam Religionem accesserit, eo ipso Episcopatum, vel bona sua ac beneficia Ecclesiastica, perdat salvâ existimatione, prout videre est ex Instrum. Pac. *art.* 3. §. *Si igitur Catholicus* ubi pro utrisque expresè cautum esse invenitur idem illud, quod Pontificii anteà sibi solis voluerunt præcavere, suâ istâ reservatione Ecclesiasticâ, sed mittam nunc illa de quibus velut in transitu dixi, & me iterùm convertam ad negotium Religionis, toties non succedente effectu tentatum.

Si quis verò inquirere velit causas, cur Religionis compositio, ad fœlicem scopum hucusq́; perduci haud potuerit, respondebo breviter; Concilium Generale, vel saltem Nationale inde à tempore Reformationis nullum fuisse, quod utrinque fuerit agnitum, imò vix spem ejus ex diversis causis ullam superesse. Si quæ verò con-

rò contigerunt interim colloquia, acerbas ferè disputationes utriusq; partis auditas, quæ magis ad victoriam & ostentationem, quàm ad veritatem absque ulla animi præoccupatione eruendam, propriè directæ fuerunt.

Excipio tamen tentamen illud amicabilis compositionis inter Lutheranos & Calvinianos Theologos apud Philippum Hassiæ Landgravium quondam, factum, quo teste Dressero jam eòres fuit adducta, ut solummodo circa articulum Sacræ Communionis, ulterius disceptaretur, ac etiam ita discessum & conclusum sit, ut caritas Christiana ex utraque parte coleretur, & simul mutuæ preces ad Deum funderentur. Quem etiam concordiæ finem, ante annos non multos Colloquium Casselense, ex sollicitudine Sereniss. Principis Wilhelmi Hassiæ Landgravii, inter Rintelenses & Marpurgenses Theologos habitum optimè respexit, licet non ubique æquos invenerit censores.

Sed ut discursum meum continuem, ecquid quæso boni sperare liceat, loquar

enim prout res est, liberè, si Romano Catholicus fueris, Lutheranus, vel Calvinianus ac ubi ad ipsum punctum Christiani & amici colloquii ventũ est, disputando tuã sententiã præcisè defendere, & quicquid alter dicat ab eâ diversum, verbis convellere, in animo habeas, an miramur si malum istud semen non exoptatos illos concordiæ sed pejores exacerbationum fructus progignat? Res autem eò devenit hodiè, ut complures etiam non postremi ordinis Theologi unionem Religionum penitus aversentur, additâ ratione: Christum cum Belial componi non posse. Quâ sententiâ stante frustraneum sanè sit de modo loqui, ubi quæstio an? nondum fuerit discussa.

Existimo autem de eo inter omnes convenire, concordiam Religionum, per se non esse improbandam, sed tantum ex accidenti quatenus nimirùm hæc vel illa Religio quasi per transactionem in certis capitulis, quibus etiam ante recta ac vera fuisset cedere deberet, hic est ille lapis illisionis, hic ille stimulus adversus quem calcitrare nolunt, quicunque amicam

Religio-

Religionum unionem ut peſtem ſalutis deteſtantur. Ipſe confiteor, conciliationem fore difficilem non tam propter naturam ipſius rei, quàm quia vivimus hoc noſtro ſeculo, ubi non rarò, quò quisq; invectivior eſt in adverſarios eò majorem applauſum meretur & quò tenacior præconceptarum aſſertionum, eò aptior habetur ad colloquia!

Age dum verò conſideremus reſpuentium omnem compoſitionem, ratiunculum illam, paulò attentius; Negant conciliationem cum Adverſariis locum habere poſſe, quare? Quia ipſi per omnia rectè ſentiant, itaque perinde eſſe videtur ac ſi ſic argumententur: Noſtra religio eſt in omnibus vera. Ergò cum aliis ſalvâ conſcientiâ inire non poſſumus rationem unionis, huc ut opinor ſi omnia perpenderis tandem ſumma & nervus redibunt.

Quis verò non videt committi primò manifeſtam petitionem principii, poſcere enim in quocunq; tractatu vel diſputatione ut Adverſarius argumenti loco habeat id, de quo quæritur, annon eſt manifeſtè petere principium?

Deinde etiam conceſſo illo antecedenti, neganda eſt conſequentia : Quid enim ſi Adverſarii, oſtendantur in fidei fundamẽtis nohiscum cõvenire? Quid ſi probetur; diſcrepantiam magis eſſe in quæſtionibus circa fidem, quarum nomine complector omne illud, quod affirmari vel negari poteſt, ſalvâ ſpe ſalutis? Nec itaque ſatis eſt in hâc vel illa controverſiâ ſuam ſententiam veram eſſe oſtendere, ſed oportet etiam ad ſalutem ſimpliciter neceſſariam demonſtrare, à quâ qui alienus ſit incurrat æternam condemnationem; in quo certè ſenſu difficilius procedet, prẽmiſſi argumenti conſequentia, ut patebit ſi paululum examinare volumus naturam & requiſita articuli fidei in genere, ac deinde hæc talia ad controverſias religionis complures applicare.

Eſt itaque articulus fidei talis poſitio ſine cujus cognitione nemini contingere poteſt ſalus, imò verò ſi accuratè loqui volumus ſecundũ ſcripturas, ea ipſa in nonnullis articulis fidei formaliter ſita eſt juxta illud Johannis 17. Hæc autem eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum

rum

rùm Deum & quem misisti Jesum Christum &c. Ubi apparet in sensu formali vitã æternam, quæ est utiq; vocabulum synonymum salutis collocari in cognitione Dei & filii Dei, ut sic cõsequenter vel in hac vel in futurâ vitâ, nemo verè & formaliter dici possit beatus, qui non istam habeat cognitionem. Cui loco accuratè convenit exemplum Petri, qui interrogatus à Christo, quem ipsi discipuli sese magistrum suum dicerent esse, ubi responderat: Christus es, Filius Dei viventis, deprædicatur ilicò beatus, quia sc. hâc tali confessione & cognitionem Dei, & Filii Dei haberet supernè revelatam.

Uti verò cognitio isthæc in viâ est sub nube, in patria erit sub sole sive de facie ad faciem; ita dici posse videtur secundum hæc scripturarum principia, quòd in viâ, id est in hac vitâ, quasi inchoamentum aliquod beatitudinis experiamur, in alterâ verò futura sit perfectio, uti quidem satis clarè innuit Paulus *in* 1. *ad Cor.* 13. Unde præclarissimi Theologi, summum quasi apicem beatidudinis æternæ collocant in cognitione divinâ idque meritò

ex duplici capite, 1. propter præcellentiam objecti, hoc est Dei ac mysteriorem ejus, 2. ex præcellentiâ facultatis, quæ est intellectus, profectò omnium animi facultatum in homine longè excellentissima. Quibus ipsis denique conjungo dictum Pauli *act.* 15. ubi inquit salvabimur sicut Patres, quasi assereret expressè, medium & naturam salutis unum unamque esse in Patribus & nobis hoc est in Veteri & Novo Testamento.

Ex quibus apparet secundum principia scripturæ ad articulum fidei fundamentalem in genere requiri, 1. ut sit vel de Deo, aut ratione essentiæ & attributorum, aut ratione operum ad intrà vel ad extrà considerato, quippe quæ cognitio in perfectissimo gradu, est ipsa beatitudo nostra in perfectissimo gradu, & comprehendit vel includit sub se secundum principia revelata doctrinã de *art. Trinit. & incarnationis*, cætera sunt hujus beatitudinis quasi connexa; vel ut sit & agat de medio salutis, omnibus salvatis & Veteris & Novi Testamenti communi, qui enim articulus nec ad medium salutis, nec

nec ad salutem ipsam ejusque objectum, & connexa pertinet, is ipse non videtur simpliciter esse necessarius.

His ita prælibatis, operæ pretium fuerit ad hypothesin descendere, & exemplis diversarum controversiarum ostendere, quòd illæ potius ad scholas pertineant, eaque propter sive neges illas sive affirmes hæreticorum catalogo nullatenus connumerari merearis. Ac Lutheranos quidem inter & Catholicos controversiæ istæ satis sunt celebres, primò de authoritate perfectione & claritate sacrorum Bibliorum, 2. de libero hominis arbitrio in Spiritualibus. 3. de puncto vel medio justificationis coram Deo. 4. de cultu Sanctorum. 5. de purgatorio. 6. de numero Sacramentorum in genere. 7. in specie de sacra communione adjicere possem complures alias, sed quia instituti mei non est aliter hâc vice quam exempli gratiâ loqui, his ipsis contentus ero. Nihilominus prudens lector copiam habiturus est, de aliis consimilibus judicandi; eò autem collimat intentio mea, non ut ostendam in propositis controversiis, vel

nos Lutheranos vel Chatholicos verius sentire.

Sed dicam tantum hoc, nec nos nec illos satis causæ habituros, cur invicem hæreseos notam inurere nobis præsumamus, imò centesimus quisque ex vulgo, controversias illas nõ intelligit, ut ita si utrinq; mitius ageretur, haud super fore viderentur hujusmodi tã acerrimæ lites, sed ad rem: Dicunt Lutherani, circa primam quæstionem sacra Biblia esse perfecta & clara tantæque authoritatis, ut præcisè secundum normam illorum omnes religionum controversiæ, veniant dijudicandæ.

Econtrà Catholici requirunt ad regionis scrupulos vel differentias, judicem aliquem, qui forinsecus ferat sententiam, ac partes litigantes ita invicem discernat, eumque judicem volunt esse Pontificem Romanum, istâ ratione, quòd sit Christi in his terris Vicarius, cui ipsa Ecclesia Christiana sit tanquam fulcro superstructa, pro normâ verò agnoscunt non præcisè scripturas, verum & authoritatem Ecclesiæ, quo fit, ut per quandam consequentiam,

tiam, asserere debere videantur, scripturas non esse usque quaque perfectas, sive claras & ideò si quid in illis extet, concedunt quidem hoc secundùm fidem attendendum, pernegant tamen ex eo capite, quòd hoc vel illud non extet in Bibliis, sequi idem propterea non fore verum, aut pro articulo fidei custodiendum, videlicet cum ex illorum sententia multa jam inde ab Apostolis usque quasi per manus tradita, quæ omninò etiam de fide ligent, in Ecclesiis sint recepta.

Jam autem quæro, utrùm medium salutis constet in hac quæstione, vel ipsa salus, sic ut ne homo rusticus quidem, vel Lutheranus, vel Romano-Catholicus, nisi sciat quis sit judex in controversiis fidei dijudicandis salvari possit? Si affirmas, ostende mihi locũ stringentem ex Sacris; non est satis afferre hujusmodi locum aliquẽ scrutamini scripturas, nam salus æterna continetur in his &c. Quia nervus controversiæ non est in eo, cum Pontificii idem concedant, nec rem confeceris loca afferendo ejusmodi, ex quibus vulgò solet claritas & perfectio scripturarum ostendi,

ostendi, quia aliud est dicere; scripturas esse claras & perfectas, aliud, quòd is qui negat in omnibus perfectas & claras esse, impingat in articulum fidei fundamentalem.

Ergo peto uno verbo evidentes præmissas ex Scripturis, quibus ab alterutrâ parte, non hoc ostendatur quòd scripturæ claræ sint, sed hoc, quòd si quis affirmet esse claras & perfectas, ad negandum primatum Pontificis, vel neget ad asserendum illum primatum, propterea sit habendus loco hæretici.

Sed quid multis, non credo facilè quem eo processurum, ut affirmet, homines simplices & rusticos, non posse salvari absque illius controversiæ cognitione, & excludi à salute, nisi actu positivo cognoscant, quis sit judex in spiritualibus. Quòd si ad alterum membrum nos convertamus, videlicet rusticos, ut omninò est, absque cognitione positivâ hujus rei salvari posse, jam colligo ex supra dictis, quòd quæstio isthæc relata non incidat in speciem articuli fundamentalis.

Nihil facit, qui objicere vellet, eos saltem

saltem impingere contra articulum fundamentalem, qui in eâ re determinatè judicando veritati adversentur. Unde rusticos & indoctos homines, etiamsi concesserimus salvari citra notitiam hujus controversiæ, tamen illud propterea evenire, quòd ipsi determinatè non obloquantur veritati; negando sc. perfectionem & claritatem scripturarum, ut dicerent Lutherani, vel inficiando & excludendo authoritatem Ecclesiæ & Romani Pontificis, ut dicerent Romano-Catholici.

Nam contra ad articulum fidei fundamentalem requiritur positiva cognitio, non tantùm in doctis, sed etiam in rusticis & simplicioribus. Ergò neque rustici possent salvari, quamvis nec affirmativæ nec negativæ in præjudicium veritatis adstipularentur, sed ex consequenti ipsam veritatem, positivè cognoscere tenerentur, si modo vellent salvi fieri.

Accedo ad secundam quæstionem, de hominis libero arbitrio in spiritualibus, quâ in re sentiunt Protestantes, post lapsum Adami, non inveniri in homine quic-

quicquam incorruptum eoque volunt, istam contagionem adeò penetrasse etiam cunctas animi humani vires, ut quod bonum in illis est, habeat se merè passivè, nec voluntas in conversione hominis, quicquam operetur, sed solùm concurrat in modum subjecti patientis, quatenus nimirum non resistat operationibus Spiritus Sancti.

Econtra Romano Catholici, agnoscunt in homine quamvis pro hoc statu corruptionis considerato, liberum arbitrium respectu spiritualium, explicant tamen illud per quandam subordinationem concursus divini; adeò, ut homo sibi relictus, nihil quicquam benè facere, aut velle possit, eadem tamen possit condependenter ab influxu Dei sanctificantis, ac, ut sic dicam, erigentis imbecillitates humanas ad bonum.

Protestantium argumenta desumuntur ex dictis Biblicis, quæ cum diversa sint, illud tamen puto esse præcipuum, cum Paulus Apostolus inquit, nos non esse aptos ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis cogitandi vel faciendi quicquam boni, sed

ni, sed totum istud ascribit Deo. Catholici verò hanc præcipuè, pro sua sententia, usurpant rationem, quòd Deus etiam in statu corruptionis jubeat vivere ex præscripto Legis suæ, quod ipsum certè vero similius omisisset, nisi homini competerent vires istæ saltem subordinatæ, alioquin secuturum frustra Deum mandata dedisse ad implenda ipsius præcepta, si homini simpliciter desit facultas juxta normam illorum vivendi.

Jam verò utrique respondent alterius partis fundamentis, primò dicunt Pontificii, particulam illam tanquam ex nobis ab Apostolo adhibitam, excludere tantũ sufficientiam virium humanarum ad bona opera, non verò potentiam cooperandi præviâ istâ, quam dixi, elevatione divinâ, satis enim salvari, hominem ex seipso tanquam ex seipso, nihil bonifacere posse, si sibi relictus ac sine erectione divinâ ad bonum quodcunque spirituale, existat impotens.

Ex adverso Protestantes respondent Catholicorum argumento, Deum nec frustrâ nec injustè tulisse legem, quamvis

nos

nos illam ad implere non possimus, tendere namq́; hoc ipsum eò, ut defectus vitæ nostræ inde agnoscamus, ac severam pœnitentiam agamus, quin meritò reposci vires in primævâ creatione homini concessas, sicut creditor justè petit debitum, etiamsi debitor obæratus illud solvere nequeat.

Ex quibus apparet, utramque partem convenire in eo, quòd non debeamus resistere operationibus divinis, sed quantum in nobis est, seu præcisè per illam non resistentiam seu per aliquem coinfluxum rectè nosmet gerere. Si quis verò ad praxin Ecclesiæ respiciat, quid est tandem cur in his rebus adeò separare nosmet debeamus? Quoniam enim utriusq; partis confessione id præcipuum est, hunc vel illum hominem rusticum fortè, aut certè harum rerum non adusq; gnarum, offerre Deo & Spiritui Sancto operaturo, cor sive animum non resistentem, ad hoc ut convertatur, quid igitur attinet, illum actu reflexo cognoscere: utrum isthæc non resistentia, sit actio vel passio mera, [quamvis etiam hâc ratione, saltem sustentando actum conversionis concurrere

rere voluntas videretur] sive si sub his terminis loqui malis, cur requiretur cognitione reflexâ scire utrum voluntas peccantis ad actum conversionis aliquid contribuat nec ne? Humiliet se homo coram Deo & silentio, vel potius ignorantiâ suâ quæstiones istas de Libero arbitrio, nisi quatenus inter doctos agitantur, in spiritualibus prætereat.

Tertia controversia ex supra numeratis, quæ erat de medio salutis, utrum illud sit fides, vel bona opera, similiter si rectè considerare velimus, declinari potest, sic, ut homines nihilosecius possint fieri salvi, quam visactu reflexo medium salutis non cognoscant, nam simile quid ipsis tunc accidit sicut ægrotis, qui ex morbo quidem sæpè reconvalescunt per applicationem medicinæ, cujus tamen medicaminis præcisâ virtute reconvaluerint, ignorant; sic videtur, si utraque pars vel Catholicorum vel Protestantium missâ istâc quæstione tantum hoc ageret, ut suæ confessionis homines medio verbo ad fidem veram Christianam, & etiam studia pietatis accenderet, plures conversum & salvatum

iri, quam nunc, ubi lites vigent, de medio justificationis, an illud in fide aut bonis operibus consistat, de quâ re certè nihil mali incideret, si & Ecclesiæ & Reipublicæ commodo hæc talis quæstio reflexa planè omitteretur.

Quartus articulus fuit de cultu Sanctorum, in quo credo, sicut in cæteris, amicabiliter nos agere debere. Quamvis enim si rem ipsam aspiciamus in primitivâ Ecclesiâ & ex historiis non facile appareat fuisse præsidium quodcunque, etiam intercessionis tantùm collocatum in Sanctis, ex eo tamen non puto inferendum esse, quòd propterea debeamus acerbum inter nos animum gerere, sed quia cultus adorationis neque à Catholicis attribuitur ipsis Sanctis, intercessio autem non ita in fundamenta fidei, superius deducta peccat, si aliter res componi nequeat, videntur certè non habendi pro hæreticis, qui inane licet Sanctorum præsidium intercessionis implorant, dummodo mediis alioquin ad salutem veris consimiliter adjuventur, ac dummodo istam intercessionem, non in cultũ adorationis, reipsâ convertant, utile enim per

inutile

inutile ut loquuntur jurisconsulti non debet vitiari.

Quintò purgatorium est & res indifferens, & videtur pariter absque periculo animæ affirmari posse vel negari: utrum verò reverà detur ex scripturis non appareret necessarium vestigium, & magis nego, eò, quòd probari non possit, quàm quòd si statuerem, malè mihi vererer. Quamvis enim, ut dixi prægnans & apodicticum fundamentum ex scripturis reddi nequeat, quòd purgatorium sit, tamen scripturæ etiam non dicunt, quòd non sit, ideoq; puto hactenus esse rem indifferentem, & maximè cum moderamine paulò superius circa quæstionem primam exposito accipiendam.

De numero Sacramentorum similiter litigamus, & in terminis non convenimus, si enim Catholicum quæras, quid sit Sacramentum, aliam habebit definitionem, si Lutheranum iterum aliam. Constat autẽ eos qui disputare invicem volunt in quacunq; etiam materiâ Theologicâ, in terminis quoque invicem debere convenire, quod hic non est.

Itaque evenit, ut si per Sacramentum in genere intelligas idem, quod Catholici intelligunt, nec plura ad illud requiras, septem videantur emergere Sacramenta; sin Protestantium retineas definitionem, duo tantum, ex quo sequitur, hanc quoque controversiam ex Ecclesiis debere exesse, utpote cum nomine, quàm re magis constet, taceo jam si proportionali modo etiam ostendere cupias defectus, in prædictis quæstionibus monstratos.

Porrò erat septimum de sacra communione, quod ad utramque speciem, panis & vini attinet; in quo verosimilius apparet, nec ipsos Pontificios fore difficiles, ut sacramentum administrent, quemadmodum illud & sub quibus speciebus, Christus instituit. Quod autem ad sensum verborum Sacræ Cœnę attinet, differimus quidem invicem, cum Pontificii transsubstantiationem specierum, Protestantes verò naturam integram illarum statuant. Quam quidem sententiam Romano Catholici videntur sumpsisse imitatione quadam Philisophiæ Peripateticæ, quia sicut in naturalibus, materia prima de

ma de unâ formâ in aliam tranſit, ſic quadantenus in verbis inſtitutionis; hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus, introduxerunt veteres ſupernaturaliter tranſire materiã illam ſubſtratam, & ſenſibus obviam, de naturâ panis & vini, in naturam corporis & ſanguinis Chriſti.

Proteſtantes verò cenſent panem & vinum retinere ſuam naturam, ſed modo inviſibili ſimul percipi corpus & ſanguinem CHRISTI, quæ ſententia, ut puto, directiusex illo loco Paulino, ubi Apoſtolus ſtatuit, panis ac vini manducationem, & ut ſic dicam bibitionem, eſſe quandam communicationem, corporis & ſanguinis Chriſti, à parte Lutheranorum firmatur, quàm ex ipſis verbis inſtitutionis; quia ad illud HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS dicere poſſunt Catholici, per τὸ hoc & per τὸ hic, non ſignificari resantè viſas, id eſt panem & vinum, ſed ſub priſtinis ſpeciebus corpus & ſanguinem Chriſti, ſanè ex tenore & cortice verborum, ſtringenter ibi contrarium elici nequit.

At cum apoſtolus dicit, panem & calicem communicationem corporis &

sanguinis Christi, verba illa non patiuntur talem interpretationem, quia ante benedictionem sacerdotalem secundum ipsos Catholicos, corpus & sanguis Christi nondum fuerunt, sed adhuc panis & vinum, post verò illam benedictionem non amplius statuunt adesse panem & vinum, sed conversum corpus & sanguinem Christi. Locus autem citatus Apostoli, sic omninò requirit, ut simul corpus & sanguis Christi, & item panis & vinum adsint, sive ut Theologi nostri loquuntur; in cum, & sub pane & vino, corpus & sanguis Christi percipiantur; propterea áque per modum transsubstantiationis explicari nequit. At verò si quæras, utrum una vel altera sententia, de necessitate ita sit statuenda, ut alioquin salus animæ obtingere nequeat, difficilem habebis assensum meum, dum considero finem Sacro Sanctę Cœnæ, is est ut omnes fatentur, confortatio fidei, deinde emendatio vitæ.

Si ita q́; credas Christum pro te esse crucifixum, teque percipere corpus & sanguinem ejus in Sacrâ Cœnâ, modum verò Majestati divinæ relinquas, ac inposterum

sterum pro tanto pretio & beneficio meliori vitæ studeas, credo obtinuisti illum finẽ Institutionis Dominicæ; sicut Petrus, loco ante cit. ab ipso Christo de prędicatus fuit beatus, quamvis tunc nec instituta foret Sacra Cœna, adeoque, quamvis tunc per consequentiam, Petrus ipse nec dum sciret modum præsentiæ Christi in Sacrâ Cœnâ. Quapropter hæc etiã controversia ut priores, non deberet tanto fervore utrinque agitari, præsertim cum illa quæstio an solæ species panis ac vini, an verò ipsa etiam signa illa, in Cœnâ Domini, substantialiter remaneant, planè per accidens sese habere & modum magis perceptionis, quam Sacram Synaxin in se, directè spectare videatur.

Accedamus ad nonnullas celebriores controversias, quæ nos Lutheranos inter & Calvinianos, cum primis agitari solent, nempe primò de absoluto Dei decreto, quo electos ex omni æternitate elegerit, damnandos verò reprobaverit. Secundo de causâ peccati. Tertio de persona Christi. Quartò de Cœnâ Domini. Recurrendo ad Primum, dicunt Calviniani sive

Reformati in ſpecie ita nominati, electos debere ſuam electionem ſimplici alicui prædeſtinationi divinæ ut reprobos etiam ſuam reprobationem, ſic ut etiam ſi electi malè agerent, non poſſent tamen condemnari, uti nec econtrà, prædeſtinati ad condemnationem, quomodo cunque etiam ſeſe gererent, ſalvari, & ex hoc etiam fonte porrò promanaſſe videtur, ut Calviniani, maximè veteriores circa articulum ſecundo loco relatum affirmativam partem ſequerentur. Argumentum autem illorum potiſſimum conſiſtit in præſcientiâ divinâ, quæ cum ſit ex omni æternitate ſimpliciter certiſſima ac infallibilis, dicunt etiam oportere cuncta inevitabiliter in tempore præviſo ita inſequi. Si namq; unicũ ſecus eveniret, aut evenire poſſet, concludunt etiam præſcientiam divinam pari modo ſeſe habituram, ut aut de facto fallat, aut ſaltem fallere poſſit.

Ex adverſo nos Lutherani dicimus, hæc talia pugnare contra miſericordiam Dei & enixam voluntatem de ſalute omnium hominum in Sacro Codice declaratã, itaque

que necabsolutum istud decretum astrui, &c Deum, qui per essentiam suam bonus & misericors imò ipsa bonitas & misericordia sit, auctorem peccati sine impietate constitui posse. Respondemus etiam ad argumentum istud; ex eo tantùm sequi necessitatem consequentiæ, non verò consequentis, sive hoc tantum sequi; omnia tunc quidem, quando fiunt juxta illud, quodlibet quando est necesse est esse, & quodlibet quando fit necesse est fieri, non posse non esse & non posse non fieri. At considerando res quæ fiunt in se, & priusquam fiant tunc omninò evidentem esse in illis contingentiam, præsertim verò in actionibus humanis & ideò utrũ Titius hora ſtâ deambulet ante horam ſtam priusquam reipsâ deambulat, in ejus est arbitrio, quando verò jam deambulat horâ ſtâ non esse amplius liberum, quia sc. voluntatẽ in se indifferentem tunc ad alterum oppositorum nimirum actum deambulationis realem jam determinavit.

Jam, quoniam cum hâc necessitate ex hypothesi sive consequentiæ, benè perstat rerum contingentia, hinc Lutheran

dicimus, ex isto argumento à præscientiâ divinâ sumpto id non colligi, quod Calviniani volunt, fusius hæc eadem persequi possem, sed memor sum propositi, me sc. aut planè non, aut certè brevissimis, in merita controversiarũ ipsa memet intromissurum. Probabile est autem Calvinianos hoc in puncto præsertim cum moderni mitiores videantur, cessuros esse, & fortè jam cesserunt Theologi illorum, qui interfuerunt amicæ conversationi apud Philippum Hassiæ Landgravium habitæ unde prima & secunda controversia, non videntur hodiè multùm negotii facessere.

Succedit tertia de personâ Christi, in quâ notum est Calvinianos inter & Jesuitas ut plurimùm convenire, ut sic tractatus concordiæ, eo respectu faciliores fore credideris. Res ipsa autem potissimum consistit in doctrinâ de communicatione idiomatum quam Lutherani pleriqué admittunt, Calviniani negant, & sic humanæ Christi naturæ, dicunt non rectè tribui, prædicatũ omnipotentiæ omniscientiæ &c. Quanquã verũ sit, quòd hæc talia prædi-

prædicata & divinæ naturæ & personæ Christi etiam in statu incarnationis & exinanitionis competant ac competierint.

Quam vim habeant argumenta, utrinque proponi solita, nunc non discutiam, quia res est præter institutum hujus tractatus mei, sed dico tantum etiam in hoc articulo moveri quæstionem circa fidem. Ratio est, nam quantum ad substantialia articuli de personâ Christi satis fuerit admittere duplicem naturam divinam & humanam, quæ reipsâ in Christo inveniantur unitæ in unitate personæ idque adversus Nestorium & id genus similes. 2. dicere naturas illas inter se non esse confusas, sic ut utraque substantialiter diversa sit & maneat in statu unionis ab alterâ, idque contra Euthychem & ejus asseclas. Sed hoc utrumque profectò admitti ac statui potest, præcisâ planè quæstione illâ de communicatione idiomatum. Ergò illa quæstio est circa fidem & non de fide in articulo de Christo.

Probatur minor propositio, nam in eo sumus ex omni parte in fide concordes,

des, quòd Christus habeat revera duplicem naturam divinam & humanam, item quòd hæ naturæ inter se personaliter sint unitæ, sic, ut una eademque subsistentia, terminet utramque, & divinam & humanam naturam, in actu personalitatis, 2. Quòd hæ naturæ sint in unione personali inconfusæ, sic ut utraque retineat ac retinuerit, intrinsecam rationem propriæ essentiæ, constat autem quòd nec Symbolum quidem Athanasii, omnium tamen confessione maximè orthodoxum, quantum ad personam Christi attinet, amplius quid requirat. Ergò si hodiè de puncto comunicationis idiomatum plus quæritur, illud censendum est circa fidem quæri non de fide.

Nec morabor illos, qui opponere volunt, comunicationem idiomatum sequi ex unione personali, nam contrà; hoc est adhuc in quæstione & adversarii non concedunt, ac dicent in ipso Symbolo Athanasii Christum quoad humanam naturam, minorem dici Deo Patre, æqualem autem quoad divinam ut sic non necesse sit, ex vi unionis personalis, omnia idiomata

mata divinæ naturæ, esse communicata humanæ naturæ, præsertim, cum in se pateat v. g. attributum æternitatis non esse communicatum humanitati quamvis hoc non obstante salva sit unio personalis.

Contrà & secundò, ego me non intromitto in merita causæ, sed dico tantùm, proba, si quis, concessâ unione personali, negat communicationem idiomatum, prout vulgo explicatur, quòd is propterea anathema sit, & contra fundamenta fidei pugnet, ratio negationis est, quia v. g, intellectus viatoris, in patriâ aliquando dubio procul, multa videbit consequentia, ex articulis fidei, quæ ipsa pro tempore & statu viæ illum latent. Sic itaque existimo semper distinguendum esse in controversiis Religionum, inter quæstionem ipsam, vel potius inter id quod affirmandum & negandum est, & inter imputationem hæreseos.

Sed progredior ad quæstionem quartam de Sacrâ Synaxi, in qua veteres Calviniani verba ista Institutionis Dominicæ; hoc est corpus meum, hic est sanguis

guismeus, interpretati sunt tropicè, ita ut esse, importet idem quod significare; Recentiores autem videntur relinquere, isti verbo propriam & nativam significationem; negant autem sermonem ibi esse de manducatione & ut sic dicam, bibitione orali, sed tantùm de spirituali quatenus nimirum ex istis signis sacramenti externis, anima fidelis, per fidem elevetur in unionem sui Salvatoris. Res tamen hactenus eodem redire videtur, nam & veteres & recentiores Calviniani negant realem præsentiam carnis & sanguinis Christi in Sacrâ Cœnâ, quam ipsam tamen Lutherani constanter defendunt.

Quæstio autem in præsentiarum non versatur circa terminos rei principalis, sed tantum in hoc: posito, quòd Calviniani in articulo illo Cœnæ Dominicæ errent, utrùm propterea error iste sit circa substantialia fidei, & impediat æternã salutem? Defendi potest, quòd non impediat, ratio est quia sive præsens sit corpus Christi, realiter, sive tantũ mentaliter, semper certum est, quòd fides salvificet, non verò præcisè suppositalis illa corporis Christi præ-

præsentia, quæ notoriè ob defectum fidei nihil operatur in incredulis. Ergò fides est potissima ratio vel medium salutis. Nec video stringens argumentum ex Scriptis, cujus conclusio sit; Ergò quicunque non admittit humanæ Christi naturæ præsentiam suppositalem in Sacrâ Cœnâ ille salvari nequit.

Tandem enim hanc ex Scripturis, conclusionem elicies, corpus & sanguinem Christi præsenter adesse in S. Cœnâ quæ tamen abludit à scopo & negabitur consequentia, si ulterius inde colligere velis. Ergò qui illam non admittit, salvari nequit, cum primis applicando ea, quæ circa tertiam quæstionem proximè fuerunt discussa.

Cæterùm non ero longior in adducendis exempli loco hujusmodi controversiis & ex his opinor paucis judicium facilè fieri posse à candido lectore de cæteris similibus. Quoniam verò inde constat, controversias inter Pontificios Lutheranos & Calvinianos, quippe, quę tres. Religiones Legibus publicis in Imperio hodiè sunt confirmatæ, aut omnes aut certè

certè quam plurimas circa fidem magis quàm de fide versari, & verò ex altera parte omninò bonum foret Reipublicæ, cives ac subditos, per diversas Religiones mutuasque illorum exacerbationes, qui oleum flammæ, quàm aquam afferre malunt, animis invicem non ita abalienari sed reduci vel plenam, vel eam saltem, quæ secundum deducta salvis fidei principiis haberi potest Religionum concordiam, hinc dico ad Rationem Status Germaniæ pertinere, saltem quoad benè esse, ut tentetur, ad majorem inducendam Statuum unionem, diversitatis Religionum compositio.

Nec audiendi sunt hi, qui in contrariũ clamant; Christum cũ Belial componi non posse, cur enim illud tentaverunt Antecessores apud Philippum Hassię Landgravium, Primarii sanè utrinque Theologi & huic tam pio scopo tantum non ultimam manum imposuerunt; *vid. Dreß. in Mill. sex. pag. mihi* 73. Imò ipsi Apostoli cum non essent eiusdem sententiæ circa Legem Mosaicam ex stribus Actis Apostolorum non semet ita sunt aversati

sed

sed per amicam conversationem etiam in illo puncto concordiam quæsiverunt.

Porrò autem ad tentamen amicabilis compositionis aliqua videntur necessaria, primò ut ad exemplum Serenissimi Electoris Palatini, invectivæ illæ ac in Ecclesiis certè nihil profuturæ disputationum ac concionum acerbitates ex omni parte sub severâ pœnâ inhibeantur, permissâ cujusque Religionis in thesi & quoad articulos positivos declarandæ licentiâ.

Si existimas justè illud fieri non posse, oppono exemplum ipsius Lutheri, qui teste Sleidano de Statu Religionis multoties instanter petiit à Pontifice ejusque Cardinale Cajetano, ut utrique parti hoc est & sibi ipsi & Eccio aliisque adversariis silentium imponatur; animadvertit sc. beatus Lutherus hoc esse appositum medium cliscentem discordiam prævertendi & velut in herbâ extinguendi.

Secundum notabile est ut ex doctissimis mageque pacificis Theologis certo numero aliqui utrinque assumantur, qui amicabili modo invicem, merita controversiarum accuratè ponderent, ac qui

non, ad oſtentationem vel victoriam, ſed ad veritatem eruendam ſimpliciter colliment. Tertiò conveniet imitari priſcos Imperatores Romanos, qui in Patrum Conciliis ſoliti fuerant, præſidum partibus fungi, uti patet in Concilio Niceno exemplo Conſtantini Magni, in Epheſino exemplo Theodoſii Secundi. Imò exemplo ipſius Caroli Quinti Imperatoris & ejus temporis Procerum Imperii, qui teſtibus actis Comitialibus curam Religionis, quàm maximè ſui fecerunt muneris &c. Itaq; Imperator & Ordines hodienum, ſi non per ſe ſaltē, per deputatos intereſſe poterunt colloquiis, ut omnia tantò meliùs & candidiùs peragantur.

Quibus deinde quarto loco conjungi debet ordo & modus agendi, ut videlicet primo conſtituatur quid ſit articulus fidei in genere; deinde ut obſervetur modus procedendi accuratus & ſyllogiſticus, ſecundum tenorem tamen Sacrarum Literarum, cum videlicet earum διοπνευσία tres illæ Religiones agnoſcant. Quibus præſuppoſitis opera dari debebit enixa, ut quæſtiones controverſæ, quate-

non

nus, fieri potest omnes componantur aut saltem pleræque, ac ut in cæteris, quibus fortè convenirinon posset, civilis saltem concordia prohibitis invectivis orationibus, invicem coleretur.

Hæc sunt ea, quæ in difficili isto Religionum conciliandarum puncto in medium breviter adferre volui, non quasi sine Religionis unitate, Imperium simpliciter gubernari nequeat, sed quòd verosimiliter meliùs inde se haberet, si Religiones diversæ & legibus publicis approbatæ, quatenus liceret salvis fidei Principiis fundamentalibus, ad concordiam revocarentur; scripta tamen sunt, quæcunque hoc capite continentur, & sic etiam accipienda citra cujusvis, ex illis Religionibus in se spectatis præjudicium.

CAPUT XXII

De Ordine exercendi Rationes Status per complura capita huc usq; deductas.

QUærat aliquis cum hucusque deduxerim esse de ratione Status Germaniæ modernæ erigi Consilium Status, Comitia emendari, ali perpetuum militem nomine Reipublicæ, fortalitia etiam Imperii publico nomine possideri, justitiam re-

am rectè administrari ac defectus ejus varios corrigi, publicum item ærarium induci, unde & Consiliarii Status, & Aulici ac Cameralis judicii Assessores, salaria accipiant, nec non Perpetua militia sustentetur, aliiq; Reipublicæ sumptus sufferantur, porrò etiam expedire constantem aliquam Capitulationem Cæsaream haberi & quæ hujusmodi alia fuerunt, suis singula capitibus discussa, quæret ergò inquam aliquis, si manus imponenda foret operi, unde & à quo requisito Status commodè fieret initium?

De qua quæstione hîc coronidis loco agere placet brevissimis: Et quidem, cum nec militia publica, nec Consilium Status, videantur induci vel subsistere posse, absque sumptibus publicis; sumptus autem tales ex ærario publico, veniant depromendi, hinc in eâ sum sententiâ, primam curam, quod ad relatas rationes Status attinet, convertendam esse ad ærarium, illudque mediis tolerabilibus, de cujusmodi aliquibus discursivè scripsi, per Pragmaticam quandam Imperii sanctionem inducendum.

Mox & secundo loco sive etiam simul cum ærario Consilium Status, Imperatoris & Ordinum nomine constituendum, videlicet tum ut Publica Imperii negotia maturè prædeliberentur, ac rectiùs deinde vel in Comitiis, vel pro occurrenti necessitate concludi & expediri possint, tum etiam ut omnes reditus per illos Consiliarios Status Imperatori & Imperio jure jurando devinctos tantò promptiùs in ærarium inferantur & in publicum

blicum emolumentum convertantur, inde de publico & perpetuo milite conscribendo, ac per Provincias Imperii distribuendo, maximè verò in locis munitis & qua parte exterorum irruptio metui & vis sive interna sive externa retundi commodè posset, collocando.

Nihil impedit quartò simul aut etiam posteà mox, de emendatione Comitiorum ac justitiæ, publicè prospicere & ulterius quoq; ea quæ ad benè esse Imperii pertinent, ordine simultaneo vel successivo in Rempublicam invehere. Sunt tamen nonnulla & nominatim puncta recuperandi ablata Imperii, quæ nunc temporis ab exteris possidentur, ubi deliberari quidem, quandocunque de hujusmodi bonis ademptis licet, non verò ea quæ deliberata fuerint, ad lubitum quandocunque exequi, sed expectari debet, omninò tempus Reipublicæ commodum; interim nequaquam frustranea erit maturior & accuratior rei perpensio & exploratio, quia sæpenumero non satis constat de istis recuperandis, quâ de causa & quibus circumstantiis ad alios pervenerint, quanto tempore ab iisdē detineantur, & quâ ratione quibusvé modis Imperio iterum asserantur ac vindicentur, inter quæ sunt cumprimis ablata illa in Italia Imperii bona.

De quibus ipsa Capitulatio Invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi *art.* 12. disponit nominatim: Sollen und wollen uns aufs höchst bearbeiten [post alia & generalem bonorum ad exteros translatorum recuperationem intersper-

sam] Vornemlich auch / dieweil vorkommen daß etliche ansehnliche dem Reich angehörige Herrschafften und Lehen in Italien und sonsten / veräussert worden sein sollen / aygentlich nachforschung derentwegen anzustellen / wie es mit solchen alienationen bewand / und die eingehölte Bericht zu Churfürstl. Mäyntzisch. Cantzley / um solches zu der übrigen Churfürsten Wissenschafft zu bringen inner Jahrs Frist nach unsrer angetrettnen Königlichen Regierung anzurechnen / offenbarlich einzuschicken / auch in diesen und obigen allen mit Rath / Hülff und Beystand der sieben Churfürsten allein oder nach Gelegenheit der Sachen / auch andrer Fürsten und Ständen jederzeit an die Hand zu nehmen / was durch uns und sie vor Rathsam / nützlich und gut angesehen und verglichen sein wird.

Ex his Imperii bonis per Italiam ablatis haud contemnendam partem etiam Veneti possident, ut confessus fuit antehac ejus Reipublicæ Patritius Melchior Trivisanus in Senatu Veneto, ubi gravissimâ oratione dissuasit societatem armorum cum Ludovico XII. Galliarum Rege ineundam, quòd sublatis per Italiam æmulis, hic idem Rex, probabiliter fœdus & amicitiam cum Maximiliano Primo Imperatore contra Venetos sit junctus, adversus quos inveteratum sit Germaniæ odium, cùm tot loca ad Austriacam domum & Imperium pertinentia iidem possideant.

Cujus viri rationes licet majori Senatus parte rejectas, eventus posteà comprobavit, dum pulso Lu-

so Ludovico Sfortiâ Mediolanensium Duce, Maximilianus Primus Imperator & Rex iste Ludovicus Venetos communi Marte sunt adorti, quos etiam in tantas conjecerunt difficultates, ut toto continente excedere cogerentur, salsarum aquarum Imperio, ut ille ait, circumscripti. Sic igitur Maximil. Primus tunc temporis prosperum fecit initium in recuperandis Imperii bonis, sed artibus Julii Secundi Pontificis, qui hinc suum Statum volebat confirmare, fuit Ordinibus Imperii non juvare persuasis, pleno successu destitutus.

Cumprimis tamen notabilis est submissa isthæc & humilima Oratio Antonii Iustiniani Venetorum legati, qui ad Maximilianum Primum Imperatorem inter illas Venetæ Reipublicæ angustias, non modò allatam Trivisani confessionem iteratò emisit, sed & nomine Senatus Veneti, omnia ad illum usque diem Sacro Imperio & Austriæ Ducatui per Venetos adempta eidem Imperatori restituit plenoque jure cessit teste Guicciardino *lib. 8. histor. p. 755.* Cæterùm ubi solutis fœderibus fortuna faciem mutavit, cessio isthæc facta est & ad nostra usque tempora permanet merè verbalis.


In his & similibus igitur consultare & concludere possunt Imperator ac Ordines Imperii, quid agendum sit, obtentâ pro tenore Capitulationis exploratione; verum quando hoc idem executioni mandetur, circumstantiæ temporum ostendere debent, ut si bonâ gratiâ nequeant, armis vindicentur ab Imperio abscissa, & idem erit

in similibus aliis, quæ ex tempore & circumstantiis præcisam moderationem capiunt, sed & de his, pauca ista dicta sunto Deniquæ si quid, ut non spero fore, hoc meo opusculo contineretur, quod in præjudicium tenderet, vel fastigii Cæsarei, vel libertatis Imperii, quæ duo semper oculis meis obversata sunt, maximè verò, si quid in veritatem, quæ cuivis scriptori pro lapide Lydio esse debet, irrefragabiliter impingeret, protinus ipse idem immutare & pro non dicto aut scripto habere, planè nullus dubito.

Deo soli Laus & æterna Gloria.

FINIS.


BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [711] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [712] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [713] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 068

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [714] - -

PUBLIC DOMAIN


Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XIII
80
965
Z Xz. 19. 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [715] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [716] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 77, [717]